

Iungwierth del. et Sc. M.

I.K

Mor.

28.

B.
5.V.
324

Mor. 204

domus professae Parisiensis Societ. Jesu


ANTIPROBABILISMUS

SEU

TRACTATUS THEOLOGICUS

FIDELEM TOTIUS PROBABILISMI STATERAM continens, in qua ex rationibus divinis accuratè examinatur ſeu veritas, ſeu falſitas cujuſcumque probabiliſmi in materia morali.

Authore P. JOANNE GISBERT *Societatis JESU, Præpoſito Provinciali in Provincia Toloſana.*




PARISIIS.

Apud JOANNEM-BAPTISTAM DELESPINE, viâ Jacobæâ ad Inſigne divi Pauli, propè Fontem S. Severini.

M. DCCIII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS



EMINENTISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

CARDINALI

DE NOAILLES,

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,

DUCI SANCTI CLODOALDI,

FRANCIÆ PARI,

REGII ORDINIS S. SPIRITUS COMMENDATORI.

LIBRORUM nemo est tam nobilis scriptor, qui, ubi te patronum est nactus, CARDINALIS EMINENTISSIME, non maximum vigiliarum suarum tulisse fructum putet. Quantum enim est apud LUDOVICUM MAGNUM *esse in pretio! Is sanè honos quo non alius vel ad dignitatem*

amplior, vel ad omnium gentium notitiam illustrior excogitari vix potest. Num eam in Ecclesia Christi sedem tenes, quâ post Romanam hodiè quidem clarior in terris nulla? Revixerant profectò, & spirare integri videbantur optimi quique priscæ ætatis Pontifices in felicis memoriæ Innocentio duodecimo, qui magnitudinem tuam, Sacrâ illâ, in qua incedis, purpurâ, exornavit, multumque decoris, Augustissimo Ecclesiæ Senatui, si in eo non sederes, existimavit defuturum. Itaque duæ nobilissimæ totius orbis terrarum Curiæ, Romana nimirum & Gallica, ad te augendum, illustrandumque paribus animis, atque judiciis conspirarunt.

Magna sunt ista. Sed quanto id majus quo pulchritudinem ac speciem excelsæ, magnæque gloriæ consecutus es? Neque enim ad honorum, authoritatisque fastigium tua te fortuna, sed virtus extulit. In toto adolescentiæ cursu, cum maximè se prodit ingenita cunctis mortalibus vitiosa cupiditas, tu contra ipsam vitiorum umbram, munitum pectus, sublimemque animum gerebas, omnemque vivendi honestatem felici quâdam naturâ duce consectabaris: ut ab ipsis incunabulis ad Sanctissima quæque natus viderere. Hoc habet videlicet Noalliorum inclytus sanguis, ut dum nobilitatem tribuit, rectos quoque mores ingeneret. Accessit ætas maturior: & cum ætate omnes Evangelio dignæ virtutes. Tum enim verò non sine consilio numinis, Gallicanæ Ecclesiæ consulentis, crebræ in caput tuum infulæ confluxerunt, cum nullam, ut tota novit Gallia, ambieris. Habuit te primûm Cadurcorum Ecclesia, deindè Catalaunorum, quibus gradibus ad Parisiensem invitus & reluctans ascendisti. Te scilicet sibi debitum Regia civitas arbitrabatur, cæterisque omnibus invidebat. Quantum autem in amplissima sede collocatus,

ſapientiæ, ac pietatis ſplendorem, in omnem partem diffundas, non dicam. Quis enim dicat? Et quis non videt, integrâ perfectâque virtutum famâ, quam dignitate melius nitentem?

Sed cum in te, CARDINALIS EMINENTISSIME, præclara ſint omnia & maxima, valeantque mirum in modum ad eos homines quos clientelâ tuâ dignaris, commendandos, id tamen de me ipſe, non minùs verè quam apertè, atque ingenuè profitebor. Nulla me ad tua limina traxit ambitio. Non id cogitò ut faciam mihi nomen ex tuo; aut aliquid obſcuritati meæ ex purpura tua colligam lucis. Neque profectò ſcribere ad gloriam debui veteranus Theologus, in Academia Toloſana per totos viginti annos verſatus, non magis canus ætate, quam Scholarum pulvere ſordidus. Deindè quomodo bonorum reprehenſionem effugerem, ſi incorruptam vivendi diſciplinam verbo profeſſus, eum ipſum librum, quo ſeveriorem doctrinam trado, ad aliquam meam laudem detorquerem. Itaque non mihi ipſe, ſed ei quam affero doctrinæ commendationem, ambio, ſi quid ambio. Lateam ego ſanè, ut ſemper, dum vetus, & ſana probabilitas, per me quidem commentatorem, per te vero illuſtriſſimum approbatorem, graviſſimumque judicem magis ac magis celebretur & inclareſcat.

Etſi enim ſecurior iſthæc ſententia ubique ferè triumphat ac dominatur, aliquid tamen fortaſſè roboris & ſplendoris adhuc deſiderat. Quam ampliorem lucem, novumque authoritatis pondus à quo potius expectet quam à te, CARDINALIS EMINENTISSIME, qui puram morum doctrinam, non voce tantum, quod facile eſt, & faciunt multi, ſed quod caput eſt, exemplis, ab ipſo initi Epiſcopatus Principio, ſtudioſiſſimè,

coluisti? Si quis enim Sanctissimas regendæ conscientiæ regulas doceri vult, te tantum videat, & doctus sit. Ei sanè vitam tuam inspexisse, quam vel in ipsa Academiarum Magistra didicisse, fuerit melius.

Favebis igitur, CARDINALIS EMINENTISSIME, *eoque fortasse magis quo hac in re Reverendum Patrem Thyrsum Gonzalez, qui Societatem nostram universam, magna cum sapientia moderatur, authorem & ducem sequor, quem in postremis Cleri Gallicani Comitiis, ubi, te Preside, Antiprobabilismus Egregiè collaudatus est, cum honore fuisse appellatum, tamquam de tota re morali optimè meritum, accepimus. Ludovicus Baïl Sorbonæ Doctor, Summæ eruditionis, & præstantissimi ingenii, cum olim anxius, dubiusque hæreret, in hac ipsa de morali probabilitate, controversia.* O si veniat, *inquit,* qui nodum solvat! *Conquiesceret ille sanè, si viveret. Quem desiderabat, vir ille magnus venisse crediderim à quo solutus nodus, discussa causa, confectum negotium.*

Ac mihi quidem istud inter scribendum cogitanti, excidebat stylus è manibus; quippè cum actum agere me sentirem, & ea de re dicerem de qua nemini ferè, quod ulterius dicatur, relictum sit. Quid igitur ego in hac causa efficiam? Quid est quod in aciem, partâ jam victoriâ, inutilis miles, procedam? Nimirum æmulabor paternam laudem filius non ignavus, aut degener. Augebo numerum, si pondus non addam, aliam, ad terminum eumdem, viam monstrabo. Denique si parum, aut nihil causæ prodero, illud sanè perficiam, quod mihi instar magni cujusdam emolumenti fuerit, ut quisquis de opere meo forte audierit, is quoque de summo erga te, meo, CARDINALIS EMINENTISSIME, *tuosque omnes, studio & singulari observantia, statim intelligat.*

Quo loco prteterire nullomodo possum aut debeo, Illustrissimum atque Excellentissimum Fratrem tuum, cui quid non debet, quid non acceptum refert, quid non optat ac precatur boni, illa Societatis nostræ pars, quæ ad Pyrenæos Montes, & Occitanicum Mare consedit? Quidquid ex illo amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis nostris. Illius etiam viri gloriam Cataloniæ, Ruscinonis, Occitaniæ gentes, quin & ipsa maria, arces, templa semper loquentur. Deus verò optimus maximus, (spero equidem, ac cupio ut qui maximè) diutissimè regi, regno, tibi & nobis florentem, atque incolumem conservabit, quippè non magis armorum gloriâ, cujus apicem jamdudum consecutus est, quam Religionis laude præstantem. Tu vero, CARDINALIS EMINENTISSIME, quam ego parum doctè describo rectissimam conscientiæ regulam, & quam tu constantissimè sequeris, æqui boniquè accipe, meumque istud opusculum, cui grande tuum nomen non invidisti, sed valdè comiter, & officiosè commodasti, deinceps inter res tuas recense, & tanquam aliquid tuum defende. Hoc totum & vovet, & sperat,

EMINEMTISSIME CARDINALIS,

EMINENTIÆ VESTRÆ,

Humillimus & obsequentissimus in Christo servus,
JOANNES GISBERT Societatis JESU,
Provincialis in Provincia Tolosana.

PRÆFATIO

PRÆFATIO
AUTHORIS AD LECTOREM.

QUAM tibi offero, optime Theophile, Antiprobabilismi doctrinam quæso te ne suspectam habeas, ullâ ex parte, sed totam securus accipe, & benevolus lege: Est enim tota pura, tota sacra, tota divina, tota ex puris sacræ Religionis hausta principiis: nimirum ex idea Dei & perfectionum divinarum; ex primis prudentiæ regulis, quas Deus ipse digito suo humanæ menti insculpsit; ex Scriptura utriusque Testamenti, seu veteris seu novi; ex traditione divina; ex Decretis Conciliorum & Patrum; ex sensu & gustu Ecclesiæ per omnes ætates diffusæ. Nam ii ferè sunt fontes undè Antiprobabilismum hausi, omnes puri & illimes.

Doctrina verò Antiprobabilismi qualem tradere habeo in quatuor regulis tota consistit.

Prima Regula. Ubi lex probabilior est quam libertas à lege, standum est pro lege probabiliore, contra libertatem minus probabilem.

Altera Regula. Ubi lex est æquè probabilis, ac libertas à lege, standum pariter est pro lege æquè probabili, contra libertatem æquè probabilem: quia Deus in pari causa, jus prælationis habet irrefragabile adversus creaturam suam; debetur enim ea prælatio excellentissimo Dei dominio.

Tertia Regula. Ubi libertas à lege notabiliter pro-

babilior eſt quam lex, licitum eſt operari ſecundùm libertatem notabiliter probabiliorem, poſthabitâ lege notabiliter minus probabili, quia Deus æqui & boni amans permittit creaturæ ſuæ rationali, ut apparentiam veri notabiliter majorem ſequatur, tum in judicando, tum in operando, poſthabitâ apparentiâ notabiliter minore.

Quarta Regula. Quando probabilitas libertatis ita ſuperat probabilitatem legis, ut tamen non ſuperet notabiliter, ſed levi aliquo duntaxat exceſſu, ſtandum non eſt pro libertate leviter duntaxat probabiliore; quia levis ille exceſſus probabilitatis, quo libertas ſuperat legem minus probabilem, pro nullo habendus eſt; ac proindè legis probabilitas, quamvis phyſicè minor, cenſeri tamen debet moraliter æqualis probabilitati libertatis. In caſu autem probabilitatis utrimque æqualis, ſtandum eſt pro lege, propter reverentiam Domini legiſlatoris.

Hæc eſt ſumma ſeu principiorum, ſeu regularum; in quibus ſtare velim irreprehenſibiliter doctrinam totius Antiprobabiliſmi; nam ea principia ſi benè penetrentur: eæ regulæ ſi conſtanter teneantur, vitabuntur continuò extrema duo vitioſa, laxitas & rigor; quia ſcilicet per eadem ipſa principia, & per eaſdem ipſas regulas, utriuſque mali, ſeu rigoris, ſeu laxitatis, fons in perpetuum occludetur.

INDEX QUÆSTIONUM

QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

PRÆAMBULUM PRIMUM. *Traditur vera notio probabilitatis.* pag. 2
PRÆAMBULUM II. *Distinguitur multiplex species veræ probabilitatis.* 5
PRÆAMBULUM III. *Exploditur probabilitas multiplex certo inutilis aut insufficiens ad operandum.* 9
PRÆAMBULUM IV. *Proponitur fidelis statera pro examine totius probabilissimi moralis.* 15
PRÆAMBULUM V. *Distinguitur in suas partes tota controversia.* 17

QUÆSTIO PRIMA.

An sit obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem in concursu minoris probabilitatis faventis libertati. 19
CAPUT I. *Argumentatio prima, ex idea Dei legislatoris bene penetrata.* 20
Articulus I. *Primum argumentum, desumptum ex summo Dei dominio in creaturam rationalem.* ibid.
Articulus II. *Secundum argumentum, ex summa Dei sapientia petitum.* 28
Articulus III. *Tertium argumentum, ex summa Dei sanctitate depromptum.* 33
CAPUT II. *Argumentatio secunda, ex primis prudentiæ regulis in uniuscujusque mente Dei digito profundè exaratis.* 35
Articulus I. *Primum argumentum, deductum ex prima prudentiæ regula pro directione intellectus.* 36
Articulus II. *Secundum argumentum, ex secunda prudentiæ regula petitum pro directione voluntatis.* 42
Articulus III. *Tertium argumentum, deductum ex tertia prudentiæ regula directiva operationis externæ.* 49
CAPUT III. *Proponitur argumentatio tertia, ex verbo Dei seu scripto, seu tradito.* 58
Articulus I. *Primum argumentum, ex verbo Dei scripto.* ibid.
Paragraphus I. *Tentatur via testimonii formalis & expressi.* 59
Paragraphus II. *Tentatur via principiorum seu veritatum generalium quæsitam veritatem aliquomodo continentium.* 63

Paragraphus III. *Tentatur via conjecturæ.* 64
Articulus II. *Secundum argumentum, ex verbo Dei tradito.* 68
Paragraphus I. *Testimonium traditionis ex Patribus antiquioribus.* 69
Testimonium ex Chrysostomo. ibid.
Testimonium ex Augustino. 72
Alterum ex Augustino testimonium illustrativum & confirmativum prioris. 76
Paragraphus II. *Testimonium traditionis ex Patribus junioribus.* 82
Testimonium traditionis ex sancto Bernardo. ibid.
Testimonium ex sancto Thoma. 86
Testimonium ex sancto Bonaventura. 96
Testimonium ex sancto Antonino. 97
CAPUT IV. *Argumentatio quarta, ex sacra Canonum disciplina.* 99
Articulus I. *Primum argumentum, ex regula quadam generali Conciliorum directiva.* ibid.
Articulus II. *Secundum argumentum, ex regula Canonica electionum.* 107
Articulus III. *Tertium argumentum, ex regula canonica determinativa dubiorum.* 117
CAPUT V. *Ex sensu & gustu Ecclesiæ.* 130
Articulus I. *Primum argumentum, ex sensu & gustu Ecclesiæ antiquæ, seu antecedentium temporum.* 131
Paragraphus I. *De sensu Ecclesiæ primæ ætatis.* 132
Paragraphus II. *De sensu Ecclesiæ secundæ ætatis.* 137
Paragraphus III. *De sensu Ecclesiæ tertiæ ætatis.* 142
Paragraphus IV. *De sensu Ecclesiæ quartæ ætatis.* 147
Paragraphus V. *De sensu Ecclesiæ quintæ ætatis.* 154
Articulus II. *Secundum argumentum, De sensu Ecclesiæ novæ, hoc est nostræ.* 160
Paragraphus I. *Incerta probabilismi origo.* 161
Paragraphus II. *Progressus probabilismi obscurus.* 167
Paragraphus III. *Fallentia probabilismi incrementa.* 175
Paragraphus IV. *Varia & anceps probabilismi fortuna.* 183
Paragraphus V. *Decrementum & inclinatio probabilismi.* 188
Paragraphus VI. *Occasus probabilismi imminens.* 193

QUÆSTIO II.

An sit obligatio sequendi probabilitatem faventem legi in concursu probabilitatis æqualis libertati faventis. 202
Repræsentatur antiqua sententia authoris ab eodem melius consulto postmodum retractanda. 203
Hodierna sententia authoris. 210
CAPUT I. *Argumentatio prima, ex tribus perfectionibus divinis in lumine vultus divini radiantibus.* 211
Articulus I. *Primum argumentum, ex suprema Dei dominii excellentia.* 211
Articulus II. *Secundum argumentum, ex summa Dei legislatoris sapientia.* 215

Articulus III. *Tertium argumentum, ex infinita Dei ſanctitate.* 215
Caput II. *Argumentatio ſecunda, ex triplici regula Dei digito ſcripta in tabulis cordis carnalibus.* 216
Articulus I. *Primum argumentum, ex regula veritatis.* 217
Articulus II. *Secundum argumentum, ex regula honeſtatis.* 219
Articulus III. *Tertium argumentum, ex regula obſequii realis & externi.* 226
Caput III. *Argumentatio tertia, ex teſtamento Dei veteri.* 232
Articulus I. *Primum argumentum, notantur textus aliquot inſignes veteris teſtamenti in quibus obligatio exprimitur, aut vehementer indicatur.* ibid.
Articulus II. *Secundum argumentum, evolvuntur in teſtamento veteri principia quædam generalia in quibus obligatio involuta continetur.* 242
Articulus III. *Tertium argumentum, deducuntur ex teſtamento veteri validæ quædam conjecturæ in favorem obligationis.* 262
Caput IV. *Argumentatio quarta, ex teſtamento novo petita pro obligatione ſequendi legem probabilem in concurſu libertatis æquè probabilis.* 273
Articulus I. *Primum argumentum, producuntur textus aliquot teſtamenti novi in quibus obligatio graviter indicatur.* 273
Articulus II. *Secundum argumentum, ex pluribus novi teſtamenti principiis generalibus quæſitam obligationem continentibus.* 293
Articulus III. *Tertium argumentum, deducuntur ex teſtamento novo conjecturæ aliquot pro obligatione mandatorum probabilium cum libertate æquè probabili concurrentium.* 303
Caput V. *Argumentatio quinta, pro obligatione mandatorum probabilium concurrentium cum libertate æquè probabili ex regulis canonicis & magiſtralibus.* 310
Articulus I. *Primum argumentum, ex regula canonica. In dubiis tutior pars eſt eligenda.* ibid.
Articulus II. *Secundum argumentum, ex regula magiſtrali. Ne certis incerta præponantur.* 314
Caput VI. *Argumentatio ſexta, ex ſenſu Eccleſiæ Chriſti.* 319
Articulus I. *De ſenſu Eccleſiæ antiquæ circa probabiliſmum æqualem.* 320
Paragraphus I. *Quid ſenſerit Eccleſia primæ ætatis de probabiliſmo æquali.* 320
Paragraphus II. *Quid ſenſerit de probabiliſmo æquali Eccleſia ſecundæ ætatis.* 325
Paragraphus III. *Quid ſenſerit de probabiliſmo æquali Eccleſia tertiæ ætatis.* 329
Paragraphus IV. *Quid de probabiliſmo æquali ſenſerit Eccleſia quartæ ætatis.* 331
Paragraphus V. *Eccleſia quintæ ætatis quid de probabiliſmo æquali ſenſerit.* 334
Articulus II. *De ſenſu Eccleſiæ novæ, hoc eſt noſtræ circa probabiliſmum æqualem.* ibid.

QUÆSTIO III.

An ſit licentia ſequendi probabilitatem majorem libertatis concurrentem cum minore probabilitate legis. 336

ANTIPROBABILISMI PARS SECUNDA.

Probabilitas seu legis seu libertatis extra concursum unius cum altera. 343

QUÆSTIO PRIMA.

De probabilitate libertatis absoluta. 344
Proponitur demonstratio ab intrinseco. 347
Proponitur demonstratio ab extrinseco. 348
Aperitur Mysterium judicii probabilis operantem certificantis de licentia operandi. 350

QUÆSTIO II.

De probabilitate legis absoluta, seu non concurrente cum ulla probabilitate libertatis. 354
Corollarium primum. *Series ordinata principiorum generalium in quibus statera nostra divina tota consistit.* 359
Corollarium II. *Legitima inquisitio voluntatis divinæ regulæ universalis objectivæ actionum humanarum.* 365
Corollarium III. *Certa methodus conscientiæ rectè formandæ.* 370
Paragraphus I. *Traditur vera notio regulæ formalis.* ibid.
Paragraphus II. *Soli conscientiæ adjudicatur & asseritur ratio regulæ formalis propriè dictæ.* 371
Paragraphus III. *Dividitur conscientia in suas species.* 373
Paragraphus IV. *Explicantur nativi & proprii caracteres conscientiæ antecedentis.* ibid.
Paragraphus V. *Veri caracteres conscientiæ consequentis.* 374
Certa methodus conscientiæ dirigentis rectè formandæ. 375
Certa methodus rectè formandæ conscientiæ consequentis & quod factum est verificantis. 376

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, grand Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Le P. JEAN GISBERT Jeſuite, Nous ayant fait ſupplier de luy accorder nos Lettres de Privilege pour l'impreſſion d'un Ouvrage de ſa compoſition intitulé, *Fidelis ſtatera totius Probabiliſſmi Moralis Tractatus Theologicus bipartitus, in qua ex rationibus divinis accuratè examinatur ſeu veritas, ſeu falſitas cujuſcumque Probabiliſſmi in materia morali* : Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir ledit Livre, en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera, pendant le temps de huit années conſecutives, à compter du jour de la datte des Preſentes, & de le faire vendre & diſtribuer par tout noſtre Royaume : Faiſant défenſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Livre, ſous quelque prétexte que ce ſoit, même d'impreſſion étrangere & autrement, ſans le conſentement de l'Expoſant, ou de ſes ayans cauſe, ſur peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de quinze cent livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts ; à la charge d'en mettre, avant de l'expoſer en vente, deux exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un autre dans le Cabinet des Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France, le Sieur Phelypeaux, Comte de Pontchartrain Commandeur de nos Ordres ; de faire imprimer ledit Livre dans noſtre Royaume & non ailleurs, en beau caractere & papier, ſuivant ce qui eſt porté par les Reglemens des années 1618. & 1686. & de faire enregiſtrer les Preſentes és Regiſtres de la Communauté des Marchands Libraires de noſtre bonne Ville de Paris, le tout à peine de nullité d'icelles : Du contenu deſquelles Nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empêchemens contraires. Voulons que la copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée au commencement ou à la fin dudit Livre, ſoit tenuë pour dûëment ſignifiée ; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers-Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent, de faire pour l'execution des preſentes toutes ſigni-

fications, défenses, saisies, & autres Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires. CAR tel est nostre plaisir. DONNE' à Versailles le dix-huitiéme jour de Septembre, l'an de grace mil sept cens un, & de nostre Regne le cinquante-neuviéme. Par le Roy en son Conseil, LECOMTE, & scellé.

Registré sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires, conformément aux Reglemens. A Paris, le 22. Septembre 1701.

Signé, P. TRABOUILLET, *Sindic*.

Les Exemplaires ont été fournis.

APPROBA-

Facultas Reverendissimi Patris THYRSI GONZALEZ, *Societatis JESU, præpositi Generalis.*

CUM Librum cui titulus est, *Antiprobabilismus seu statera totius Probabilismi moralis*, à Patre JOANNE GISBERT, nostræ Societatis Sacerdote, & nunc Præposito Provinciali in Provincia nostra Tolosana compositum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet ita videbitur. Cujus rei gratiâ has litteras manu nostra suscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 28. Octobris 1701.

THYRSUS GONZALEZ.

Approbation de Monsieur du Pin, Docteur en Theologie de la Maison & Societé de Sorbonne.

J'AY lû par ordre de Monseigneur le Chancelier, le Livre qui a pour titre *Antiprobabilismus*, dans lequel je n'ay rien trouvé de contraire à la saine Doctrine. Les sentimens de l'Auteur m'ont paru droits, ses principes & ses raisonnemens solides, & ses réponses aux objections satisfaisantes; ce qui me fait croire que l'impression de cet Ouvrage sera utile au public. Fait ce vingt-uniéme jour de Février 1703.

ELLIES DU PIN.

ANTIPROBA-

ANTIPROBABILISMI.

PARS PRIMA.

PROBABILISMUM Moralem appellant Theologi, doctrinam omnem quæ verſatur, vel circa probabilitatem præcepti, ligantis libertatem, vel circa probabilitatem libertatis à præcepto. Interdum enim probabile eſt exiſtere præceptum aliquod libertatem ligans, interdum probabile non exiſtere; talis autem doctrina cùm ad mores hominum dirigendos pertineat, probabiliſmus moralis rectè appellatur. Duplex autem diſtingui poteſt probabiliſmi ſpecies. Probabiliſmus ſcilicet *rigidus*, & probabiliſmus *benignus*. Nam quæcumque doctrina ſtat pro exiſtentiâ præcepti probabilis ligantis libertatem, appellari jure poteſt probabiliſmus *rigidus*, quia ſtat à rigore præcepti, eòque ſtringit libertatem; quæcumque vero doctrina favet libertati probabili, contra præceptum ligans, dici debet probabiliſmus *benignus*; quia à rigore præcepti libertatem humanam benignè abſolvit.

Quid ſit Probabiliſmus moralis.

Duplex probabiliſmus, *rigidus* & *benignus*.

Ad juſtum autem & accuratum utriuſque probabiliſmi examen, placet utrumque in ſtaterâ divinâ appendere. Stateram vero divinam appello *ſeriem ordinatam rationum divinarum ex quarum conſideratione æſtimari poteſt ſeu veritas, ſeu falſitas cujuſcumque probabiliſmi moralis, tam rigidi, quam benigni.* Nimirum uterque probabiliſmus, quandoque extremus, & intolerabilis eſt pro quorumdam ſeu duritiè ſeu facilitate doctorum. Sunt enim, hodieque, ut olim, Phariſæi, qui alligant onera gravia, & importabilia, præceptis imaginariis miſeram hominum libertatem illaqueantes. Sunt item faciles qui legem divinam evacuant minutis probabilitatibus ſuis, plus ſatis fingentes ſe ad ingenia moreſque peccantium. Quærendus ergo nobis probabiliſmus moderatus & rationa-

Probabiliſmus ſeu rigidus, ſeu benignus, interdum extremus & ſuâ ſeu du-

ritie, seu facilitate intolerandus.

bilis qui justum modum teneat, & divinam magis rationem quam humanam in omnibus sequi videatur: ita rigidus ut non durus tamen, vel austerus sit: ita benignus ut non mollis aut laxus, libertatem quidem ligans quocumque præcepto rationabili, & bene fundato, sed ab imaginariis, leviter præsumptis, & minus probatis absolvens.

Varia præambula ad lucem afferendam materiæ per se obscuræ, & perplexæ.

Materiam ut vides, aggredimur, obscuram nimis & perplexam, in qua præsertim ne quid obscurè, perturbatè, & confusè dicamus, opus erit nobis sapienti discretione, facillima methodo, & luce plurimâ, quam lucem dare potest ille solus *qui lux est, & in quo tenebræ non sunt ullæ.* Talem lucem ut sine impedimento, & apertis undequaque fenestris abundè hauriamus juvat. 1. Tradere veram probabilitatis notionem. 2. Dividere veram probabilitatem in varias species suas. 3. Explodere probabilitatem quamcumque ad rectè operandum inutilem, aut insufficientem. 4. Constituere stateram divinam pro examine totius probabilismi moralis controversi. 5. Demum clarè & dilucidè proponere controversiam generalem, eamdemque aptè distribuere in suas partes. Hæc sunt quædam præambula ad materiam illustrandam, & accuratius, digniusque tractandam necessaria. In quibus præambulis, etsi fortè & minus grata, & nimis longa videri possint, quæso te, optime Theophile, ne pigeat aliquandiu immorari: nam per ipsas moras fiet tibi compendium itineris; & in decursu præambulorum multa obiter occurrent, quæ scitu necessaria sunt, ut ad veritatis metam, quo tendis, satis tutò pervenias.

PRÆAMBULUM PRIMUM.

Vera notio probabilitatis.

Traditur vera notio probabilitatis.

CUm probabilitas sit materia circa quam versatur probabilismus, tradenda nobis est vera notio probabilitatis. Certum est variè accipi probabilitatis nomen; quandoque enim propriè, quandoque impropriè accipitur. Impropriè quidem pro quacumque specie veri, etiam illâ quæ certitudinem & evidentiam comprehendit. Nam pravâ extensione termini, *probabilitatem* habere, & *probabile* esse dicitur, quidquid quocumque modo, probari potest. Quo sensu propositiones demonstrativæ, probabilitatem habent, & ipsa prima principia, probabilia sunt, quia & ipsa probari possunt, & quidem maximè, certò nimirum & evidenter. Sed in hac terminorum acceptione abusus est; nam quidquid est certum & evidens non modò probari potest, sed necessariò probari debet, evidentiâ & certitudine assensum rapiente; quare plusquam probabile est, ac proindè jam non merè probabile. Impropriè item accipitur *probabilitas* pro quacumque specie veri, infra certitudinem & evidentiam, quantumvis tenui. Talis autem *probabilitatis* acceptio, Pyrrhoniorum fuit & Academicorum; nam ii Philosophi, quos refellit Augustinus, ita nihil volebant esse certi, ut omnia dicerent esse probabilia; quamcumque veri-

Probabilitas impropriè dicta est quæcumque species veri sive exigua sive magna.

ſimilitudinem, etiam levem, & leviſſimam, *probabilitatem* appellantes, manifeſto termini abuſu: neque enim ſapienter probari poteſt, aut debet quod ſpeciem veri habet duntaxat tenuem aut levem. Hunc tamen probabilitatis abuſum authores aliqui, probis doctiſque Theologis tribuere non dubitarunt, ut iiſdem adulatoriæ nimis doctrinæ calumniam facerent. Propriè verò & ſtrictè accipitur pro ſpecie aliquâ veri infra certitudinem & evidentiam, tali ac tantâ, ut ſufficere poſſit ad aſſenſum aliquem omnibus benè & ſolide perpenſis, prudentem obtinendum. Hæc à nobis diligenter & accurate explicanda, quia totius probabiliſmi moralis fundamentum eſt.

Probabilitas propriè dicta eſt ſpecies veri infra certitudinem talis ac tanta ut ad aſſenſum prudentem ſufficiat.

Dico igitur 1. vera probabilitas eſt ſpecies, ſeu apparentia veri, infra certitudinem & evidentiam, talis ac tanta ut ad aſſenſum aliquem, prævio rerum omnium examine, prudentem ſufficiat. Nam opinio *probabilis* definiri ſolet, aſſenſus incertus & inevidens, nixus motivo probabili. Motivum autem probabile dicitur eſſe motivum aliquod, fallibile quidem & incertum, ſed tamen grave, rationabile, & magni momenti. In quâ definitione omnia plana eſſent, ſi clarè intelligeretur quid ſit motivum grave, rationabile, & magni momenti; ſed laborant Theologi in eo explicando, nec par eſt labori ſucceſſus; torquent enim ſe in omnem partem magni viri, necdum ſatis intelliguntur.

Quid ſit motivum grave.

Nonnulli quidem motivum grave appellant, motivum ita plauſibile, ut ſine formidine confuſionis & cum aliquâ expectatione plauſûs, opinionem tali fundamento nixam, poſſit Theologus contra quoſcumque doctores defendere, & pari ſucceſſu, oppoſitam ſententiam impugnare. Ita illi verè & ſolidè. Neque enim dubium eſt, quin motivum illud grave ſit & probabile, quod citra certitudinem ſufficit ad ſententiam aliquam defendendam cum communi approbatione doctorum, contra præcipua argumenta, quæ à graviſſimis authoribus, & rei de qua agitur maximè peritis, afferri poſſunt. Sed ne quid diſſimulem, difficilis experientiæ eſt, illa ſecuritas plauſûs habendi ex defenſione ſententiç; nec omnium eſt, ſed admodum paucorum, expectatio illa communis approbationis doctorum; quare paucis utilis futura eſt talis notio motivi gravis.

At ſit illud quod ſententiam aliquam apud omnes plauſibilem facere poſſit.

Alii vero motivum grave & rationabile eſſe dicunt, illud quod ſeclusâ certitudine & evidentiâ, accedente imperio voluntatis, ſufficienter movere poteſt ad aſſenſum rationabilem & prudentem; prudentem vero & rationabilem aſſenſum eſſe volunt, quem ſi quis dederit, judicari poſſit à ſapientibus, rationabiliter & prudenter feciſſe. Vera item & ſolida eſt iſta notio motivi gravis. Sed nimis difficile eſt æſtimare gravitatem motivi, niſi ad manum habeatur conſilium ſapientum, penes quos eſt juſta æſtimatio gravitatis.

An illud quod ſapientes judicant rationabile.

Alii denique motivum grave definiunt eſſe motivum, quod magnâ vi ſuadet aliquid, & virum prudentem trahere poteſt in aſſenſum ſui. Brevis quidem definitio, ſed nimis, ut videtur, errori obnoxia. Tum quia poteſt quis credere ſe virum prudentem, qui verè prudens non eſt. Tum quia ne ipſi quidem prudentes ſatis unanimes, ubi agitur de gravitate æſtimandâ: quandoque enim quod videtur uni prudenti grave, videtur leve

An illud quod in aſſenſum ſui trahere poteſt virum prudentem.

alteri. Quare superest ulterius quærendum, & definiendum distinctius, quid sit vis movendi, quid gravitas, quid momentum, & pondus motivi probabilis.

Vera notio motivi gravis.

Motivum grave est quod ita apparet ut in serie motivorum similiter apparentium plura cum veritate, quam cum falsitate cõjuncta reperiantur.

Dico 2. distinguendam esse multiplicem apparentiam, seu impressionem motivi in intellectum. Nam alia est evidentiæ, alia inevidentiæ impressio. Impressio evidentiæ est, cum motivum ita apparet, ut ex modo apparendi rapiat intellectum ad assensum. Impressio vero inevidentiæ est, cum motivum ita apparet, ut ex modo apparendi, intellectum ad assensum non rapiat. Hæc autem impressio inevidentiæ, vel magna est & probabilis, vel exigua & improbabilis. Probabilis impressio motivi est, cum motivum ita apparet, ut in serie motivorum similiter apparentium, plura cum veritate, quàm cum falsitate, conjuncta reperiantur. Impressio verò improbabllis est, cum ita apparet motivum, ut inter motiva similiter apparentia, plura inveniantur falsa quàm vera. Habes hîc pondus & gravitatem motivi probabilis: nimirum qui ducitur motivo probabili, ducitur motivo, quod magnam spem facit inveniendæ veritatis. Spes autem illa fundatur in impressione motivi, tali ac tantâ ut similes impressiones, in animum, veritatem sępius, quàm errorem inducant. Atque hoc fortè videtur Aristoteles intellexisse, cum probabile definivit, *quod plerumque contingit*. Sed ad pleniorem intelligentiam motivi probabilis.

Apparentia probabilis venit interdum ex objecto *opinabili*.

Interdum ex subjecto *opinante*.

Dico 3. observandum esse probabilitatem, seu apparentiam probabilem oriri posse ex duplici capite. Ex objecto nimirum *opinabili*, & ex subjecto *opinante*. Ex objecto quidem opinabili, independenter à dispositione subjecti opinantis; si nimirum tam frequens, aut frequentior est connexio similium terminorum, quam non connexio: seu si termini similes tam frequenter aut frequentius reperiuntur conjuncti, quàm non conjuncti. Ita probabile est filium Caïæ diligi à Caïa matre suâ. Quia scilicet maternitas cum amore filiali tam frequenter aut frequentius conjungitur, quàm non conjungitur. Atque hinc est quod objecta sint alia aliis probabiliora, propter connexionem similium terminorum frequentiorem. Ex subjecto autem *opinante*, oritur probabilitas, quatenus dispositio subjecti opinantis, cum veritate rei creditæ, tam frequenter imo frequentius connectitur, quàm non connectitur. Ita probabile est baculum, qui fractus apparet, fractum esse, quia apparentia fractionis tam frequenter, aut etiam frequentius cum fractione conjungitur. Stet ergo totam vim motivi probabilis in eo esse sitam, quòd ex modo apparendi, spem magnam faciat assequendæ veritatis, in eo fundatam, quòd apparentia illius motivi sit de genere earum, quæ sæpe aut sæpius reperiuntur cum veritate conjunctæ, quàm cum falsitate.

Motivũ per se probabile potest infirmari, aut etiam destrui.

Per dispositionem opinantis faventis parti oppositæ.

Dico 4. motivum probabile tandiu retinet probabilitatem suam, quandiu magnam illam spem facit assequendæ veritatis. Elevatur autem, aut destruitur probabilitas motivi cum tale fit, ut jam aut nullam, aut levem, & non magnam spem faciat veritatis assequendæ. Unde sequitur 1. Motivum alioqui grave infirmari posse per certam aliquam dispositionem subjecti, faventem parti oppositæ. Ita argumenta Zenonis contra motum localem, quamvis gravia sint secundum se, infirmantur tamen per constan-

tem experientiam motus, omni homini communem. Quæ experientia, est dispositio ita connexa cum veritate objecti, ut nullam dubitationem relinquat; quare sententia Zenonis non est probabilis. Sequitur 2. destrui gravitatem motivi per evidentiam partis oppositæ. Ita quamvis argumenta difficillima probent non videri à Deo res contingentes, ea tamen argumenta probabilitatem non habent; quia evidens est convenire Deo scientiam contingentium. Sequitur 3. elevari vim motivi gravis per supremam authoritatem contrapugnantem. Ita quamvis contra incarnationem Verbi, aut Trinitatem personarum, multa occurrant in speciem gravia, ea tamen probabilia non sunt; quia pro incarnatione, & Trinitate stat suprema authoritas Dei loquentis. Sequitur 4. destrui aut infirmari probabilitatem motivi ex concursu cum motivis notabiliter prævalentibus pro parte contrariâ. Ita quamvis authoritas unius judicis sumpta seorsum, esse possit motivum grave, si tamen pugnet cum sententiæ centum aliorum, ejusdem integritatis & fidei, jam leve aliquid apparebit; quia jam spem magnam non faciet veritatis assequendæ.

Per evidentiam partis oppositæ.

Per supremam authoritatem contra pugnantem.

Per concursum cum motivis cõtrariis admodũ prævalentibus.

PRÆAMBULUM II.

Distinguitur multiplex species veræ probabilitatis.

MUltiplex fieri potest veræ probabilitatis divisio. Dividi enim potest vera probabilitas. Ratione motivi probabilitatem fundantis. Ratione objecti materialis, cui competit probabilitas. Ratione circumstantiarum, per se, vel per accidens, objecto opinabili, aut motivo opinandi adjacentium. Ratione subjecti opinantis; Ratione actus, seu modi probabilitatem afficientis. Ratione concursus probabilitatis unius cum alterâ. Nec inutile erit, præcipuas hic & maximè necessàrias divisiones persequi. Inde enim intelligetur quæ sit vera probabilitas fundans probabilismum moralem; & simul apparebit, quàm ineptè nonnulli definierint, sine ulla distinctione probabilitatum, sufficere ad operandum, quamcumque probabilitatem. Et quàm calumniosè alii enormem, & intolerabilem probabilitatis abusum Theologis moralibus affinxerint.

Divisio probabilitatis in suas partes.

Prima divisio probabilitatis est, quâ dividitur probabilitas ratione motivi in *extrinsecam* & *intrinsecam*. Probabilitas *extrinseca* dicitur illa, quam facit authoritas opinantis sufficiens ad assensum prudentem. Nam juxta Aristotelem, *probabilia sunt quæ videntur omnibus vel plerisque, vel sapientibus, atque his, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis.* Sed ut hæc definitio vera sit, opus habet aliquot limitationibus. Nam 1. Testimonium sapientum non cadere debet supra rem certam & evidentem, sed supra rem obscuram & inevidentem, eamque debet incertam relinquere; vera enim probabilitas dicit aliquam incertitudinem. 2. Authoritas opinantium non debet esse certa & infallibilis; quia authoritas certa & infallibilis non facit rem probabilem, sed certam. 3. Nomine sapientum intelli-

Probabilitas ratione motivi alia extrinseca est, alia intrinseca.

Definitio Aristotelica quomodo intelligenda & limitanda.

gendi sunt non tantum viri docti, sed etiam illi qui de re propositâ, sufficienter instructi sunt, & sufficienter veraces: ita bonus rusticus interrogatus de via, interroganti viatori probabilem facit viam, quâ eundem est.

Unius testimonium interdum sufficit ad probabilitatem extrinsecâ.

4. Non requiruntur semper plerique sapientes ad probabilitatem extrinsecam, sed unus interdum sufficit, dummodo testimonium illius aliundè non infirmetur; quia probabile est extrinsecè, quod homo probus & benè peritus, post diligens rei examen, si examine opus est, judicans sicut probum & benè peritum judicare decet, absolutè putat verum esse. Hominem *probum* appello, qui sincerum habens animum, & veritatis studiosum, rem æstimat non ex affectu, aut præjudicio, sed ex solo studio veritatis, nec est in judicando præceps, aut sententiæ suæ dissimulator. Homo *peritus* dicitur, qui exactè callet materiam de qua agitur, & idoneus est intelligere quæcumque in contrarium proponi possunt. Judicare vero sicut probum & peritum decet, est judicare non leviter, non ex affectu, non ex præjudicio, sed ex studio & amore solius veritatis, causâ maturè, & diligenter cognitâ. Dico autem testimonium unius viri probi & periti, ita judicantis, esse motivum grave & sufficiens ad probabilitatem constituendam, nisi aliundè infirmetur. Ratio est evidens, quia ejusmodi testimonium pertinet ad eam classem motivorum, quæ plerumque non fallunt. Certè prudenter ei creditur, de quo prudens & rationabilis præsumptio est, quod nec fallatur, nec fallat. Atqui prudens & rationabilis præsumptio est, virum probum & peritum, eo quo dixi modo judicantem, nec falli, nec fallere; quia vir peritus materiam aliquam examinans, plerumque non fallitur, & vir probus, plerumque non fallit. Ergo prudenter & rationabiliter creditur viro probo, & perito rem aliquam testificanti.

Probabilitas intrinseca quid.

Probabilitas vero *intrinseca* est illa quam facit motivum aliquod ab authoritate loquentis distinctum & sufficiens ad obtinendum assensum à viro probo & perito judicante irreprehensibiliter, seu ut virum probum & peritum decet. Nam quodcumque motivum tale est, verè probabile est, nisi aliundè infirmetur: pertinet enim ad eam classem motivorum, quæ plerumque non fallunt.

Probabilitas practica, & speculativa.

Secunda divisio probabilitatis est, in *practicam*, & *speculativam*. Practica probabilitas dicitur, quæ versatur circa honestatem, turpitudinem, aut licentiam actionis humanæ. Versari autem circa honestatem, turpitudinem aut licentiam actionis humanæ, nihil aliud est Theologicè loquendo, quam versari circa voluntatem divinam, quæ vel præcipit, vel prohibet, vel consulit, vel permittit humanam actionem. Istiusmodi autem probabilitas potest esse vel *practica secundum quid*, vel *practica simpliciter*. Dicitur *practica secundum quid*, si spectet honestatem, turpitudinem, aut licentiam actionis humanæ in genere tantum, non attendendo ad circumstantias omnes, in quibus opinans reperitur. Ita si quis probabiliter dicat. *Licitum est aleâ ludere.* Opinio illa probabilitatem habebit *practicam secundum quid*; quia ita asserit licere ludere, ut id non asserat in circumstantiis ipsius judicantis. Nam quamvis fortè probabile sit licitum esse aleæ ludum, præscindendo á

Practica quid.

Practica simpliciter aut secundum quid.

circumſtantiis; fieri tamen poteſt, & reipſa fit, ut non ſit probabile, licitum eſſe uni certo homini, propter circumſtantiam periculi perſonalis. Probabilitas vero practica ſimpliciter eſt illa quæ verſatur circa honeſtatem, turpitudinem, aut licentiam actionis humanæ, attentis omnibus circumſtantiis in quibus opinans reperitur. Ita ſi quis diceret probabiliter. *Mihi hic & nunc, omnibus bene examinatis, licitum eſt ludere*: Probabilitatem haberet ſimpliciter practicam licentiæ ludendi. *Speculativa* autem probabilitas appellatur, quæcumque *practica* non eſt modo ſupra definito. Unde ſequitur, probabilitatem poſſe deficere à practicâ, & remanere intra terminos ſpeculativæ, duobus præſertim modis. 1. Si verſetur circa materiam actionis humanæ, non verò circa actionem humanam. Ita opinio aſſerens panem hordeaceum, eſſe materiam idoneam conficiendæ Euchariſtiæ, etſi fortè probabilis, non eſt tamen *practicè* probabilis: quia nimirum ita aſſerit panem hordeaceum eſſe materiam conſecrationi idoneam, ut tamen non aſſerat honeſtum & licitum eſſe conſecrare in pane hordeaceo. 2. Si probabilitas verſetur quidem circa actionem humanam, ſed non circa honeſtatem, turpitudinem aut licentiam actionis humanæ, *ſpeculativa* quædam probabilitas eſt. Ita opinio aſſerens opus pingendi non eſſe opus ſervile, quamvis forte ſit probabilis, non eſt tamen *practicè* probabilis; quia ſcilicet ita aſſerit opus pingendi non eſſe opus ſervile, ut tamen non aſſerat licitum eſſe pingere in die feſto. Hîc obiter moneo, quamvis vulgo dicatur, fieri poſſe, ut una eademque opinio, quæ *ſpeculativè* probabilis eſt, ſit *practicè* improbabilis, reipſa tamen utrumque iſtud non cadit in eandem opinionem, ſed in diverſas, & diverſum objectum habentes. Nam opinio *practicè* probabilis pronuntiat de honeſtate, aut licentiâ actionis humanæ hîc & nunc faciendæ; quam honeſtatem aut licentiam non tangit opinio *ſpeculativè* probabilis. Sed ſi utrumque iſtud cadere velis in eandem omninò propoſitionem, neceſſe eſt verificari reſpectu diverſorum objectorum, quæ fortè una eadémque propoſitio attingit.

Probabilitas ſpeculativa duplex.

Una non reſpicit actionem ſed materiam actionis.

Alia reſpicit quidem actionē ſed non ut licitam, vel illicitam operanti.

Propoſitio ſpeculativè probabilis non fit eadem practicè improbabilis, niſi fortè eadem attingat plura objecta.

Tertia diviſio eſt, in probabilitatem *directam*, & *indirectam*. Directa probabilitas eſt quæ fundatur in ipſo objecto ſecundum ſe conſiderato, aut in aliis per ſe, & ex naturâ rei objectum circumſtantibus. Indirecta vero probabilitas eſt quæ fundatur in objecto non ſecundum ſe conſiderato, ſed ſecundum ſtatum quem habet in mente opinantis, aliaſve circumſtantias ei per accidens, & non perſe adjacentes. Ita ſi ſpectato præcisè opere pingendi, probabile ſit, licere per feſtum diem pingere, probabile illud erit probabilitate *directâ*. Si autem probabile ſit licere pictori pingere in die feſto, quia fortè pictor opus habet pingere ad vitam ſuſtentandam, probabile illud erit probabilitate *indirecta*. Circumſtantia enim illius neceſſitatis, non per ſe, & ex naturâ rei, ſed per accidens operi pingendi adjungitur.

Probabilitas directa, & indirecta.

Quarta diviſio eſt in probabilitatem *abſolutam*, & *reſpectivam*. Abſoluta eſt quam facit motivum reipſa grave, & abſolutè probabile. Ita probabile eſt abſolutè quod nititur authoritate melioris & ſanioris partis Theologorum; talis enim authoritas eſt motivum reipſa grave. Reſpecti-

Probabilitas abſoluta, & reſpectiva.

va probabilitas eſt quam facit motivum *reſpectivè* probabile, hoc eſt tale, ut etſi fortè inſe grave non ſit, grave tamen appareat, propter ignorantiam aut ſtupiditatem opinantis. Ita ruſtico ferè probabile eſt quidquid dixerit parochus ſuus; quia authoritas parochi, quantumvis fortè in ſe levis, grave tamen motivum eſt reſpectu hominis ruſtici, qui levitatem motivi, nec videre poteſt, nec ſuſpicari.

Probabilitas certa & evidens, incerta, & inevidens.

Quinta diviſio eſt in probabilitatem *certam & evidentem*, & in *incertam & inevidentem*. Certa & evidens probabilitas eſt, quæ certò & evidenter habetur. Incerta autem & inevidens, quæ non habetur certò & evidenter, ſed probabiliter tantum, & cum formidine. Nam opinio certò probabilis non eſt, quæ probabiliter tantum, & cum formidine talis eſſe reputatur. In qua diviſione, ne quis hæſitet, obſervandum eſt, haberi poſſe certitudinem probabilitatis, quin habeatur certitudo exiſtentiæ. Nimirum aliud eſt probabilitas, aliud exiſtentia rei: nam hoc ipſo habetur probabilitas, quod ſunt gravia motiva quæ ſuadent exiſtere rem; ſed non continuo habetur exiſtentia rei, quod ſunt gravia motiva quæ ſuadent rem exiſtere. Poteſt enim non exiſtere res, quam ſuadent exiſtere gravia motiva. Nihil ergo mirum eſt ſi de probabilitate certò conſtare poſſit, etiamſi de exiſtentia rei minimè conſtet.

Probabilitas alia objectiva alia formalis.

Sexta diviſio eſt in probabilitatem *objectivam*, & *formalem*. Probabilitas objectiva dicitur ipſummet objectum probabile, ſeu objectum incertum & inevidens, pro cujus tamen exiſtentiâ judicandâ graves ſunt rationes, & ſufficientes ad movendum virum prudentem. Probabilitas formalis eſt actus incertus & inevidens aſſertivus exiſtentiæ objecti, propter motivum aliquod probabile. Cave autem confundas actum qui aſſerit probabilitatem, cum actu qui exiſtentiam aſſerit. Nam actus aſſerens probabilitatem plerumque certus & evidens eſt, non probabilis; ſolus autem actus, aſſerens exiſtentiam modo incerto & inevidenti, probabilis eſt.

Probabilitas extra concurſum, & in concurſu alterius probabilitatis.

Septima diviſio eſt in probabilitatem *extra concurſum*, & probabilitatem *in concurſu*. Probabilitas in concurſu eſt probabilitas unius partis concurrens cum probabilitate partis oppoſitæ. Poſſunt enim partes contradictionis eſſe ambæ probabiles, quia pro utrâque parte poſſunt eſſe motiva gravia & probabilia. Id quod videre eſt in foro humano, ubi ſæpe accidit ut decem Senatores pro una, & alii decem pro alterâ parte ſtandum putent. Tunc certè pars utralibet probabilis eſt, quia utrilibet favet motivum grave. Suffragium enim decem Senatorum gravium, grave quoddam & probabile ſuffragium eſt. Probabilitas vero unius partis concurrere poteſt tripliciter cum probabilitate alterius: nam poteſt major unius partis probabilitas, concurrere cum minore alterius probabilitate: poteſt item probabilitas æqualis concurrere cum æquali: poteſt denique minor probabilitas concurrere cum majore. Ita poteſt, exempli causâ, concipi jus Cæſaris probabilius eſſe jure Pompeii minus probabili: poteſt item jus Cæſaris minus probabile concipi, quam jus Pompeii: poteſt denique concipi jus utriuſque, eſſe æquè probabile. In triplici illa hypotheſi ſemper probabilitas cum probabilitate concurrit. Probabilitas vero extra concurſum

Triplex probabilitatis concurſus. 1. Majoris cũ minore. 2. Æqualis cũ æquali. 3. Minoris cũ majore.

concursum dicitur probabilitas unius partis, non concurrens cum ullâ probabilitate partis oppositæ: contingit enim quandoque unam partem ita esse probabilem, ut opposita nullam habeat probabilitatis umbram; quia pro unâ parte contradictionis incertâ & inevidente, ita potest esse motivum grave & sufficiens ad assensum prudentem, ut nullum tale motivum sit pro parte oppositâ, aut nullum tale appareat opinanti. In hac hypothesi reperitur probabilitas unius partis, non concurrens cum partis oppositæ probabilitate, quæ aut nulla est, aut certè nulla apparet, ut supponimus. Atque hæ ferè sunt omnes divisiones probabilitatis, quæ in materiâ probabilismi usum aliquem habent.

Probabilitas extra concursum.

PRÆAMBULUM III.

Exploditur probabilitas multiplex certò inutilis, aut insufficiens ad operandum.

Multiplex probabilitas ad operandum inutilis.

PRodiit à sacrâ Congregatione Inquisitionis Romanæ sub Innocentio XI. censura aliquot propositionum moralium, tacito authorum nomine; & nobis quidem promptum esset, singularum primos authores proferre, sed nec præsentis instituti est, nec notare nobis placet magnos alioqui viros, quorum nomini, censores pepercerunt. Inter illas autem propositiones meritò proscripta fuit, quæ in indice tertia habetur his verbis. *Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Ut appareat verò æquitas censuræ pontificiæ, quatenus in eam propositionem cadit, aggredior hîc demonstrare, non omnem probabilitatem sufficere ad habendam conscientiam certam rectæ & licitæ operationis, sine quâ conscientiâ, quicumque operatur, imprudenter, & non rectè operatur; ut constabit ex Principiis nostris generalibus, in tractatu de conscientiâ rectè formandâ constitutis. Ratio nimirum est, quia ut quælibet probabilitas sufficeret ad rectè operandum, deberet esse certum, rectè operari quicumque operatur ex qualibet probabilitate. Sed certum non est rectè operari, quicumque operatur ex qualibet probabilitate; imò certum est, esse aliquam speciem probabilitatis, ex quâ qui operatur, certò peccat, ut breviter demonstrari potest enumeratione probabilitatis multiplicis, ad rectè operandum, certò inutilis.

Censura Inquisitionis Romanæ sub Innoc. XI.

Censuræ Pontificiæ æquitas.

Dico igitur 1. non sufficit probabilitas *Academica*. Patet ex primo intuitu doctrinæ Academicorum, qualem nobis exponit Augustinus. Nam 1. Academici nihil putabant esse certi; sed incerta omnia, & sub opinione. 2. Vetabant sapientem quidquam opinari, seu determinatè judicare ullius rei existentiam, ne scilicet exponeret se vir sapiens periculo errandi, si quid determinatè judicaret. 3. Suum illud principium perpetuò opponebant. *Cum agit quisque, quod ei probabile videtur non peccat, aut errat.*

Ad conscientiam certam licitæ operationis non sufficit probabilitas Academica.

Probabile autem seu *verisimile* Academici appellabant, *quod ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id quod agimus verum esse non opinemur, aut non id scire arbitremur, agamus tamen.* Ita ferè Augustinus l. 2. contra Academicos cap. 11. Probabilitas igitur *Academica*, est species veri aut boni, quæcumque invitare potest ad agendum, *sine assensione*, hoc est, sine ullo judicio, bonitatem, aut malitiam actionis determinante. Atqui ejusmodi probabilitas non sufficit ad rectè operandum: est enim evidens non rectè operari, qui operatur ex qualibet apparentiâ veri, aut boni, etiam levi, & tenui. Alioquin, ut solidè, non minùs quàm subtiliter, colligit Augustinus, adolescens perditus rectè insidiaretur pudicitię uxoris alienæ; quia ad insidiandum, specie aliquâ boni invitaretur: quam consequentiam, ita putat esse certam, sanctus Doctor, ut ei libeat deierare per omne divinum, se nescire prorsus, quomodo adolescens ille peccaret, si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat. Addo probabilitatem Academicam importare essentialiter statum dubii, & suspensionis: mens autem dubitans an liceat operari, operando non rectè operatur; quippe quæ in statu dubitationis habere non potest conscientiam certam operationis licitæ. Ergo non operatur rectè, quisquis ex probabilitate *Academicâ* operatur.

Illa probabilitas est quælibet veri species.

Connexa cum dubitatione.

Dico 2. non sufficit probabilitas *speculativa*. Ratio est, quia *speculativa* probabilitas, cùm non cadat supra licentiam operis faciendi, se ipsâ perducere non potest ad conscientiam certam licentiæ operandi. Quare fieri potest, ut cum probabilitate *speculativâ*, habeatur certitudo operationis illicitæ. Ita quamvis forte probabile sit, panem siligineum, esse materiam Eucharistiæ conficiendæ idoneam, certum tamen est ad Eucharistiam conficiendam, non esse licitum adhibere panem siligineum, quando præsto est panis triticeus. Ita quamvis probabile sit judicium dictans, opus pingendi, non esse opus servile, non continuò licet pingere die festo, quia fieri potest ut habeatur aliunde certitudo non esse licitum die festo pingere, si nimirum opus pingendi prohibeatur à superiore. Ita cum probabilitate *speculativâ* juris quod Titio competit in agrum controversum, potest judex certus esse non licere sibi agrum adjudicare Titio; si nimirum jus probabilius Caïo competat adversus Titium. Ergo certum est, probabilitatem *speculativam* non sufficere ad rectè operandum; quia certum est, probabilitatem illam non sufficere ad habendam conscientiam certam operationis licitæ. Non nego tamen quin *speculativa* probabilitas possit aliquando utilis esse, saltem mediatè, ad talem conscientiam habendam; quatenus potest aliquando utilis esse ad habendam probabilitatem *practicam*, per quam conscientia certa habeatur.

Non sufficit probabilitas speculativa.

Cum illâ stare potest certitudo operationis illicitæ.

Dico 3. non sufficit probabilitas *practica secundum quid*. Ratio est quia per illam probabilitatem non continuò habetur licitæ operationis certitudo; imo sæpe contingit, ut cum ejusmodi probabilitate, evidens sit, operationem esse illicitam. Ita quamvis forte sit probabile, probabilitate *practicâ secundum quid* non esse illicitam cum improbis aliquam consuetudinem spectatam in se, & ab omni periculo in eorum vitia delabendi, præcisam; judicium tamen probabile, quo talis consuetudinis asseritur

Non sufficit probabilitas practica secundũ quid. Quia non affert certitudinem licitæ operationis.

licentia & honeſtas, ipſam conſuetudinem ſecundùm ſe conſiderans, & à circumſtantiâ periculi præſcindens, non continuò ſufficit, ut quis licitè cum improbis conſuetudinem ineat. Quia fieri poteſt, & plerumque fit, ut talis conſuetudo propter periculum reſpectivum, manifeſtè prohibeatur. Ergo ad rectè operandum, non ſufficit probabilitas *practica ſecundum quid*. Ratio à priori eſt; quia ex eo quod licitum ſit objectum ſecundum ſe, & in genere conſideratum, non ſequitur licitum eſſe in omnibus circumſtantiis.

Dico 4. non ſufficit probabilitas etiam *practica ſimpliciter*, niſi ſit eadem *certa*. Nam probabilitas *incerta*, & merè *probabilis* non ſufficit; quia per illam haberi non poteſt conſcientia certa rectæ operationis; qui enim ex probabilitate *incertâ* operatur, non eſt certus ſe prudenter operari: nam ſi certus eſſet ſe operari prudenter, jam de prudentiâ & probabilitate ſui judicii certus eſſet, ac proinde probabilitatem haberet, non *incertam*, & merè *probabilem*, qualem habere ſupponitur, ſed *certam*, & *evidentem*. Rem pono in exemplo. Probabile ſit contractum aliquem eſſe licitum, & minimè uſurarium: ita tamen ut probabilitas illa *certa* non ſit, ſed merè *probabilis*. Dico contrahentem non eſſe certum ſe contractum facere ex judicio prudenti. Nam ſi certus eſſet ſe ex judicio prudenti contractum facere, jam certus eſſet de probabilitate practicâ ſui judicii. Ergo jam *certam* probabilitatem haberet, non *incertam* & merè *probabilem*. Atque hinc obiter intelligi poteſt quod declaratum fuit nuper ab Innocentio XI. probabilitatem *practicam* interdum eſſe ita tenuem, ut ad rectè operandum non ſufficiat; probabilitas enim *incerta* non ſufficit, ut jam probatum fuit; contingit autem probabilitatem aliquam manentem intra terminos veræ probabilitatis, eſſe adeo tenuem, ut propter tenuitatem ſuam, planè *incerta* ſit. Nimirum eſt aliqua probabilitas, ab improbabilitate diſtans exceſſu tam tenui, ut exceſſus ſit imperceptibilis. Talis autem probabilitas *certa* non eſt, ac proinde ad operandum non ſufficit.

Non ſufficit probabilitas ipſa ſimpliciter practica ſi ſit incerta. Quia ex illa agens non eſt certus ſe prudenter agere.

Objicies. Sint viginti viri docti, ejuſdem omnino gravitatis, & ponderis: duodecim illorum opinionis alicujus probabilitatem affirment; octo negent. In hac hypotheſi, probabilitas opinionis, *incerta* eſt: neque enim haberi poteſt pro certo quod inter Doctores graves controvertitur. Ejuſmodi tamen probabilitatem, quamvis *incertam*, ſequi licet ſeu judicando, ſeu operando. Judicando quidem; quia prudenter judicatur eſſe, quod tot viri doctrinâ inſignes, eſſe judicarunt: operando verò, quia prudenter operatur quicumque operatur ex judicio prudenti; judicium autem de probabilitate, tot gravium Doctorum authoritate nixum, prudens eſt. Reſpondeo in illâ hypotheſi, ſi fortè probabilitas opinionis maneret *incerta*, ex illâ operari non licere; quia ad rectè operandum non ſufficit judicium quocumque modo prudens, operationis directivum; ſed requiritur judicium certò prudens, ſeu de cujus prudentiâ ſatis conſtat; quando autem probabilitas *incerta* eſt, judicium directivum operationis non eſt ita prudens, ut de illius prudentiâ ſatis conſtet; nam ſi ſatis conſtaret, jam certa eſſet judicii probabilitas, quæ tamen

An certa ſit probabilitas aſſerta à duodecim Doctoribus & negata ab octo.

Hoc ipso certa est opinionis probabilitas quò certum est opinionem niti motivis magnam veri apparentiã facientibus.

incerta supponitur. Verumtamen, si id quod est, diligenter & acutè advertimus, videtur esse *certa* probabilitas, quæ dicebatur esse *incerta*. Nam certa est opinionis probabilitas, cum certum est, opinionem niti solidis rationibus, quæ movere possunt viros prudentes. Atqui certum est, opinionem, quæ probabilis esse judicatur à duodecim authoribus gravibus, niti eandem rationibus valdè solidis, & ad viros prudentes idoneis movendos; fieri enim non potest, ut tot graves authores judicent opinionem esse probabilem, nisi rationes quibus opinio nititur, magnam veri speciem habeant, in quâ magnâ specie veri consistit bonitas, & gravitas rationum. Nec quidquam obstat certitudini probabilitatis, contradicentium octo Theologorum authoritas: nam licet fortè rationes propositæ minorem habeant apud istos Theologos apparentiam, nihil impedit quominus apud alios duodecim, magnam apparentiam habeant, tantamque verisimilitudinem, ut propter illam opinio judicetur *certò probabilis*. Ergo nihil impedit, quominus habendæ sint pro rationibus certò bonis; adeo ut ipsi octo Theologi, quamvis talibus rationibus parum moveantur, judicare tamen debeant eas esse certò bonas, si ad aliorum judicium attenderint: quia certum est bonas esse, & graves rationes quibus duodecim authores eruditi ita feriuntur, ut propter illas opinionem aliquam judicent esse *certò probabilem*. Esto non ita feriantur pauciores alii contradicentes.

Non tamen certò probabilis est quævis opinio quam unus aut alter Theologus probabilem dicit.

Instabis 1. ergo si unus aut alter Theologus opinionem aliquam dixerit esse probabilem, habenda erit pro *certò probabili*. Respondeo. Nego consequentiam. Nam quod uni aut alteri grave apparet, non continuò habendum est pro certò gravi; si præsertim pluribus aliis leve appareat. Quare si unus aut alter Theologus opinionem judicet esse probabilem, quam cæteri negant probabilem esse, opinio reputanda est pro improbabili, aut si quam habet probabilitatem, non tamen satis certam habere censensa est, ut ex illâ operari liceat. Sed quæ opinio, duodecim authoribus gravibus probabilis apparet, ex hoc certam probabilitatem habere censetur, licet reclament & contradicant pauci. Quia nimirum, ex hoc certum est, opinionem niti rationibus, quæ magnam apparentiam, & verisimilitudinem habent. Apparentia enim, quâ duodecim viri graves valdè feriuntur, *certò* magna est.

Instabis 2. Titius dubitans an liceat contractum aliquem facere, duos tres-vè Theologos, viros notoriè probos, & eruditos consulit de licentiâ contractus: iique si fortè responderint licere contractum, Titius honestè contractum facit, neque tamen habet *certam* licentiæ probabilitatem. Respondeo. Titio non deest *certa* licentiæ probabilitas. Est enim certus ex testimoniis trium Theologorum, quos consuluit, apparere sibi rationes graves judicandi licentiam contractus. Esto, *incerta* sit illi, istius modi apparentiæ veritas, non est tamen *incerta* existentia, & magnitudo apparentiæ, quæ si fortè *incerta* esset, jam Titio contrahere non liceret, quia si contraheret certus non esset, se prudenter operari.

Certa esse potest existentia magnæ apparentiæ quãvis veritas illius apparentiæ incerta sit.

Non sufficit probabi-

Dico 5. ad rectè operandum non sufficit probabilitas *objectiva simpliciter practica*, etiam *certa*. Ratio est; quia cum tali probabilitate *objectivâ*

ſtare poteſt judicium determinatè negans, licentiam operandi. Poteſt enim aliquis, exempli causâ, certus eſſe de probabilitate licentiæ pingendi, & ſimul determinatè judicare opus pingendi, ſibi hic & nunc, eſſe illicitum. Atqui habens tale judicium, pingendo peccaret. Eſt enim evidens peccare, quicumque operatur, id quod determinatè judicat, non eſſe ſibi licitum. Ergo ad rectè operandum non ſufficit probabilitas *objectiva*, eique neceſſe eſt, ut *formalis* probabilitas accedat.

litas objectiva ſimpliciter practica, etiam certa, niſi accedat formalis.

Objicies. Ubi certum eſt, probabile eſſe objectivè licere operationem, certum eſt eſſe rationes graves, quæ ſuadent licitum eſſe operari. Ergo certum eſt operationem eſſe licitam; quia certum eſt licitum eſſe, ſinere ſe moveri rationibus bonis ad operandum. Sufficit ergo probabilitas *objectiva*. Reſpondeo. Diſtinguo conſequens. Ubi certum eſt, eſſe rationes graves quæ ſuadent licitum eſſe operari, certum eſt operationem eſſe licitam, *fundamentaliter* & *remotè*: Concedo. *Præcisè* & *proximè*, Nego. Quando igitur certum eſt eſſe rationes graves, quæ ſuadent licitum eſſe operari, certum eſt licere operationem, ſi operans moveri ſe ſinat ad judicandam determinatè licentiam operationis. Rationes enim graves, eatenus valent ad habendam licentiam operationis, quatenus valent ad habendum judicium prudens, aſſertivum licentiæ, ſine quo judicio nunquam licita eſt operatio: quare ſi operans non ſinat ſe moveri rationibus bonis, ad licentiam operationis determinatè judicandam, aut per rationes contrarias determinetur ad judicandum, operationem non licere, ei nequaquam licebit operari. Ergo ex probabilitate *objectivâ* non habetur *præcisè*, & *proximè* licentia operationis, ſed *fundamentaliter* tantum & *remotè*, quatenus per *objectivam* probabilitatem acquiri poteſt judicium prudens determinatè aſſertivum licentiæ operandi; quod judicium cum poſſit non eſſe, poteſt quoque cum probabilitate *objectivâ* non eſſe licentia operandi.

Ex probabilitate objectivâ venire poteſt, & poteſt non venire judicium licentiæ operandi, ſine quo judicio nunquam licet operari.

Inſt. Quando certum eſt, eſſe rationes bonas ſuadentes non exiſtere legem, quæ prohibeat operari; certum eſt legem, ſi qua ſit, non obligare. Lex enim non obligat, quandiu non eſt ſufficienter propoſita. Non eſt autem propoſita ſufficienter, quandiu ſunt rationes bonæ negantes legem exiſtere. Reſpondeo. Quandiu certum eſt, eſſe rationes bonas, ſuadentes legem non eſſe, certum eſt legem non obligare. Diſtinguo propoſitionem; ſi operans ex rationibus bonis determinet ſe ad judicium prudens, quo credat legem non eſſe: Concedo. Si non ſe determinet ad tale judicium: aut per rationes contrarias, determinet ſe ad oppoſitum, Nego. Ratio nimirum eſt: quia ſemper lex obligat, ne quidquam contra ipſam fiat in ſtatu dubii: multo etiam magis obligat in ſtatu judicii, quo poſitivè creditur exiſtere. Ut ergo lex non obliget, debet operans, non ſolum abſtinere à judicio, quo credat legem eſſe, ſed etiam, utcumque judicare debet, non eſſe legem. At vero cum additur, legem non eſſe ſufficienter propoſitam, quandiu ſunt rationes bonæ, ſuadentes legem non eſſe; dicendum eſt, tunc legem non eſſe quidem ſufficienter propoſitam, ad inducendam obligationem abſolutam, & à libertate operantis omnino independentem; quia ut lex talem obligationem induceret,

Ubi quis judicat eſſe rationes ſuadentes legem non eſſe, tenetur lege vel non tenetur, prout judicat legem eſſe, vel judicat non eſſe.

deberet nullo modo esse in potestate operantis, subtrahere se obligationi legis; quando autem sunt rationes bonæ quæ suadent, legem non esse, plerumque pendet ab operante, subtrahere se, si velit, tali obligationi. Quia potest judicare prudenter legem non esse, id vero si judicaret, nequaquam lege teneretur. Sed quamvis sint rationes bonæ suadentes non esse legem, nihilominùs tamen potest lex, saltem aliquando, esse proposita sufficienter ad obligandum *hypostaticè*, & dependenter à libertate operantis, si nimirum operans non determinet se ad judicandum legem non esse, quæ hypothesis est in ipsius potestate.

Non semper sufficit probabilitas formalis simpliciter, practica, etiam certa.

Triplex istius probabilitatis abusus.

Dico 6. ad rectè operandum, non semper sufficit probabilitas *formalis simpliciter practica etiam certa.* Ratio est quia cum illâ probabilitate potest aliquis non rectè operari. Multiplex enim fieri potest abusus probabilitatis *formalis practicæ,* etiam *certæ.* 1. Est in modo formandi talem probabilitatem; nam si fortè non rationabiliter formetur, sed temerè, & imprudenter, hoc est, sine sufficienti rationum examine; jam ex illâ operans non rectè operabitur. Alter abusus est in modo habendi, seu possidendi probabilitatem. Nam si fortè operans non est sibi conscius suæ probabilitatis, non benè operabitur, illam sequens. Natura enim rationalis, essentialiter reflexiva est, nec continuò benè operatur, quòd rectam regulam sequitur, nisi conscia sibi sit se rectam regulam sequi. Quemadmodum non continuò prudenter agit, qui bonum aliquem sequitur viæ ducem, nisi sciat idem se bonum ducem sequi. 3. Abusus est in modo applicandi probabilitatem; nam si fortè cum probabilitate *practicâ* etiam *certâ*, sit incertus operans, an peccet operando, jam non rectè operabitur. Nemo enim rectè operatur, hæsitans aut formidans, an peccet operando, nisi fortè suam illam formidinem prudenter contemnat. Ergo nisi probabilitas talis sit, aut eo modo applicetur, ut à subjecto excludat formidinem peccandi rationabilem, aut certè ad formidinem prudenter contemnendam, subjectum suum determinet, jam ad rectè operandum non sufficit.

Probabilitas illa formalis perfecta ex parte objecti potest variè deficere ex parte actus. Si nempè malè formetur, malè possideatur, malè applicetur.

Objicies. Probabilitas *formalis simpliciter practica & certa*, est ipsummet judicium certò prudens, quo judicat operans, sibi hic & nunc, consideratis omnibus circumstantiis, operationem esse licitam. Tale autem judicium semper sufficit ad rectè operandum; nam si aliquando non sufficeret, posset operans, cum illo judicio, peccare; peccare autem non potest cum judicio prudenti, directivo suæ operationis. Respondeo. Probabilitas illa quam dixi non sufficere, est judicium certò prudens, ex parte objecti duntaxat, seu judicium rationibus certò bonis, & gravibus nixum, quo judicat operans sibi hic & nunc, licere operari, attentis omnibus circumstantiis objectivis, seu tenentibus se ex parte objecti: tale autem judicium, ad rectè operandum non sufficit; quia cum illo præcisè sumpto, si nihil aliud addatur, potest peccare operans, & imprudenter operari: tale nimirum judicium ita potest esse prudens, ex parte objecti, ut fortè satis prudens non sit ex parte actus; seu ex parte modi quo formatur, possidetur, applicatur. Cujusmodi erit, 1. Si formetur præcipitantius. 2. Si ita possideatur, ut operans sibi illius non sit conscius. 3. Si

non ita applicetur, ut omnem peccandi formidinem, à subjecto excludat, aut prudenter contemnat.

Atque hæc satis ut appareat quod in hoc præambulo susceperam demonstrandum; non omnem probabilitatem sufficere ad rectè operandum. Ex quo intelligi potest 1. quam audacter, & temerariè à libertinis hominibus, ferè ignaris, dicatur interdum, & in vulgus jactetur, sufficere ad rectè operandum, quamcumque probabilitatem, nullo facto probabilitatum discrimine. Intelligi potest 2. quam falsò & calumniosè scioli quidam, & invidi novatores talem ac tantum promiscuæ probabilitatis abusum, sapientibus Theologis imposuerunt, veram & legitimam probabilitatem cum spuriâ & illegitimâ confundentes. Intelligi potest 3. quam sapienter summi Pontifices, & Pastores Ecclesiarum adversus scandalosam promiscuæ probabilitatis doctrinam, pro zelo suo reclamaverint. Intelligi potest 4. quam difficile & operosum sit Christiano Theologo, ab omni falsâ & periculosâ probabilitate secernere probabilitatem veram & legitimam, quæ sola ad rectè operandum, sufficiat. Videtur quidem nobis non alia esse sufficiens, quam probabilitas *formalis, certa & simpliciter practica tum ex parte objecti, tum ex parte actus*; id quod videor mihi demonstrasse, aliarum omnium probabilitatum ad rectè operandum inutilium rejectione. Sed hæc ipsa probabilitas, quam sufficere volumus, seu legis sit, seu libertatis, seu in concursu, seu extra concursum unius cum alterâ, gravissimis controversiis obnoxia est: neque enim statim apparet, quomodo fundare possit conscientiam certam licentiæ operandi, aut obligationis non operandi; ac proinde non satis apparet, quâ tandem viâ decidi possit probabilismus moralis controversus, pro cujus examine statera quædam ut ita dicam, divina, quærenda nobis est.

Promiscuã probabilitatem scandalosè adoptant libertini, novatores falsò imputant sapientibus Theologis, Pontifices meritò dãnant & proscribunt.

Ad rectè operandum non alia sufficit probabilitas quã formalis, simpliciter practica, & certa est tũ ex parte objecti, tum ex parte actus.

PRÆAMBULUM IV.

Proponitur fidelis statera pro examine totius probabilismi moralis.

GRave monitum Augustini est, ne in æstimandis officiis nostris, afferamus stateras humanas, stateras ferè dolosas, & nimis fallaces. Absit igitur à me, ut pro staterâ, quam promissi, proponam stateram quandam humanam, stateram infidelem, effictam ferè totam, ex sensu privato unius aut alterius Doctoris, ex rationibus purè humanis, & argumentis quibusdam Sophisticis, de Academiâ, aut Lycæo venientibus, & suâ ferè subtilitate fallentibus. Stateram divinam proponere habeo, quæ tota consistit in *serie ordinatâ rationum divinarum ex quibus possit sapienter æstimari seu veritas, seu falsitas totius probabilismi moralis incerti adhuc & controversi.* Nam potest æstimari probabilismus.

L. 2. de Baptis.

Probabilismus moralis non ex hominum ingenio, sed ex Dei mente dijudicandus.

1. Ex ideâ Dei benè penetratâ, & perfectionibus divinis, in ideâ Dei eminentibus. Rectè enim scriptum est *in ipso veritas.* Nimirum ut Deus

1. Ex quibusdam Dei

perfectionibus. primum ens Physicum, fons est, & origo totius entis Physici; ita Deus prima veritas, origo est, & speculum totius veritatis, saltem necessariæ. Ipsâque experientiâ constat, sapientibus Theologis, ideam Dei profundè speculantibus, apparere interdum veritatem multiplicem, quæ aliunde, non appareret.

2. Ex primis prudentiæ regulis homini à creatore inditis.

2. Æstimari potest probabilismus, ex primis prudentiæ regulis, quas Deus digito suo in mente hominis exaravit. Nam quia paucorum est, ideam Dei profundè penetrare; Deus in tabulis cordis humani carnalibus, dignatus est scribere prima quædam principia disciplinæ moralis, & certas prudentiæ leges, ad quas, si voluerit homo, attendere, ut facile potest, ex iis inse per reflexionem deprehensis, pleraque officia morum clarè intelliget.

3. Ex verbo Dei seu scripto seu tradito.

3. Potest æstimari probabilismus, ex verbo divino, seu scripto, seu tradito. Nimirum Deus verbo suo divino, in Scripturâ, vel traditione contento, plerasque veritates aperit, quæ nec ex ideâ Dei benè penetratâ, nec ex solis prudentiæ regulis, satis innotescerent.

4. Ex sacris Canonibus.

4. Æstimari potest probabilismus, ex jure Canonico, seu ex sacrâ Canonum disciplinâ. Per sacros enim seu Conciliorum, seu pontificum Canones, quod in verbo divino obscurum, & dubium nobis videtur, illustratur identidem & illuminatur.

5. Ex sensu Ecclesiæ.

5. Demum, ex sensu & gustu Ecclesiæ, per orbem diffusæ. Ille enim Ecclesiæ gustus & sensus, verbi divini, & sacrorum Canonum est legitimus interpres.

Series illa rationum statera est idonea ad dignoscendam probabilismi veritatem, aut falsitatem.

Hæc est *statera divina* quam promisi; hæc series ordinata rationum divinarum. Ad hanc stateram probabilismum controversum appendere habeo. Ex hac serie ordinatâ rationum divinarum, probabilismi controversi seu veritatem, seu falsitatem, æstimari volo. Nec dubito quin Ecclesia, beatus ille grex, cui dedit Dominus de pascuis judicare, talem stateram probet, & ad decisionem totius controversiæ adhibeat. Nam si fortè quis probabilismus ideam Dei extenuaret, & perfectiones divinas indignè deprimeret: si primis prudentiæ regulis Dei digito exaratis, non satis cohæreret: si verbo divino seu per Scripturam, seu per traditionem notificato, contradiceret: si refragaretur communi sensui Patrum: si sacris Canonibus Conciliorum, aut Decretis Pontificum adversaretur: si denique gustui & sensui Ecclesiæ non satis saperet; ex hoc ipso probabilismus ille convinceretur esse falsus, improbabilis, & planè reprobus. In hoc enim unanimiter conveniunt ipsimet præcipui & sapientissimi probabilistæ, habendum esse pro falsâ, improbabili, & planè reprobâ, quamcumque doctrinam, quæ vel ideæ majestatis divinæ, vel primis prudentiæ regulis, vel Scripturæ, aut traditioni, vel communi sensui Patrum, vel sacræ Canonum disciplinæ, vel denique gustui Ecclesiæ non satis congruit.

Stet igitur, ex hac serie ordinatâ rationum divinarum, rectè æstimari posse seu veritatem, seu falsitatem totius probabilismi controversi; ac proinde stateram à nobis propositam, justam esse, & verè divinam. Sed ut ad hanc stateram singulæ probabilismi species ordine suo appendi possint,

proponendus

proponendus est verus status totius controversiæ, & tota de probabilismo controversia, in suas partes aptè distribuenda.

PRÆAMBULUM QUINTUM.

Distribuitur in suas partes tota controversia.

BIpartita, ut nobis quidem videtur, esse debet generalis de probabilismo, controversia; idque pro duplici statu probabilitatis, respectivo & absoluto, seu in concursu, & extra concursum. Potest enim esse probabilitatis cum probabilitate concursus. Potest item concursus quandoque non esse. Instituenda est igitur controversia duplex. Prima de probabilitate seu legis seu libertatis, in concursu unius cum alterâ. Secunda de probabilitate seu legis, seu libertatis extra concursum unius cum alterâ. Totius materiæ distributio in suas partes.

Et prima quidem de probabilitate in concursu, tribus omnino quæstionibus comprehenditur, pro triplici concursu probabilitatis cum probabilitate. Nam potest concurrere probabilitas major legis, cum probabilitate minore libertatis. Potest item probabilitas libertatis, concurrere cum æquali probabilitate legis. Potest denique probabilitas minor legis concurrere cum majore probabilitate libertatis. Ex hoc autem triplici concursu nascitur quæstio triplex. Prima est. An sit obligatio sequendi probabilitatem majorem legi faventem, in concursu probabilitatis minoris faventis libertati. Secunda. An sit licentia sequendi probabilitatem libertatis, in concursu probabilitatis æqualis legi faventis. Tertia. An sit obligatio sequendi minorem probabilitatem legis in concursu cum probabilitate majore libertatis. Partis 1. quæstio triplex.

Secunda vero controversia de probabilitate extra concursum, duas quæstiones complectitur. Unam, de probabilitate legis extra concursum, cum brobabilitate libertatis. Alteram de probabilitate libertatis, extra concursum cum probabilitate legis. Partis 2. quæstio duplex.

Hæc est naturalis & plena distributio totius materiæ de probabilitate, universam probabilismi controversiam planè exhauriens.

ANTIPROBABILISMUS.

QUÆSTIO PRIMA.

An sit obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, in concursu minoris probabilitatis faventis libertati.

PRÆMITTO I. Major probabilitas dicitur favere præcepto, quandò omnibus accuratè perpensis, graviores sunt rationes pro existentiâ præcepti, quàm pro non existentiâ. Minor verò probabilitas libertati favens, habetur eo ipso quòd sunt gravia quædam motiva, quæ probant, non esse præceptum libertatem ligans, minùs tamen gravia, quàm quæ probant, præceptum esse. Probabilitas major, & minor.

Præmitto 2. Probabilitas illa *major* præcepto favens, in concursu *minoris* libertati faventis, concipi potest major, vel *absolutè*, & *in se*, vel *respectivè*, & *in mente operantis*: nam fieri potest, ut quæ major est in se, & absolutè; respectivè tamen, & in mente operantis minor sit: potest item fieri, ut quæ major est respectivè & in mente operantis, sit eadem absolutè & in se minor: fieri denique potest, ut appareat talis operanti, qualis reipsâ est. Ubi observa, probabilitatem majorem absolutam, præcisè sumptam à statu quem habet in mente operantis, parum, aut nihil facere ad Quæstionis præsentis decisionem; quia probabilitas quantumvis reipsâ major sit, nisi & major appareat operanti, perindè est, ac si major non esset, in ordine ad directionem operationis: neque enim moveri potest operans eo probabilitatis excessu, qui operanti non apparet: quare probabilitas, de quâ loquimur, est probabilitas quædam major *respectivè* ad operantem. Probabilitas absoluta, & respectio.

Præmitto 3. Verus ergò quæstionis status est; An in materiâ morali & controversâ, si cui fortè, post examen sufficiens, motivis utrimque diligenter examinatis, graviora appareant motiva, quæ suadent, esse præceptum libertatem ligans, quàm quæ suadent, non esse præceptum; An, inquam, teneatur ille, sub eâ motivorum apparentiâ, sequi in operando majorem probabilitatem præcepto faventem, in concursu minoris probabilitatis faventis libertati, ut fert probabilismus *rigidus*, talem obliga- Status quæstionis.

tionem agnoſcens. In qua quæſtione, jam videri poſſim, præjudicaſſe contra probabiliſmum *rigidum*, in favorem *benigni*: ſtatui enim in Theologiâ noſtrâ; licitum eſſe, ſequi minorem probabilitatem faventem libertati, in concurſu majoris, præcepto faventis; & quidem ita ſtatui, ut mihi viſus ſim, aliquandò rem demonſtraſſe: nihilominùs tamen præjudicia omnia deponens, & priores demonſtrationes meas, qualeſcumque ſuſpectas habens, aggredior ſine rubore retractare ſententiam; nec dubitabo à me ipſo, fortè olim minùs conſulto, ad me ipſum hodiè fortè meliùs conſultum appellare; idque ſincero amore veritatis, quâ, ut loquitur Auguſtinus, *nihil fortiùs anima deſiderat*, & quam ſcio, occultari ad tempus poſſe, vinci omninò non poſſe.

Præſens ſententia authoris.

Videtur ergò eſſe obligatio ſequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, in concurſu minoris probabilitatis faventis libertati. Talis nimirùm obligatio, hodiè mihi multipliciter apparet, & in magna luce. Siquidem apparet 1. ex ipsâ ideâ Dei Legiſlatoris, benè penetratâ. Apparet 2. Ex primis prudentiæ regulis, in uniuſcujuſque conſcientiâ, Dei digito exaratis: Apparet 3. Ex verbo divino, ſeu ſcripto, ſeu tradito: Apparet 4. Ex ſacrorum Canonum diſciplinâ benè intellectâ: Apparet 5. Ex ſenſu Eccleſiæ, & guſtu Fidelium. Quibus rationibus divinis, Deo duce & auſpice, facturum me confido, ut ſi non omnibus, ſaltem pleriſque *rigidi* probabiliſmi veritas clarè appareat.

Firmamenta cauſæ unde petita.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTATIO PRIMA,

Ex ideâ Dei Legiſlatoris benè penetratâ.

Ex ideâ Dei.

IN ideâ Dei Legiſlatoris, ſi benè penetretur, eminebunt ſtatim tres perfectiones inſignes. Summum Dei dominium in creaturas, ſapientia Dei ſumma; & ſumma Dei ſanctitas. Ex quibus perfectionibus totidem Argumenta duci poſſunt, pro obligatione ſequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, in concurſu minoris probabilitatis faventis libertati.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM,

Deſumptum ex ſummo Dei dominio in creaturam rationalem.

Reverentia Domino perfectiſſimo

DEus, ex ipſo conceptu ſuo, intelligitur eſſe perfectiſſimus Dominus creaturæ rationalis: debetur autem ea reverentia perfectiſſimo Domino, ut ſubditus ſequi teneatur majorem probabilitatem præcepto fa-

ventem; id omninò exequens, quod probabilius apparet; sibi à Domino esse præceptum: eaque subditi obedientia videtur esse prorsus necessaria: nam si Dominus ab eâ eximeret subditum, jam irrationabiliter ab obsequio sibi debito eximeret, & eminentiæ Dominii sui, indignè derogaret, quod planè facere non potest Dominus perfectissimus: quia perfectissimi Dominii pars est aliqua, rationabilis zelus tuendi juris sui; & Dei Domini vox illa est: *Ego gloriam meam alteri non dabo.*

mo debita obligat ad faciendum id quod probabilius apparet esse præceptum. *Isa. c. 48.*

Confirmatur 1. Quia nisi dicatur Deus, ratione Dominii sui, talem necessitatem, & obligationem imponere subditis suis, jam non concipitur esse perfectissimus Dominus: poterit enim concipi Dominus excellentior scilicet, qui talem obligationem imponat, & trahat, ipso pondere Dominii sui. Ea nimirùm obligatio resultans in subditis, ex perfectione Domini, arguit in Domino, Dominium excellentius: Dominus enim, qui talis, ac tantus est, ut propter excellentiam Dominii sui obliget necessariò subditos ad faciendum, quodcumque probabilius videbitur ab ipso esse præceptum, concipitur Dominus aliquis excellentior, quàm qui subditos ita non obligat, libertatem relinquens non obtemperandi sibi, etiam in hypothesi præcepti sui probabilioris.

Sine tali obligatione creaturis impositâ non concipitur Deus perfectissimus Dominus.

Confirmatur 2. Ex servitute creaturæ essentiali, & relativâ ad Deum Creatorem: nam servitus illa creaturæ, respectu Dei Creatoris, talis ac tanta est, ut major esse non possit. Eâ nimirùm proportione crescit creaturæ servitus, quâ proportione crescit Dominium Creatoris: in servitute autem tali ac tantâ creaturæ, importari videtur obligatio ita serviendi Deo Creatori, ut creatura, sine peccato prætermittere non possit, aut dissimulare præceptum probabilius Dei Creatoris: nam si in servitute creaturæ talis obligatio non importaretur, posset excogitari major aliqua servitus, servitus creaturæ, respectu Creatoris: talis nimirùm, ac tanta servitus, quâ subditi tenerentur facere, quodcumque probabilius appareret, sibi à Domino fuisse imperatum: ergo servitus creaturæ respectu Creatoris summa non esset.

Servitus creaturæ nō finit prætermitti præceptū probabilius Dei Creatoris.

Confirmatur 3. Negari non potest, quin creatura teneatur id facere, quod negligere non potest, nisi Deo Domino suo rationabiliter invito: creatura autem negligere non potest observationem præcepti probabilioris, nisi rationabiliter invito Deo Domino suo: hanc enim observationem, si creatura negligat, jam non satìs videtur authoritatem Domini sui revereri; jam non satìs movetur divinâ illius voluntate; jam exponit se gravi periculo repugnandi ordinationi divinæ; nec dubitat obedientiæ bonum cupiditati, aut libertati suæ post habere: quæ planè omnia non possunt non displicere Domino, ac proindè si fiant, nonnisi Domino rationabiliter invito fiunt.

Creatura non potest negligere præceptum Dei probabilius, nisi rationabiliter invito Domino suo.

Confirmatur 4. Ex Dominio humano, seu hominis in hominem; Dominio duntaxat subalterno, participato, & imperfecto: nam si ex Dominio isto inferiore nascitur obligatio in subditis, sequendi majorem probabilitatem, præcepto humano faventem; quantò magis nascetur ex Dominio divino, Dominio supremo, Dominio essentiali, & primario: atqui ex Dominio humano nascitur obligatio sequendi majorem probabi-

Dominium humanum imponit subditis obligationē sequendi majorem probabilitas

tem præcepto humano faventem. litatem, præcepto humano faventem, in concursu probabilitatis minoris faventis libertati: siquidem tenetur. Homo, homini ita obedire, ut teneatur subditus id facere, quod ei probabilius apparebit, à Domino etiam homine, fuisse præceptum: nam si non fecerit, Domino displicebit, atque ut infidelis & inobediens pro merito suo punietur. Neque res ita difficilis intellectu est, in quocumque Dominio humano, seu *politico*, seu *militari*, seu *œconomico*: pauca quædam de singulis exempla sensibilia, rem demonstrabunt. Dominium Regis in subditos, *politicum* Dominium est: Rex ergo, exempli causâ, unum aliquem è subditis, venire jubeat de Provinciâ in comitatum, idque ad certam diem regiis litteris præscriptam: dies autem præscripta, sit prima mensis Aprilis; sed ita confusè notata, ut dubitari possit, primáne sit, an decima: consuluntur in dubio regiæ manûs cognitores, omninò quinque, omnes æqualis authoritatis; nec plures suppetunt, qui consulantur. Tres illorum, primam mensis à Principe constitutam putant; duo reliqui non primam, sed decimam: undè fit probabilius, velle Principem, ut subditus præsto sit in comitatu primâ die mensis; minùs tamen probabile velle eumdem, ut præsto sit decimâ die tantùm. In hac hypothesi quæritur, an sit obligatio in subdito sistendi se Regi vocanti primâ die mensis, quâ die probabilius est ipsum vocari; & nisi se sistat, an sit Regem offensurus? Offendet planè; neque opponere poterit, pro morâ excusanda, probabilitatem minorem, in authoritate duorum fundatam: reponet enim Princeps; & meritò quidem, reponet, tres pro acceleratione; duos tantùm pro morâ stetisse: duobus præponderare tres: & pro exequendâ Regis voluntate, debuisse subditum, majorem probabilitatem sequi, accelerationi faventem. Dominium Ducis in militem *militare* dominium est: Dux ergo militi imperet, ne à statione suâ discedat, eique imperium illud suum significari curet, per commilitones septem, quibus vivâ voce commisit, cùm scripto non posset: sed tres illorum, seu quia longiùs positi, seu quia durioris auditûs, de particulâ negativâ nihil audierunt; existimantes, Ducis voluntate, militi fieri veniam à statione periculosâ discedendi, non mandatum in statione perseverandi; quare militem monent, ut stationem periculosam deserat: contra verò alii quatuor constanter asserunt, velle omninò Ducem, ne à statione quantumvis periculosâ discedat. Quid faciet miles? An à statione discedet periculosâ nimis, quia minorem probabilitatem habet faventem libertati discedendi? Id verò si fecerit, nonne ut ignavus & inobediens ab Imperatore reprehendetur? An ei suffragabitur minor probabilitas ex trium testimonio veniens, contra probabilitatem majorem faventem præcepto de statione servandâ, ex aliorum quatuor testimonio venientem? Dominium *œconomicum* est mariti in uxorem, patris in filios, heri in servos: atqui ex ejusmodi dominio nascitur in subditis obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem. Nam si fortè maritus, exempli causâ, uxorem à colloquiis hominum, sibi suspectorum, prohibeat, sub pœnâ repudii, aut divortii: an uxor cum uno aliquo, quem probabilius judicat esse marito suspectum, colloqui ausit, eo prætextu, quòd minùs fortè probabile est, suspectum non esse? Non ausit

Dominium politicum.

Dominium militare.

Dominium œconomicum.

credo, si sapiat; alioquin si satis pudica, satis certè sapiens non erit, marito zelotypo, propter tale colloquium rationabiliter, displicitura. Filium suum clericum, providus pater, spectaculis publicis, pro patriâ potestate interdicit; seu vitandi causâ scandali, ne scilicèt vestem, & statum clericalem filius licentior dehonestet; seu causâ periculi, ne ipsâ videndi & audiendi voluptate, adolescentis animus emolliatur: an ille filius post interdictum patris, spectaculis clam & furtivè interesse præsumet, si probabilius ei fuerit, præceptum patris esse, ne ullo modo, seu clam, seu palam intersit; fortè prætendens, minùs probabile esse, præcepto patris non clandestinam & furtivam præsentiam, sed publicam solùm & scandalosam prohiberi? Non intererit, credo, filius bene moratus, & amans patris; quia si interesset, patri, quem amat, displiceret, aut displicendi periculo, se exponeret. Herus desidem nimis, & lusorem servum ab omni ludo abstinere jubet; quia servum vult esse impigrum & domi semper occupatum: an servus hero satisfaciet, si à ludo abstinere ipse contentus, totus fortè sit in lusoribus otiosè spectandis? Esto, probabile sit, ei non esse prohibitum, ludos aliorum spectare, sed tantùm ludere; quia aliud est ludere, & aliud spectare ludentes: cùm tamen ei probabilius sit, quo præcepto prohibetur ludere, eodem prohiberi, ne aliorum ludis spectator otiosus intersit: nónne, ut à ludo, ita & à ludi spectaculo abstinere debet? Debet sanè; mulctandus, nisi abstinebit. Nimirùm, ut vides, ex dominio humano, seu *politico*, seu *militari*, seu *œconomico* sequitur vera obligatio operandi secundùm majorem probabilitatem præcepto faventem, in concursu minoris probabilitatis faventis libertati: quantò ergo magis, ex dominio divino, dominio supremo, dominio altissimo, in quo est eminenter omne dominii genus, eadem obligatio nasci credenda est: nam Deus Dominus, Rex & Regum, & Dominus Dominantium; Deus bellator, Deus exercituum est; Deus, & pater, & sponsus, & herus noster est. *Magnificetur* ergo *Dominus super terminos Israël*, & Malachiæ verbis argumentum concludam; *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum: si pater ego sum, ubi & honor meus? Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Dicit Dominus exercituum.* *Malach. c. 1.*

Objicies 1. Si ex perfectissimo Dei dominio, arguitur obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem; arguetur pariter ex eodem dominio obligatio sequendi quamcumque Dei voluntatem, etiam illam, quæ dicitur *Consilii*: Consequens pugnat in terminis: nam si voluntas consilii obligans est, jam non consilium est, sed præceptum, quod sine errore dici non potest: certum enim est, & fide certum, aliqua esse, quæ Deo placet fieri à creaturâ, citra omnem obligationem faciendi: Argumentum igitur, pro obligatione sequendæ probabilitatis majoris præcepto faventis, ex summo Dei dominio petitum, falsa quædam & periculosa lux est, quæ in præcipitium ducit insani erroris. Sequela verò probatur. Quia exaggerabitur pariter dominium Dei, & servitus creaturæ, si dicatur teneri creatura facere, quidquid Deo magis placere, cognoverit. Respondeo. Nego sequelam, ejúsque probationem. Ratio

Perfectissimum Dei, dominium non postulat, ut omnis ejus voluntas sit præceptiva.

negandi est. Quia perfectissimus Dominus debet idem bonus esse: satis autem bonus non esset, si omnia præcepto concluderet; jam enim creaturam voluntate suâ non tam regeret, quàm illaquearet, imponens ei jugum intolerabile: quare evidens est, ex ipsâ notione dominii divini bene penetratâ, non omnem Dei volontatem esse obligantem, sed aliquam esse duntaxat consulentem, & non præceptivam. At verò ex obligatione sequendæ majoris probabilitatis præcepto faventis, nihil tale sequitur: nam Deus concipitur quidem esse perfectior Dominus, sed non nimis durus; & creatura concipitur quidem servire Deo majorem servitutem, sed non intolerabilem.

Obligatio inquirendi de majori, vel minori probabilitate, nimis dura non est.

Instabis. Obligatio sequendi majorem probabilitatem videtur & ipsa nimis dura esse, & obligationem trahere duriorem, obligationem scilicèt inquirendi de probabilitate seu majore, seu minore, & comparandi unam cum alterâ; quæ inquisitio & comparatio difficillima res est, ne dicam impossibilis. Respondeo. Obligatio sequendi majorem probabilitatem, spectata præcisè in se, & seclusâ obligatione inquirendi, videri non potest nimis dura: nam si obligatio exequendi præceptum, in hypothesi, in quâ certum appareret, nimis dura non esset; nihilò durior videtur esse in hypothesi, in qua præceptum apparet probabilius: istius enim apparentiæ seu excessus, seu defectus, præceptum nec minuit, nec aggravat: durities ergo, si qua est, tota venit ex obligatione inquisitionis, & comparationis faciendæ: sed ista inquisitio, & comparatio, de qua infra suo loco, duritiem non habet, quippe quæ postulat diligentiam aliquam duntaxat moralem, humanæ infirmitati & ignorantiæ attemperatam, ac proindè nec difficilem nimis, nec nimis onerosam.

Nec obligatio sequendi majorem probabilitaté.

Operatio contra præceptum etiã dubium illicita.

Objicies 2. Quodcumque sit Dei dominium, & quæcumque creaturæ servitus, non potest creatura teneri præcepto, quando rationabiliter dubitat, an sit præceptum: tandiu autem rationabiliter dubitat, an sit præceptum; quandiu cum majore probabilitate præcepti concurrit minor probabilitas libertatis; quia scilicèt probabilitas etiam minor libertatis fundat dubium rationabile de existentiâ præcepti. Respondeo. Nego majorem propositionem. In dubio enim de existentiâ præcepti, operari non licet contra præceptum, si dubitetur de licentiâ operandi; quia, juxta regulam à nobis suprápositam, peccat graviter. Quicumque operatur incertus, an peccet operando: qui autem operatur, dubitans an sibi liceat operari, operatur incertus an operando peccet: tandiù verò dubitatur de licentiâ operandi, quandiù certò non judicatur operandi licentia: atqui in hypothesi majoris probabilitatis præcepto faventis, judicari certò non potest licentia operandi contra præceptum; tum quia certa esse non potest licentia operandi, ubi probabilius est esse præceptum operationem prohibens; tum quia certum esse non potest, licere operari, ubi probabilius est, non licere; certitudo enim unius partis stare non potest, cum probabilitate partis oppositæ: est autem valdè probabile, non licere operari, quandiù præceptum probabilius est; quia valdè probabile est, Deum obligare ad sequendam majorem probabilitatem præcepto faventem, in concursu minoris libertati faventis.

Instabis.

Instabis. Major probabilitas præcepti non impedit, quominùs probabile sit, præceptum non esse: ergo potest prudenter judicari non esse præceptum: quandiu autem potest judicari non esse præceptum, nondùm præceptum satìs innotescit, in ordine ad obligationem inducendam, ac proindè nulla est præcepti obligatio, & libertas perindè est integra & expedita, ac si præceptum non esset. Respondeo. Esto, cum majore probabilitate præcepti stet adhuc vera probabilitas libertatis, ut fert hypothesis: Esto, judicari possit prudenter, præceptum non esse; quod tamen valde difficile est, & satìs dubium, ne dicam falsum: Esto, præceptum, quod judicari potest non esse, ex hoc non satìs innotescat, in ordine ad obligationem inducendam, saltem per se, & ratione sui, ex defectu propositionis sufficientis; quod quàm incertum sit, in decursu nostri examinis apparebit: Nego tamen quod indè infertur, nullam esse obligationem aliundè venientem, & libertatem perindè se habere, ac si præceptum non esset. Ratio negandi est. Quia stante majore probabilitate præcepti, fieri potest, & reipsâ fit, ut Deus præcepto generali, suprà majorem probabilitatem reflexo, obliget ad exequendam rem, præcepto directo & speciali imperatam; perindè ac si præceptum illud directum & speciale clarè & certò innotesceret: undè sequitur, libertatem non esse integram & expeditam, sed præcepto, saltem generali & reflexo, ligatam; quidquid sit de præcepto speciali & directo, nondùm fortè satìs per se ligante. Nimirùm præceptum illud generale & reflexum, quo Deus obligat ad majorem probabilitatem cujuscumque præcepti sequendam, manifestè possibile est; nec possibile tantùm, sed omninò necessarium videtur esse: seu penetretur dominium Dei perfectissimum in creaturam, & summa creaturæ servitus respectu Dei Domini sui: seu attendatur potestas humana, quæ suis etiam præceptis quibuscumque, veluti coronidem imponit legem illam generalem, quâ vult, ut subditi sequantur majorem probabilitatem præcepto faventem. Et verò si tantùm sibi arrogat potestas humana, quæ à Deo est, & à Dei dominio, omnis dominii fonte descendit; quantùm sibi arrogabit potestas divina? Si homo Dominus subalternus obligationem facit homini, sequendi majorem probabilitatem præcepto humano faventem; quantò magis Deus Dominus, Dominus supremus, id ipsum facere credendus est, respectu divini sui præcepti probabilioris.

Præceptum generale sequendi probabiliora non tantũ possibile est, sed etiam necessariũ, ex perfectissimo Dei dominio; ex summâ servitute creaturæ, ex usu potestatis humanæ.

Objicies 3. Inter dominium humanum & dominium divinum discrimen immensum est. Nam 1. fieri potest ut homo Dominus usurpet, quod suum non est, dominii sui fines excedens, & ultrâ volens, quàm velle rationabiliter possit. 2. Fieri potest, ut homo Dominus subditos gravet jugo intolerabili, & præceptis nimiùm duris illaqueet; quia durus ipse est. 3. Fieri potest, ut homo Dominus rei præceptę executione indigeat; quia & ipse, quantumvis divitem se credat esse, & nullius egentem, reipsâ pauper, & maximè omnium indigens est: quare si fortè obliget ad majorem probabilitatem sequendam, præsumi potest in eo, aut abusus potestatis, aut nimia durities, aut alienæ opis indigentia. Sed nihil eorum cadere potest in Deum Dominum, qui nec potestate

Discrimen inter dominium divinum & humanum non nocet superiori doctrinæ.

abutitur, quia summè justus; nec nimiùm durus est, quia summè bonus; nec rei præceptæ executione indiget, quia sibi ipsi summè sufficiens est: ergo nullum est argumentum, quod ducitur à dominio humano ad divinum. Respondeo. Immensum quidem discrimen est Deum inter, & hominem: sed quantumcumque sit discrimen, parum, aut nihil valet ad argumentum nostrum infirmandum: nam homo Dominus, Dominus legitimus, & legitimè procedens, nec opis alienæ indigens, potest facere obligationem sequendi majorem probabilitatem præcepto humano faventem. Potest v. g. Rex citra abusum potestatis, citra imperii duritiem, citra ullam indigentiam velle, ut subditi regio præcepto obediant, cùm primùm majorem illius probabilitatem habuerint: nam si fortè Ludovicus Magnus generatim edixerit, velle se, ut si dubitetur, an certus aliquis casus lege Codicis sui comprehensus sit; toties habeatur pro comprehenso, quoties majori parti judicum comprehensus esse videbitur: quis in tali Edicto, aut regiæ potestatis abusum, aut imperii duritiem, aut aliquam Regis indigentiam causari possit, vel suspicari? Nemo planè: sed omnibus unanimiter videbitur, Edictum illud esse omninò rationabile, nec minùs ad bonum subditorum, quàm ad gloriam regiæ potestatis pertinere: imò nisi fortè Rex ipse in dubio consuli velit & possit, quamvis tale Edictum Rex in Codice non expresserit, subintelligendum tamen est, & rationabiliter præsumendum, tanquàm nativum aliquod regiæ Constitutionis coronamentnm; quia regiæ majestati debetur ea reverentia, ut ex quo probabilius est, aliquid à Rege præceptum esse, continuò ad illud exequendum subditi obligentur. Quòd si authoritati regiæ tantùm debetur, quantùm debebitur authoritati divinæ? Si tantum est pondus unius, quantum erit pondus alterius? Cùm scriptum sit Sap. 11. *Tanquàm momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum.*

Instabis 1. Ex dominio humano ideò fit obligatio sequendi probabilitatem majorem; quia in præcipiendo homo Dominus non habet pro fine præcepti solam honestatem subditi operantis, sed aliud quoddam bonum ab operantis honestate distinctum, & per solam præcepti executionem, obtinendum; quo bono plerumque fraudarentur, si subditus pręcepto probabiliori non teneretur obedire: at verò Deus Dominus, sibi summè sufficiens, habet pro fine præcepti sui solam operantis honestatem, quem finem obtinere potest, etiamsi obligationem non fecerit sequendæ majoris probabilitatis præcepto suo faventis; quia scilicèt habebit semper subditum benè, aut certè non malè operantem; bonâ nimirùm fide ipsi suffragante, ut benè, aut saltem ne malè operetur: Ergo à Dominio humano nulla est consequentia ad Dominium divinum; quia inter utrumque magna diversitas est, petita ex insufficientiâ unius, & summâ sufficientiâ alterius. Respondeo. Ne ista quidem diversitas, quæcumque tandem sit, valere potest ad elevandam obligationem sequendæ majoris probabilitatis præcepto divino faventis: nam imaginaria est diversitas, quæ petitur ex diverso fine utriusque dominii: Deus enim ipse, quantumvis sibi summè sufficiens, habet plerumque pro fine pręcepti sui, bonum aliquod

Imaginaria est diversitas petita ex diverso fine utriusque dominii.

ab operantis honestate distinctum, & per solam præcepti executionem, obtinendum: Deus enim, qui vult homines habere sibi obsequentes, & in obsequendo benè operantes, vult idem glorificari per executionem rei præceptæ,& quoscumque videntes ad similem executionem excitari; quem profectò finem plerumque non obtineret,si liceret homini sequi probabilitatem minorem,libertati faventem, in concursu probabilitatis majoris,præcepto divino faventis: ex insufficientiâ ergo Dominii humani, & summâ Dominii divini sufficientiâ nullo modo fit, ut si qua ex Dominio humano veniat obligatio in subditis, sequendi majorem probabilitatem præcepto humano faventem, non veniat eadem, aut etiam major, ex Dominio divino respectu probabilitatis majoris,præcepto divino faventis.

Finis præcepti divini non est sola honestas operationis humanæ.

Instabis 2. Negari saltem non potest, quin homo Dominus plerumque indigeat fine illo ulteriore, quem per executionem præcepti sui obtinere intendit; quo tamen fine certum est, Deum Dominum non indigere: ergo negari non potest, quin sit aliqua ratio specialis propter quam homo Dominus subditos suos obligare possit, & debeat, ad sequendam majorem probabilitatem, præcepto suo faventem. Respondeo. Nec obligatio, nec vis obligandi venit ex indigentiâ, sed ex potestate & voluntate Domini: ergo cùm in Deo sit major potestas, nec minor voluntas obligationis faciendæ, negari non potest, quin Deus Dominus æquè ut homo, aut etiam magìs quàm homo obligare possit, ad sequendam majorem probabilitatem præcepto suo faventem. Nec quidquam obstat tali obligationi faciendæ summa Dei sufficientia, quâ fit, ut nullo bono creato indigeat. Nam 1. ista Dei sufficientia potestatem Dei non minuit, sed exaggerat: intelligitur enim Dominus eò plus habere potestatis, quò perfectior est, & sibi sufficientior. 2. Stare potest eadem sufficientia cum intentione boni creati obtinendi: potest enim Deus, quantumvis sibi sufficiens, velle efficaciter bona creata, quibus non indiget. 3. Denique non impedit ista sufficientia voluntatem obligandi subditos, ad bonum intentum, executione præcepti, obtinendum: undè, credo, evidens est, posse Deum, quamvis sibi summè sufficientem, ex intentione obtinendi boni creati, quo non indiget, obligare creaturam suam ad sequendam probabilitatem majorem, præcepto divino faventem, cujus præcepti executione bonum intentum plerumquè obtinebit, non obtenturus, si non obligaret: id verò si potest Deus Dominus, fecisse omninò credendus est, & ita fecisse, ut à faciendo abstinere non potuerit, quia perfectissimus Dominus est: nisi fortè idem præcepto suo clausulam aliquam derogatoriam expressè apposuerit, quâ declaret, nolle se obligare, quandiu stabit æqualis, aut certè minor probabilitas libertati favens: sed eam clausulam nec apposuit, quod sciamus, nec apponere potuit, pro summâ sapientiâ suâ, ut ex secundo argumento nostro apparebit.

Deus Dominus æquè ut homo, aut etiam magis quã homo obligare potest ad sequendam majorem probabilitatem præcepto suo faventem.

Nec quidquam obstat sufficientia Dei summa.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Ex summâ Dei sapientiâ petitum.

Deus ut sapiens multiplicem in præcipiendo finem sibiproponit.

Finem gloriæ suæ.

PRæmitto 1. Deus summè sapiens, & cujus *sapientiæ non est numerus*, in gubernatione creaturæ suæ rationalis multiplicem sibi finem præstituit, per præcepta sua divina obtinendum; finem scilicèt gloriæ suæ; finem sanctificationis creaturæ; finem ædificationis publicæ; finem beatitudinis cœlestis, quam omnibus destinavit bonus Dominus, *dives in omnes, qui invocant illum.* Ac 1. quidem cùm universa propter semetipsum operatus sit, ex præceptorum observatione intendit gloriam suam, nec eam solùm, quæ generaliter ei venit ex obedientiâ creaturæ, sed specialem etiam illam, quam ferè trahit fidelis executio rei præceptæ: in cujuscumque enim observatione præcepti, duplex est gloria Dei; una generalis, specialis altera: generalis dicitur, quæ de omni præcepto venire potest: nam quidquid Deus creaturæ præcipiat, gloria Dei est creaturam habere obsequentem; quia de obedientiâ creaturæ laudatur & glorificatur Deus: specialem verò Dei gloriam appello, quæ uni alicui præcepto ita propria est, ut non sit communis omnibus: nam rei præceptæ executio Deo plerumque affert gloriam specialem. Exemplum sit in præceptis Eleemosynæ, Orationis, Jejunii, &c. Aliam enim Deo gloriam affert eleemosyna, aliam oratio, & aliam jejunium. De eleemosynâ laudatur misericordia Dei, qui necessitatibus pauperum benignè providit. De oratione laudatur abundantia divina, quam ut fontem omnium bonorum fervens oratio sollicitat. De jejunio laudatur Dei justitia, propter quam placandam jejunatur. 2. Intendit Deus per sua præcepta sanctificationem creaturæ suæ, quæ sanctificatio partim consistit in fideli obedientiâ Deo exhibitâ; quò pertinet illud Psalmistæ: *Lex Domini immaculata convertens animas:* Nam quid est, creaturam sanctam esse, nisi Deo fidelem esse, & obsequentem? An possit non esse Deo placens & gratiosa creatura, quæcumque in omnibus Deo perfectè obediens est? 3. Intendit Deus publicam ædificationem: unusquisque enim Dei mandatis obediens, alios excitare solet exemplo suo, ad obedientiam, & reverentiam Deo communi Domino præstandam: quò pertinet illud Christi edictum. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est.* 4. Demum intendit Deus finem cœlestis beatitudinis, quam observationibus mandatorum alligavit Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Atque ii ferè sunt fines, ad quos Deus præcepta sua, & observationem præceptorum ordinavit; fines utique ipsius sapientiâ dignos.

Finem sanctificationis creaturæ.

Finem ædificationis publicæ.

Math. c. 5.

Finem beatitudinis cælestis.

Deus frustraretur fi-

Præmitto 2. Ex hac autem constitutione finium, sequitur evidenter 1, quod ait Psalmista: *Mandasti mandata tua custodiri nimis.* Deum scilicèt

velle, ut præcepta sua accuratè & exactè custodiantur: nam nisi accuratè & exactè custodirentur, Deus illos, quos sibi præstituit, fines, non obtineret. Sequitur 2. Nolle Deum, ut in observatione mandatorum, eâ regulâ dirigantur homines, quam si sequerentur, & ipsi passim à viâ mandatorum declinarent, & Deus finibus suis per observationem mandatorum intentis, ordinariè privaretur: nam si talem regulam Deus homini permitteret, jam nec vellet mandata sua custodiri nimis, nec observationem mandatorum ad supradictos fines, sapienter ordinaret. Sequitur 3. debuisse Deum pręscribere homini pro observandis mandatis, regulam aliquam, ignorantiæ & infirmitati humanæ attemperatam, quam si sequatur homo, certum sit, & hominem ipsum mandata Dei observaturum frequentiùs, quàm præteriturum, nec Deum ordinariè frustrandum finibus, per observationem mandatorum intentis; sed eos fines pluries obtenturum, quàm perditurum: talem enim regulam nisi dicatur Deus, homini præscripsisse, jam satìs sapiens esse non intelligetur; quia non intelligetur adhibuisse media satìs idonea, ad obtinendam observationem mandatorum, aliósve fines per mandatorum observationem consequendos. Ex quibus omnibus seu principiis, seu consequentiis, in ipsâ sapientiæ Dei notione satis apparentibus videtur omninò demonstrari obligatio sequendi majorem probabilitatem, præcepto faventem, in concursu minoris probabilitatis faventis libertati: sic enim argumentor.

ne intento si permitteret sequi minus probabile.

Deus summè sapiens, ad accuratam observationem mandatorum, præscribere non debuit homini, eam regulam, quam si sequeretur homo, Dei mandata & custodiret rariùs, & sæpius prętериret: atqui si sequeretur homo constanter minorem probabilitatem faventem libertati, in concursu majoris probabilitatis præcepto faventis, jam Dei mandata & custodiret rariùs, & sępius præteriret: ergo, &c. Major propositio haberi potest pro demonstratâ in præmissis: Minor verò facilè demonstratur: quia necesse est, minori probabilitati comparatæ cum majore, rariùs subesse verum, quàm falsum: toties autem præcepta Dei præteriret homo, quoties minori probabilitati falsum subesset, ut patet ex ipso intellectu terminorum: ergo minorem probabilitatem constanter sequens, præcepta Dei & custodiret rariùs, & sæpiùs præteriret. Sed quis satìs intelligat, Deum summè sapientem, & mandatorum suorum severum exactorem, eam regulam dedisse homini sequendam, ex quâ fiat, mandata sua & custodiri rariùs & sæpiùs præteriri? Contra verò quis non videat, Deum summè sapientem, ex quo populum suum ambulare voluit in columnâ nubis, hoc est, in medio obscuræ & nubilosæ probabilitatis, debuisse pro sapientiâ suâ, præscribere homini talem regulam, quam si tenuerit fidelis populus, mandata Dei, si non semper, certè frequentiùs observaturus sit, quàm præteriturus? Talis autem regula est probabilitas major præcepto favens, quam si sequatur homo, toties præceptum observabit, quoties ei suberit verum: atqui necesse est, majori probabilitati frequentiùs subesse verum: ergo majorem probabilitatem sequens præcepto faventem; præceptum observabit frequentiùs, quàm præteribit.

Deus summè sapiens non debuit homini præscribere eam regulam quam si sequeretur homo Dei mandata & custodiret rarius, & sæpius præteriret.

Confirmatur, & illustratur argumentum similitudine sensibili. Rex na-

Similitudo ex navigatione.

vem instruxit, & in eâ, quidquid charum habet, conclusit; gubernatorem, qui ad gubernaculum sedeat, ei providens, Ducemque simul præficiens, qui Gubernatori, quâ sit eundum, in dubio recti itineris, pro imperio declaret: de manu autem Principis, tres pixides nauticas Gubernator accipiat; unam certam & infaillibilem, quæ se ad verum Polum constanter & indeclinabiliter convertit; duas minùs certas, & inæqualis virtutis, quarum una quandoque à vero Polo deerrat quidem, sed eum tamen frequentiùs sequitur; altera verum Polum quandoque monstrat, sed ab eo quoque frequentiùs declinat. Porro inter syrtes & scopulos, in mari periculoso, naufragiis & latrociniis infami, navigandum est. Ecce autem postquàm navis è portu solvit; in nocte tenebrosâ, quando stella Poloris non apparet, dubitat Gubernator, quà sit eundum, Ducis imperium expectans: certa pyxis præsto non est, & virtutem suam, nescio quo fato, perdidit; motum non habet: ad alterutram ex duabus minùs certis recurrendum est: utram ergo duarum adhibebit, si sapiat? Nunquid pyxidem magis probabilem, quæ minùs & rariùs à verò Polo declinat? Nunquid eamdem Gubernatori fortè hæsitanti Dux sapientior, pro imperio sequendam præscribet; ídque juxta sapientissimi Principis, si non expressam voluntatem, saltem interpretativam & rationabiliter præsumptam? Ita sanè: nam quis credat, velle sapientissimum Principem, ut pyxidem minùs probabilem, quæ frequentiùs à vero Polo declinat, aut Gubernator adhibeat, aut Dux sequendam præscribat? Quis credat, utriuslibet pyxidis usum liberum reliquisse? Nec saperet Gubernator, si minùs probabilem adhiberet; nec saperet Dux, si Gubernatori sequendam præscriberet; nec saperet ipse Princeps, si alterutrius pyxidis, Gubernatoris aut Ducis arbitrio, liberum usum permitteret. Quò tandem spectet ista similitudo in promptu est. Sumus omnes in eâdem navi: syrtes inter & scopulos navigamus: ad gubernaculum sedet gubernator intellectus: Dux navigationis est voluntas, cum jure imperii in intellectum: stella Polaris est voluntas Dei præceptiva, quam sequimur, ut regulam viæ nostræ: Pyxis nautica, est conscientia humana, voluntatem divinam demonstrans & intimans: certa Pyxis, est conscientia certa divinæ voluntatis: pyxis incerta, verum Polum frequentiùs indicans, est conscientia probabilior: pyxis verò incerta, frequentiùs à vero Polo declinans, est conscientia minùs probabilis: sed plerumque non habetur conscientia certa: quare superest conscientia probabilior præcepto favens, aut minùs probabilis favens libertati: Syrtes & scopuli sunt ipsæ transgressiones Legis divinæ, ad quas transgressiones plerumque allidi necesse est navim nostram, si minorem probabilitatem libertati faventem sequamur. Credibile autem non est, Deum sapientissimum; minoris probabilitatis libertati faventis usum nobis tradidisse, aut liberum reliquisse: sed plusquàm credibile est, obligationem fecisse sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem: nam si non fecisset, satis sapiens non esset: hanc ergo nisi sequatur intellectus, imprudens est; nec minùs imprudens voluntas, nisi præscribat sequendam.

Objicies. Probabilitatem minorem libertati faventem, etiam cùm ei

falsum subest, quicumque sequitur, dici tamen non potest præterire præceptum; quia præterit solùm materiale præcepti, formale non præterit: materiale autem præcepti, secluso formali, præceptum non est, sed corpus duntaxat præcepti, animâ & spiritu destitutum, cujus præteritio, Deo satis indifferens est. Nimirùm anima & spiritus præcepti, est obligatio activa, seu vis proxima obligandi: præceptum autem vim proximam obligandi non habet, in statu minoris probabilitatis libertati faventis: ergo minorem probabilitatem sequens, etiam cum ei falsum subest, dici non potest, præceptum præterire: undè ulteriùs sequitur, potuisse Deum summè sapientem, salvâ sapientiâ suâ, dare homini, probabilitatem minorem libertati faventem, pro verâ & certâ regulâ operandi; certus scilicèt, ab homine illam sequente, præceptum non posse præteriri; quia in statu probabilitatis etiam minoris libertati faventis, præceptum non est, saltem vivum & obligans. Respondeo. Materiale præcepti, quamvis suscipiat præcepti denominationem, & præceptum appelletur, reipsâ tamen, solitariè sumptum, & obligatione seclusâ, præceptum non est; sed corpus duntaxat, & veluti cadaver præcepti, animâ & spiritu vivificante destitutum; spiritus enim & anima præcepti, est obligatio: sed planè nego, in statu minoris probabilitatis libertati faventis, materiali præcepti deesse animam, & spiritum vivificantem; quia scilicèt cum probabilitate minore libertati favente, concurrit probabilitas major præcepto favens, ex quâ majore probabilitate venit præcepto, spiritus & anima vivificans, per voluntatem Dei, ad majorem illam probabilitatem sequendam, ut supra statuimus, pro suâ sapientiâ obligantis.

Operatio contra majorem probabilitatem præcepto faventem est transgressio quædam formalis.

Instabis 1. Materiale præcepti satis indifferens est Deo sapientissimo, id solùm curanti pro suâ sapientiâ, ut creaturam habeat obedientem, aut certè non inobedientem: obedientem verò, aut certè non inobedientem habebit, ex quâcumque probabilitate, seu majore, seu minore creatura operetur; quia inobediens esse non potest, nisi per transgressionem præcepti alicujus obligantis: in statu autem cujuscumque probabilitatis libertati faventis, seu major illa sit, seu minor, præceptum non est obligans. Respondeo. Nego antecedens, ejusque probationem. Falsum enim est, Deo indifferens esse, quod Deus ita fieri vult, ut ejus faciendi obligationem imponat: imponit autem, etiam pro statu probabilitatis minoris libertati faventis. Falsum item est, id solummodò curare Deum, ut creaturam suam obedientem habeat, aut certè non inobedientem: Deus enim præter gloriam suam, ex obedientiâ creaturæ intentâ, alios fines intendit; eósque gravissimos; quos fines, sine executione rei præceptæ, non obtinebit. Atque hinc oritur magna quædam & splendida lux, pro obligatione sequendæ majoris probabilitatis præcepto faventis: nam toties à Legislatore sapiente præsumi debet imposita obligatio exequendi præceptum, quod probabilius est, quoties finis præcepti, non est sola honestas operandi, sed finis aliquis alius, qui per bonam fidem operantis, obtineri non potest. Exemplum sit obligatio, judicibus imposita, adjudicandi litem ei parti, quæ jus habuerit probabilius: quia scilicèt

Est obligatio exequendi præceptū probabilius, cujus finis non obtinetur per bonam fidem operantis.

finis præcepti justitiæ, non est sola honestas judicantis, sed debita æqualitas inter partes litigantes, servanda, aut restituenda; quæ profectò æqualitas non haberetur per bonam fidem Judicis, litem fortè adjudicantis ei parti, quæ jus habet minùs probabile: nam si Judicibus liceret stare in judicando pro jure minùs probabili, relicto probabiliore, æqualitas illa, quæ judiciorum finis est, etiam cum bonâ fide Judicum, rariùs obtineretur: quare ad istam æqualitatem frequentiùs obtinendam, necesse est, obligare Judices ad majorem probabilitatem juris, in judiciis sequendam. Ergo præsumendum est, à Legislatore supremo, Legislatore sapientissimo, obligari creaturam ad sequendam probabilitatem majorem præcepto faventem, saltem in materiâ cujuscumque præcepti, quod tale est, ut præter honestatem operandi, alium finem habeat, solâ bonâ fide operantis non obtinendum.

Instabis 2. Multa sunt præcepta, quæ pro fine habent solam honestatem operandi; cujusmodi videntur esse, quæcumque versantur circa actiones purè internas: ergo saltem in his pręceptis, potuit Deus sapientissimus, dare pro regulâ probabilitatem minorem libertati faventem; quia per usum probabilitatis minoris, finem intentum certissimè obtenturus est. Respondeo 1. Nego antecedens. Nullum enim præceptum est, in quo Deus non aliquem sibi finem proponat, ab honestate operantis distinctum. Nam de præceptis quidem, quæ versantur circa actiones externas, nullum dubium est: præcepta verò, quæ solas actiones internas respicere videntur, & ipsa quoque ad actiones aliquas externas, saltem mediatè referuntur: quare in his etiam præceptis, si Deus homini minoris probabilitatis usum permitteret, jam nec actiones externas, quas intendit mediantibus internis, nec alios fines per actiones externas intentos; plerumque obtineret. Respondeo 2. Nego consequentiam. Nam in illis etiam præceptis, si quæ fortè sunt ejusmodi, in quibus solus finis, est honestas operandi, non potuit Deus satis sapienter, minorem probabilitatem libertati faventem, dare pro regulâ; quia per usum probabilitatis minoris, finem intentum non obtineret. Nimirùm honestas operandi, quæ intenditur, est obedientia creaturæ, præcepto divino exhibenda: creatura autem minorem probabilitatem sequens libertati faventem, jam non obediret pręcepto divino, sed ei plerumque se subtraheret: aliud autem est, subtrahere se pręcepto; aliud præcepto obedire: esto, creatura non esset inobediens, seu repugnans præcepto obliganti; eadem tamen dici non posset positivè obediens; quia pręcepto subtrahere se, non est præcepto obedire: undè ulteriùs sequitur, ex usu probabilitatis minoris libertati faventis, si fortè permitteretur, necessariò futurum, ut Deus nec creaturam suam haberet obedientem, nec gloriam, quam ex obedientiâ creaturæ suæ intendit, plerumque obtineret.

Deus præcipiens fines quosdam semper intendit distinctos ab honestate operantis.

Sequens minorem probabilitatem non obedit, sed se subtrahit præcepto, quare Deũ frustratur fine intento, qui est obedientia positiva.

ARTICULUS

ARTICULUS TERTIUS.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Ex summâ Dei sanctitate depromptum.

PRæmitto statim, quod clamare non cessant Seraphini alter ad alterum: *Sanctus Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloriâ ejus*; seu gloriâ sanctitatis ejus: sanctitas autem consistit, partim in aversione in eo, quod malum & iniquum est; partim in determinatione ad id, quod est bonum ac rectum. Ex quâ notione sanctitatis, intelligi potest. 1. Deum ita esse sanctum, ut nec peccare ipse, nec peccatum creaturæ approbare possit. Nam si approbaret, peccaret ipse approbando quod malum est: aut certè ipsummet peccatum, Deo approbante fieret quid bonum & licitum; quæ metamorphosis repugnat: peccatum enim est essentialiter quid malum, & illicitum. Intelligi potest 2. Deum sanctum habere ex sanctitate suâ, ut sit determinatus ad id, quod bonum & rectum est; seu, ut meliùs dicam, Dei voluntatem esse ipsammet rectitudinem, & sanctitatem, regulam omnis rectitudinis, & sanctitatis creatæ; ita ut nihil creatum rectum, ac sanctum sit, nisi perfectè consonet voluntati divinæ. Intelligi potest 3. Deum ita esse sanctum, ut necessariò velit, creaturam rationalem & à malo aversam esse, & ad bonum inclinatam, seu, quod idem est, creaturam omninò cavere, ne quid faciat contrarium voluntati divinæ obliganti, eamdémque determinare se ad faciendum quodcumque rectum est, seu voluntati divinæ obliganti consonum: perfectior enim intelligitur esse conceptus sanctitatis divinæ, si Deus intelligatur necessitatus ad exigendam à creaturâ istiusmodi aversionem à malo, & determinationem ad bonum.

> Sanctitas Dei in quo consistat.
> 1. In aversione ab eo quod malum est.
> 2. In determinatione ad id quod est bonum.
> Deus ut summè sanctus necessariò exigit à creaturâ rationali sinceram aversionem à malo, & inclinationem ad bonum.

Præmitto insuper. Quidquid præcipiat Deus, ipsâ Dei voluntate præcipiente fit bonum, & quidem ita necessarium, ut sine peccato omitti non possit: contra verò quidquid Deus prohibeat, ipsâ Dei voluntate prohibente ita fit malum, ut peccet creatura, nisi ab illo abstineat. Undè intelligitur 1. Deum pro suâ sanctitate necessariò velle, ut creatura rationalis ad illud omne se inclinet, quod Deus præcipit, & ab omni illo se avertat; quod Deus prohibet. Intelligitur 2. Ex quo quid apparet à Deo esse prohibitum, ex hoc habere speciem mali: ex quo autem quid apparet esse à Deo præceptum, ex hoc habere speciem boni. Intelligitur 3. Quod probabilius apparet esse prohibitum majorem speciem mali habere, quàm boni: quod vero probabilius apparet, esse à Deo præceptum, majorem boni speciem habere, quàm mali. Atque ex his præmissis, & bene intellectis pro obligatione sequendi probabilitatem majorem præcepto faventem, sic arguo.

> Quidquid Deus præcipit, ipsâ Dei voluntate præcipiente fit bonum, quidquid prohibet, ipsâ Dei voluntate prohibente fit malum.
> Quod probabilius videtur prohibitũ, majorem mali, quam boni speciem habet.

Deus sanctus pro suâ summâ sanctitate vult, ut creatura avertat se ab eo, quod majorem mali speciem habet, quám boni: ergo necessariò

Deus ut summè sanctus necessariò vult ut homo fugiat minus probabile quia in eo major est species mali quam boni.

vult idem, ne creatura sequatur minorem probabilitatem faventem libertati in concursu probabilitatis majoris præcepto faventis. Consequentia patet: nam ubi creatura determinat se ad minorem probabilitatem libertati faventem, jam determinat se ad sequendum illud quod probabilius apparet, esse à Deo prohibitum: quod autem tale est, majorem mali speciem habet, quàm boni: Antecedens verò probatur: quia Deus ex suâ summâ sanctitate necessitatur ad exigendam à creaturâ suâ vehementem quamdam & sinceram aversionem à malo; non futurus satìs sanctus, si ad ejusmodi aversionem exigendam non necessitaretur: sincera autem & vehemens aversio à malo, efficaciter determinat ad fugiendam ipsam speciem mali, saltem majorem: ergo ad fugiendum illud, quod majorem habet mali speciem, quàm boni.

Sincera aversio à gravi malo temporali determinat ad fugiendum idquod probabilius apparet esse malum illud, quam non esse.

Confirmatur. Vehemens & sincera aversio à malo temporali, determinat ad ipsam speciem mali fugiendam; ita ut qui aversatur temporale aliquod malum, præsertim si grave sit, fugiat idem efficaciter quodcumque ejusdem mali tantam speciem præ se fert, ut probabilius appareat malum esse, quàm non esse: ergo vehemens & sincera aversio à malo morali, quod genus mali est omni malo temporali physico gravius, impellere ac determinare debet ad ipsam speciem mali moralis fugiendam, adeò ut, qui malum morale aversatur, fugiat idem efficaciter, quodcumque mali moralis talem ac tantam apparentiam habet, ut probabilius sit, malum esse morale, quàm non esse. Principium in antecedente positum, fieri potest sensibile inductione familiari. Nam qui lepram horret, exempli causâ, horret quoque ipsam lepræ speciem, & ita horret, ut neque cum leproso manifesto dormire velit, neque cum leproso probabiliore, seu quem probabilius est, leprosum esse, quàm non leprosum. Et verò lex illa, quâ præcipiebatur olim, ut leprosi extra castra mitterentur, nemo, opinor, dubitare possit, quin ad illos etiam pertineret, quos verisimilius erat, leprosos esse, quàm non esse. Quo tempore grassatur pestifera lues, ex timore morbi grassantis interdicitur commercium cum pestiferis; eáque interdictione ab urbe prohibentur, non modò quos peste infectos esse constat; sed quos etiam probabilius est, peste esse infectos, quàm non esse. Belli tempore militares excubiæ fiunt pro arce custodiendâ: timentur hortes arcem circumobsidentes, eóque timore fit ut custodes arcis, non eos solùm arceant, quos liquet esse de numero hostium, sed alios etiam omnes, quos verisimilius est, hostes esse, quàm non esse. Puella pudoris & virginitatis amans, quia stuprum timet, non modò publicum & manifestum prostibulum fugit, sed aliam quoque suspectam domum, quamcumque probabilius est, prostibulum esse, quàm non esse, Atque hæc, credo, plusquàm satìs, ad demonstrandum, veram & sinceram aversionem à malo physico non ad illud solùm pertinere, cui manifestè inest ratio mali, sed extendi etiam ad illud omne, cui probabilius est rationem mali inesse. Consequentia verò quæ ducitur à malo physico & temporali ad malum morale, seu peccatum, non videtur posse negari, quippe quæ ducitur à minori ad majus: nam malum morale, seu peccatum, lepra est, & plusquàm lepra; lues est, & gravius aliquid lue;

Exemplum hominis lepram horrentis.

Militum arcem custodientium.

Puellæ virginitatis amantis.

hostis est, & aliquid hoste pejus; stuprum est, juxta illud Prophetæ: *Constupraverunt te usque ad verticem.* Jerem. c. 2.

Objicies. Quandiu probabilitas minor libertati favet, id quod præcepto prohibetur fortè quidem malum morale est materialiter, seu peccatum materiale; non est tamen peccatum formale; quia probabilitas à peccato formali excusat: Deus autem ob humanam sanctitatem suam vult necessariò ut creatura habeat sinceram & vehementem aversionem à peccato formali: sed aversionem à peccato materiali non ita exigit; ut vel hinc patet, quòd in hypothesi ignorantiæ invincibilis, Deus interdùm præcipit, aut præcipere potest peccatum materiale. Respondeo 1. Probabilitas minor non excusat à peccato formali, si Deus obliget creaturam suam ad sequendam probabilitatem majorem præcepto faventem: obligat autem, ut supra ostendimus, & ideò obligat, quia summè sanctus est; non futurus satìs sanctus, si non obligaret. Respondeo 2. Peccatum materiale & ipsum fugiendum est, si tale appareat sufficienter: apparet autem sufficienter talê ex majore probabilitate præcepti prohibentis. Neque dici potest, ignorari simpliciter malum esse, quod talem ac tantam habet speciem mali, ut probabilius sit malum esse, quàm non esse. In hypothesi quidem ignorantiæ invincibilis fieri potest, ut quis dispensetur à peccato materiali fugiendo, imò per accidens ad illud prosequendum teneatur, si fortè ex errore invincibili bonum esse credat, quod reipsâ malum est, & præceptum esse, quod est prohibitum: sed hypothesis probabilitatis majoris præcepto faventis, non est hypothesis ignorantiæ invincibilis eximens à peccato materiali fugiendo: quia invincibilis & inculpabilis ignorantia rei, stare non potest cum cognitione rei probabiliore, ut in argumentatione sequenti pluribus explicabitur.

Minor probabilitas nō excusat à peccato formali contra divinam legem de præcepto suo probabiliore exequendo.

Peccatum ipsum materiale fugiendum, si sufficienter appareat.

Non ignoratur lex illa Dei quā probabilius est excitere, quam non excitere.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTATIO SECUNDA,

Ex primis prudentiæ regulis in utriuscujusque mente Dei digito profundè exaratis.

Triplex prudentiæ regula.

ARgumenta divina, quæ ex ipsâ Dei notione deprompsimus, non dubito, quin ardua nimis videantur hominibus in scrutando illo omnis veritatis thesauro, parum exercitatis: quare visum est, argumenta iisdem humana suggerere, accommodatiora ad ipsorum captum: nam etsi ad Deum assurgere satìs non possint, poterunt tamen in seipsos reflectere, & in tabulis cordis sui carnalibus legant primas quasdam prudentiæ regulas Dei manu exaratas. Una spectat directionem intellectus. Altera directionem voluntatis. Tertia directionem externæ operationis. Ex quibus regulis argumenta ducturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM,

Deductum ex primâ prudentiæ regulâ pro directione intellectûs.

Natura rationalis neque ab assensu abstinere potest ubi verum clare apparet, neque à dissensu ubi falsum.

PRæmitto 1. Natura rationalis, quia est essentialiter intellectiva veri, ita determinata est ad essentiendum vero, & dissentiendum falso, ut ubicumque clarè apparet verum, abstinere ab assensu non possit, & ubicumque clarè falsum, dissentiri necessariò debeat. Hæc est lex æterna, & naturalis inclinatio intellectûs, qui, instar magnetis, verum inter & falsum, duos inter Polos diversos constitutus, unum necessariò sequitur, alterum fugit.

Inevidentia rei suspendit assensũ & dissensũ.

Status dubii venit de lege æterna.

Præmitto 2. Ubi non est pura & plena lux veritatis, sed umbrâ & obscuritate aliquâ miscetur & temperatur, ita ut neque veritas, neque falsitas evidenter appareat, potest intellectus suspendere assensum & dissensum; imò nec assentiri potest, nec dissentiri, nisi per imperium voluntatis ad alterutrum determinetur. Hic est status dubii & hæsitationis, originem ducens à lege æternâ sapientissimâ: nam si quâcumque specie veritatis ita traheretur intellectus,ut continuò reparetur in assensum, jam ad errorem plerumque cogeretur. Quia plerumque fit, ut appareat falsum, sub aliquâ specie veri.

Species veri,cum specie falsi variè miscetur.

Species veri interdũ est major, interdum minor, interdum æqualis.

Prēmitto 3. Ut lux cum umbrâ, ita species veri cum specie falsi variè miscetur & temperatur: istius autem mixtionis & temperaturæ triplex est modus. 1. Quando major est species veri, quàm falsi. 2. Quando major est species falsi, quàm veri. 3. Quando species veri cum æquali specie falsi concurrit. Sed quocumque modo misceatur species veri cum specie falsi, anceps erit & dubius intellectus, inter verum & falsum tandiu suspensus, donec per imperium voluntatis in unam partem determinetur.

Determinandus à voluntate intellectus directè, vel indirectè.

Quid sit directa & indirecta determinatio per voluntatem.

Præmitto 4. Determinatio autem ista intellectûs per voluntatem, concipi potest fieri dupliciter; directè nimirùm, vel indirectè: directè quidem; si intellectum, ad motiva utriusque partis attendentem, flectat voluntas, in quamcumque partem libuerit: indirectè verò, si intellectum avocans à consideratione motivorum unius partis, flectat in alteram, ad motiva illius unicè consideranda. Et hic quidem postremus determinationis modus ita sub experientiam cadit, ut à nullo negari possit: sed modus ille primus satis controvertitur; in quâ tamen controversiâ nobis non vocat immorari; tum quia satis certò decidi non potest; tum quia decisio illius ad causam nostram necessaria non est.

Quæcumque illa sit non est ar-

Præmitto 5. Quæcumque sit determinatio intellectûs à voluntate, despotica non est & arbitraria voluntati; sed fieri debet prudenter, & modo convenienti, seu consentaneo inclinationi naturali, quam habet intellectus ad verum sequendum, falsumque fugiendum: modus autem tali inclinationi consentaneus postulat, ut si major est species veri, quàm falsi flecta-

tur intellectus ad assensum; sin autem major est species falsi, quàm veri, flectatur ad dissensum: ergo ex præsupposità inclinatione naturali intellectûs ad verum sequendum, falsumque fugiendum, nascitur in voluntate obligatio determinandi intellectum dubium & hæsitantem, ad majorem speciem veri sequendam, & majorem speciem falsi fugiendam. Ratio nimirùm est. Quia iste determinationis modus, si constanter tenebitur, eveniet necessariò, ut intellectus in judicando, si non semper, certè pluries verum attingat, ad quod attingendum naturalem inclinationem habet: non attinget autem, sed ad falsum, ut ad scopulum impinget frequentiùs, si modus iste determinationis non servetur. Ex quibus omnibus satis, credo, apparet intellectum, seu naturali inclinatione suâ, seu sapiente determinatione voluntatis, debere constanter, & verum sequi, & falsum fugere. Hæc est prima prudentiæ regula pro directione intellectûs: lex nimirùm æterna sequendæ veritatis, quam unusquisque, si benè advertat, in se ipso profundè exaratam inveniet; atque ex naturali studio veritatis sibi indito, planè intelliget. Ex hac autem regulâ validum duci potest argumentum pro obligatione sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, in concursu minoris probabilitatis faventis libertati: sic enim discurro.

bitraria voluntati.

Voluntas non debet determinare intellectū nisi ad id quod habet majorem speciem veri.

Intellectus seu naturali inclinatione suâ, seu sapiente determinatione voluntatis debet constanter & verum sequi, & falsum fugere.

Intellectus, in hypothesi majoris probabilitatis, quæ præcepto favet, & probabilitatis minoris, quæ favet libertati, vel manet anceps & dubius, præceptum inter & libertatem suspensus, vel de statu dubii & suspensionis ad determinationem transit. Si 1. operari homini non licet contra præceptum probabilius; peccat enim, qui operatur in dubio licentiæ operandi: quia nimirùm operatur, incertus, an liceat sibi operari, ac proindè incertus, an peccet operando: quare ut operari possit, transire debet in aliquam determinationem. Si 2. determinari certè non potest ad utramque partem contradictionis simul judicandam; quia judicare non potest, simul esse præceptum, & non esse: est enim evidens falsitas, simul esse præceptum, & non esse: repugnat autem determinationi naturali intellectûs, judicare falsitatem evidentem: superest igitur, ut determinetur ad alterutram duarum partium judicandam; vel existentiam præcepti probabiliorem; vel libertatem minùs probabilem: atqui determinari non potest ad judicandam libertatem minùs probabilem: nam quâ tandem vi determinaretur in eam partem? An suâ ipsius naturali & necessariâ inclinatione ad verum sequendum? Sed ejusmodi inclinatio ad ea solùm se habet, quæ clarè & evidenter apparent: libertas autem, ut supponimus, non apparet clarè & evidenter, sed minùs probabiliter tantùm: an determinatione liberâ voluntatis? Sed ea determinatio nec rationabilis esset, nec satis consentanea inclinationi naturali intellectûs ad verum sequendum: rationabilis quidem non esset; quia sine ullâ causâ rationabili fieret, pro solâ libidine voluntatis, potestate suâ abutentis: est enim evidens, non esse rationabile, ut minor veri species præferatur majori: non esset autem consentanea inclinationi naturali intellectûs; determinatio enim ad minorem veri speciem sequendam, neglectâ majore, eò ferè tendit, ut intellectus loco veri, cui naturaliter studet, falso

adhæreat, à quo naturaliter abhorret: voluntas ergo ad judicandam libertatem minùs probabilem, in concursu præcepti probabilioris, determinare intellectum non potest, aut physicè, saltem directè; aut si physicè potest, pro suâ libertate, non potest saltem moraliter, seu prudenter; adeò ut imprudenter faciat, si ita determinet; eáque determinatio jam non usus libertatis sit, sed abusus; nec tam libertas, quàm libido: quare, ex hypothesi alicujus determinationis, sola superest determinatio ad existentiam præcepti probabilioris judicandam: nam ea sola prudens est; sola rationabilem causam habens; sola consentanea naturali inclinationi intellectûs ad verum sequendum. Undè sic ulteriùs discurro, & concludo. Ut posset quis licitè sequi in operando minorem probabilitatem libertati faventem, deberet posse eamdem sequi in judicando: atqui non potest quis in judicando sequi prudenter minorem probabilitatem libertati faventem, in concursu præcepti probabilioris, ut supra demonstratum fuit: ergo non potest eam sequi in operando. Confirmatur. Si est obligatio judicandi majorem probabilitatem præcepto faventem, est obligatio sequendi eamdem in operando: præcepto enim tenetur, qui judicat, præceptum esse: atqui est obligatio judicandi majorem probabilitatem præcepto faventem, in concursu minoris faventis libertati quia nec licet in statu dubii transire præceptum, non licet determinare se ad minorem probabilitatem libertati faventem, in concursu majoris præcepto faventis: ergo est obligatio sequendi in operando majorem probabilitatem præcepto faventem.

Voluntas abuteretur suâ potestate si flecteret intellectum ad judicandam partem minus probabilem.

Est obligatio judicandi majorem probabilitatem præcepto faventem.

Objicies 1. Potest quis esse dubius, & inter utramque partem suspensus, idémque nihilominùs licitè operari; quia per ipsam dubitationem potest fieri certus, se præcepto non teneri: neque enim præcepto tenetur, qui rationabiliter dubitat, an sit præceptum, necne: ergo ad operandum nihil opus habet tollere se de statu dubii. Respondeo. Potest quis in statu dubii operari, si præceptum quod dubium est, sit idem affirmativum, & solâ operatione impleatur: sed si præceptum negativum sit, & operando negligatur, operari non potest, quicumque dubius est, stante dubio. Ratio nimirùm est. Quia ut licitè quis operetur, judicare debet, non esse præceptum operationem prohibens: in statu autem dubii judicare illud non potest: nam si judicaret, jam dubius non esset. Quod autem additur, certiorem fieri posse operantem per ipsummet statum dubii, non teneri se præcepto, inaniter additur: nam status dubii si operanti certum faceret; vel faceret certum formaliter, & per se; vel objectivè, & fundamentaliter: atqui neutro modo certificat: non formaliter quidem, & per se: forma enim certificans non potest esse nisi actus aliquis positivus, quo fiat certus operans, non teneri se præcepto; qualem actum status dubii nullum importat, ut per se patet: sed neque objectivè & fundamentaliter certificat: quia status dubii esse non potest objectum & fundamentum actûs certificantis; reflexio enim supra statum dubii non potest esse actus certificans: nam qui reflectit, se dubium esse, an sit præceptum operationem prohibens, reflectit idem, se esse in eo statu, in quo non possit operari: neque enim operari potest, nisi judicet

Ipse status dubii non certificat de licentiâ operandi.

Non formaliter.

Non objectivè & fundamentaliter.

prudenter, non esse præceptum prohibens operationem: actus autem, quo quis reflectit, se in eo statu esse in quo non possit operari, nequit esse actus certificans de licentiâ operationis, ut videtur patere ex terminis.

Instabis 1. Præceptum non obligat in statu dubii rationabilis, quia non est sufficienter promulgatum: ergo qui rationabiliter dubitat, an sit præceptum, necne, præcepto non obligatur. Respondeo 1. Præceptum obligare etiam in statu dubii rationabilis, saltem si status ille dubii majorem probabilitatem importet: major enim probabilitas, cuicumque talis apparet, sufficiens est præcepti promulgatio. Respondeo 2. Transeat antecedens: Distinguo consequens. Qui rationabiliter dubitat, an sit præceptum, non obligatur præcepto illo speciali, quod rationabiliter dubium est; esto: Præcepto alio generali & reflexo, quo prohibemur operari in dubio; Nego. Esto igitur obligatio abstinendi ab operatione in statu dubii, non veniat ex præcepto speciali, quod rationabiliter dubium est, ac proindè, ut videtur, non satis promulgatum, ad inducendam per se obligationem: venit tamen obligatio ex præcepto generali supra statum dubii reflexo, quo generatim edicitur, ne quis operetur in dubio præcepti operationem prohibentis; cujusmodi præceptum generale videtur omni homini ipso naturæ lumine sufficienter intimatum. Nimirùm creatura rationalis, dubitans an sit præceptum prohibens, explorare debet ulteriùs, aut certè operationem suspendere: quandiù enim circa existentiam præcepti gravem ob causam suspensa est, progredi non potest ad operandum, donec prudenter apud se determinaverit, præceptum non esse, & quasi obicem, determinatione suâ removerit.

Major probabilitas præcepti, sufficiens est præcepti promulgatio.

Operans in dubio peccat saltem contra præceptum generale suspendendi operationem in dubio.

Instabis 2. Cum dubio speculativo præcepti fieri potest, ut non sit dubium practicum: ergo non obstante dubio præcepti speculativo, potest quis operari, ante omnem intellectûs operationem. Consequentia patet: quia evidens est, posse operari, qui nullo modo dubitat, quin sibi liceat operari: Antecedens verò probatur: quia cum dubio speculativo præcepti potest quis esse certus, non teneri se præcepto: certus est enim, & præceptum sibi esse dubium; idémque certus, præceptum, quod dubium est, non obligare. Respondeo. Nego antecedens. Ad probationem autem dicendum est 1. Ex præcepto, quod apparet probabilius, obligationem aliquam oriri etiam in statu dubii: est enim obligatio, ne quis operetur contra majorem probabilitatem præcepti operationem prohibentis: nam si reipsâ judicaretur præcepti probabilioris existentia, jam profectò non posset ita judicans progredi ad operationem, quam probabilius crederet, sibi esse prohibitam: Quis autem non videat, ineptè dici & cogitari, posse facere dubitantem, solâ suspensione judicii, ne sit obligatio suspendendæ operationis. Dicendum est 2. obligationem suspendendæ operationis, in dubio speculativo præcepti operationem prohibentis, si fortè ex ipso præcepto dubio non oriatur, oriri certè ex præcepto aliquo altiore, & minimè dubio, quo præcepto tenetur creatura operationem tandiu suspendere, quandiu circa existentiam præcepti operationem prohibentis manet ipsa suspensa: est enim debitum creaturæ rationalis, ne

Dubium speculativum semper trahit dubium practicum in præsenti hypothesi.

Creatura rationalis tenetur suspendere operationem quamdiu ipsa manet suspensa, circa existentiã præcepti operationem prohibentis.

ad operandum progrediatur, donec apud ſe prudenter determinaverit, non eſſe præceptum, quo prohibeatur operari.

Præceptum illud generale non eſt dubium; ſed certum.

Inſtabis 3. Illud ipſum præceptum reflexum, quod ſuper inducimus, dubium eſt: ergo neque ex illo venire poteſt obligatio ſuſpendendæ operationis. Reſpondeo. Nego antecedens. Pro dubio enim haberi non debet, quod apud Theologos & Canoniſtas in regulam aliquam generalem tranſiit: tranſiit autem in regulam generalem: *Non eſſe operandum in dubio.* Sed demus, præceptum illud generale & reflexum dubium eſſe; ex illo tamen ipſo quantumvis dubio, venit obligatio non operandi, & quidem certa; quod ſic demonſtro. Si præceptum illud dubium eſt, jam homo de illo dubitans, incertus eſt, an Deus permittat ipſi operari, in circumſtantia dubii ſpeculativi de præcepto operationem prohibente: ergo habet homo dubium practicum de licentiâ operandi, in circumſtantiâ dubii ſpeculativi: in dubio autem de licentiâ operandi operari non licet, per regulam illam generalem nunquàm dimittendam: quicumque operatur, incertus, an peccet operando, peccat: nam qui operatur in dubio practico licentiæ operandi, operatur, incertus an peccet operando: ergo eo ipſo peccat: habens enim judicium, quod dicit apud ſe; *fortè peccabo, ſi operer*; nihilominùs ad operandum progreditur; malitiam operationis, quæcumque tandem illa ſit, efficaciter voluntate amplectens; in quo operandi modo manifeſtè peccatum eſt.

Licet dubium eſſet pareret tamen certam obligationẽ non operandi quia ex dubio ſpeculativo de præcepto operationem prohibente, naſcitur dubium practicum de licentiâ operationis.

Objicies 2. In hypotheſi, in quâ major probabilitas præcepti concurrit cum minore probabilitate libertatis, creatura ſequi poteſt in judicando minorem probabilitatem: ergo & eamdem ſequi poteſt in operando. Antecedens videtur certum: ubicumque enim eſt ſpecies aliqua veri citra evidentiam, intellectus ſubmittitur voluntati, & ita ſubmittitur, ut determinari poſſit à voluntate, ſeu directè, ſeu indirectè, ad eam veri ſpeciem prudenter ſequendam: conſequentia verò non videtur negari poſſe: nam ſi poteſt creatura prudenter judicare, non eſſe præceptum operationem prohibens, per ipſummet judicium ſubtrahi poteſt obligationi præcepti; neque enim obligatur eo præcepto, quod prudenter judicat non eſſe. Reſpondeo 1. Nego antecedens. Intellectus enim ita ſubditur voluntati, ut fortè ne phyſicè quidem flecti poſſit, ſaltem directè, ad minorem probabilitatem ſequendam, in concurſu majoris. Ratio à priori eſt. Quia dominium voluntatis in intellectum non eſt deſpoticum & abſolutum, ſed rationabile & temperatum, eò ſolùm ſpectans, ut intellectum dubium & hæſitantem determinet, modo conſentaneo & naturali illius inclinationi: naturalis autem intellectûs inclinatio eſt ad verum ſequendum: ergo intellectum determinare voluntas non poteſt, ad ſequendam minorem ſpeciem veri, in concurſu majoris: determinatio enim illa non eſſet conſentanea naturali intellectûs inclinationi ad verum ſequendum; quippe quæ intellectum & frequentiùs amoveret à veritate, quam naturaliter ſequitur, & frequentiùs addiceret falſitati, quam naturaliter abhorret: quare non poteſt voluntas pro libito ſuo flectere intellectum, quocumque voluerit; ſed ſi ad aliquam partem flectere velit, neceſſe eſt omninò, ut flectat ad majorem

Minorem probabilitatem non licet ſequi in agendo, cũ non liceat ſequi in judicando.

Intellectus non poteſt flecti ad amplectandam minorem probabilitatem in concurſu majoris.

ſpeciem

ſpeciem veri, flectere enim non poteſt ad minorem. Reſpondeo 2. Quidquid ſit de dominio deſpotico & abſoluto voluntatis in intellectum, etiamſi fortè poſſet intellectus phyſicè flecti ad minorem ſpeciem veri, præ majore, non poſſet tamen prudenter; quia determinatio, quæ fit ſine causâ rationabili, imprudens eſt: determinatio autem ad minorem ſpeciem veri, præ majore, fieret ſine causâ rationabili: neque enim poteſt eſſe cauſa rationabilis præferendi minorem ſpeciem majori. Extrà concurſum quidem motivum grave quo nititur pars minùs probabilis libertati favens, poſſet eſſe cauſa rationabilis, determinans ad eam partem ſequendam: ſed in concurſu probabilitatis majoris præcepto faventis, id planè non poteſt; quia in tali concurſu determinatio eſt prælativa: determinationis autem prælativæ cauſa rationabilis eſſe non poteſt motivum minus, quod profectò poſtpoſitionis cauſa eſſe debet, non prælationis, ut per ſe patet. Reſpondeo 3. Eſto, poſſit etiam prudenter determinari intellectus, ad minorem veri ſpeciem ſequendam, in concurſu majoris, & ſequi liceat in judicando minorem probabilitatem libertatis, contra præceptum probabilius; non continuò neceſſe eſt, licere illam ſequi in operando; quia fieri poteſt, ut ſit obligatio non operandi, etiam cum judicio minùs probabili libertatis, obligatio, inquam, veniens non à præcepto quidem illo probabiliore, quod prudenter judicatur non eſſe; ſed ab altiore quodam præcepto quo fortè creatura generatim prohibetur operari contra majorem præcepti probabilitatem.

Si flecteretur imprudenter flecteretur.

Determinatio ad unam partē eſt prælativa; motivū autem minus, non eſt cauſa rationalis prælationis ſed potius poſtpoſitionis.

Objicies 3. Etiam in hypotheſi, in quâ per imperium voluntatis determinatur intellectus, ad judicandam exiſtentiam præcepti probabilioris libertatem ligantis ne operetur, nihilò tamen minùs manet adhuc ſua probabilitas libertati; quia manet adhuc probabilis non exiſtentia præcepti libertatem ligantis: ergo nihilominùs poteſt libertas operari, contra præceptum probabilius, cujus exiſtentia judicatur ex majorē ſpecie veri, quam præ ſe fert. Reſpondeo. In hypotheſi, in quâ judicatur exiſtentia præcepti probabilioris, non deſinit quidem probabilis eſſe ejuſdem præcepti exiſtentia; quia judicium unius partis non tollit continuò probabilitatem alterius: ſed non propterea probabile manet, licitam eſſe operationem; quia certum eſt, operationem non licere ei, quicumque credit, eſſe prohibitam: nam ut liceret, deberet credi non eſſe prohibita: ergo quandiu creditur eſſe prohibita, non licet.

Inſtabis. Quòd judicetur eſſe præceptum operationem prohibens, ex hoc non ſtatim ſequitur, præceptum eſſe: ergo nec ſequitur, obligare: non enim obligat, niſi reipsâ ſit, quantumvis credatur eſſe. Confirmari poteſt. Quandiu probabile eſt non exiſtere præceptum, certum eſt, non obligare, quandiu rationabiliter dubitari poteſt, an ſit: quandiu autem probabile manet, non eſſe præceptum tandiu rationabiliter dubitari poteſt, an ſit: ergo quantumvis judicetur exiſtentia præcepti probabilioris libertatem ligantis, non modò probabilis eſt, ſed etiam certa licentia operandi. Reſpondeo. Quòd judicetur præceptum eſſe, ex hoc, fateor, non ſtatim ſequitur, eſſe præceptum; quia ipſummet judicium, quod probabilius eſt, poteſt eſſe falſum: fateor item, ſi fortè præceptum reipsâ

Etſi pars minus probabilis maneat probabilis eam tamen ſequi non licet ei qui ſecundum majorem probabilitatem judicat eſſe prohibitā.

non ſit, ut contingere poteſt, reipsâ non obligare, ſaltem ratione ſui, quantumvis eſſe credatur; quia vinculum, quod reipsâ non eſt, ligare non poteſt. Dico tamen, ex quo judicatur eſſe præceptum operationem prohibens, obligari judicantem ne operetur, etiamſi fortè reipsâ non ſit præceptum prohibens, quod judicatur eſſe; obligari, inquam, non eo præcepto, quod probabilius judicatur eſſe, & reipsâ non eſt; ſed præcepto aliquo generali & reflexo; præcepto ſcilicèt bonæ fidei, quo toties operari creatura prohibetur, quoties operationem credit eſſe prohibitam: nam præceptum ejuſmodi omni, credo, homini ipſo naturæ lumine notorium eſt. Ad confirmationem verò dico, quandiu manet probabile non eſſe præceptum operationem prohibens, præceptum illud quod eſſe probabiliùs creditur, etſi non obliget per ſe & ratione ſui, obligare tamen per accidens, & ratione præcepti alterius altioris & generalis, quo toties prohibetur homo operari, quoties judicat, operationem ſibi eſſe prohibitam: ex quo principio certa fit obligatio non operandi in materia cujuſcumque præcepti prohibentis, quod eſſe creditur, ſive reipsâ ſit, ſive non ſit.

Omni homini ipſo naturæ lumine notorium eſt toties prohiberi ſe ab operando quoties judicat eſſe præceptum operationē prohibens.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Ex ſecundâ Prudentiæ Regulâ petitum pro directione voluntatis.

Altera prudentiæ regula pro directione voluntatis.

PRæmitto 1. Natura rationalis, quam ſupra diximus eſſe intellectivam veri, & reprobativam falſi, eſt eadem proſecutiva boni honeſti, & averſativa mali turpis, ſeu inhoneſti; adeò ut, ipſo munere creationis, ab authore ſuo inditam habeat rationabilem inclinationem ad bonum honeſtum, & averſionem à malo turpi, ſeu inhoneſto: quam inclinationem & averſionem naturalem unuſquiſque in ſe experitur majorem, vel minorem, prout naturam habet magìs, vel minùs vitio originali, aut perſonali corruptam.

Natura rationalis eſt proſecutiva boni honeſti & averſativa mali turpis, ſeu inhoneſti.

Præmitto 2. Quod alibi ſolidè ſtatuimus, tanquàm altum totius Moralitatis Chriſtianæ, & Theologicæ principium: totius ſcilicèt honeſti fontem & regulam, eſſe voluntatem divinam, quâ Deus vult, ut natura rationalis certa quædam objecta proſequatur, & certa quædam alia fugiat: nam bonum *honeſtum* dicitur, quod naturam rationalem decet; *turpe*, quod dedecet: decet autem creaturam rationalem id ſequi, quod Deus vult, ut ſequatur; eamdem verò dedecet id ſequi, quod Deus vult, ut fugiat. Decet nimirùm creaturam rationalem, in ſua omni ſeu proſecutione, ſeu fugâ, conformare ſe voluntati divinæ regulæ ſuæ; pertinétque ad gloriam Dei, ut nihil creatura rationalis honeſtè ſequi poſſit, aut fugere, niſi quod Deo placet, ut ſequatur, aut fugiat.

Totius honeſtatis regula eſt voluntas divina.

Quid honeſtum, quid turpe.

Præmitto 3. Bonum honeſtum, aliud conſilii eſt, aliud præcepti; quia Deus ita interdùm vult à creaturâ objecti proſecutionem, ut proſe-

Aliud eſt honeſtum

quendi obligationem non faciat; ex quâ Dei voluntate fit honeſtum non neceſſarium, & meri conſilii. Interdùm verò Deus ita vult, creaturam objectum ſequi, ut ſuâ voluntate obliget ad ſequendum; ex quâ voluntate fit honeſtum neceſſarium, & præcepti: quod autem Deus ita vult à creaturâ, ut ei obligationem faciat proſequendi, magis profectò vult, quàm quod vult citra obligationem, ut patere videtur ex ſolâ penetratione terminorum. Atque hinc habetur altera prudentiæ regula pro directione voluntatis. Nimirùm ſtudendum eſt creaturæ, ut omne honeſtum, ſaltem neceſſarium, voluntate ſequatur; turpe omne & inhoneſtum fugiat, ſeu, quod idem eſt, in ſuâ omni tum proſecutione, tum fugâ, conformet ſe voluntati divinæ regulæ ſuæ. Hæc eſt lex honeſtatis: ex qua lege Argumentum duci poteſt, non minùs efficax, quàm quod ſupra duximus ex lege veritatis. Undè ſic iterùm argumentor.

neceſſariū ſeu præcepti. Aliud non neceſſarium ſeu conſilii.

Deus magis vult id ad quod obligat quā id ad quod non obligat.

Quò magis Deus vult, ut creatura aliquid ſequatur, aut fugiat, eò magìs debet creatura illud ſequi, aut fugere; quia conformare ſe debet voluntati divinæ regulæ ſuæ, etiam in modo volendi: Deus autem aliquid ſeu præcipiens, ſeu prohibens, vehementer vult, ut creatura illud ſequatur, aut fugiat; quia ita vult, ut ex modo volendi, creaturam obliget ad illud ſequendum, aut fugiendum: ergo creatura velle debet vehementer idipſum ſequi, vel fugere; nec ſatis eſt ei leviter velle, quod Deus vult vehementer ab ipsâ fieri, vel non fieri: atqui ſi creatura velit vehementer ſequi quod præceptum eſt, & fugere quod eſt prohibitum, neceſſe eſt, ut velit in hypotheſi majoris probabilitatis præcepto faventis: nam qui vehementer vult aliquod bonum, ſpeciem boni majorem non negligit, ſed avidè ſequitur; nec, ſi negligit, ſatis amare convincitur. Simili neceſſitate, qui malum aliquod vehementer averſatur, ipſam mali umbram timet, nedùm ſpeciem mali majoris ſequitur: nam ſi fortè ſequitur majorem ſpeciem mali, jam non ſatis malum odiſſe convincitur: id quod ſenſibile fieri poteſt exemplis familiaribus. Ecquis enim filius amans patris, ſi vehementer velit obedire patri, ut velle debet, non continuò exequatur, quod ei probabilius eſt, fuiſſe à patre præceptum? & ſi fortè exequi negligeret, an filialis obedientiæ bonum ſatis vellet? Et quæ fidelis ſponſa, placere ſponſo ſuo ſi vehementer ſtudet, non abſtinebit protinus ab eâ conſuetudine, quam probabilius credit ſponſo diſplicituram? Et verò niſi abſtinuerit, an ſponſo ſatis placere velle videbitur? Ecquis bonus & fidelis ſervus, ſi Domino ſuo vehementer cupit obſequi, non vigilet eâ horâ, quâ probabilius eſt, Dominum eſſe venturum? nam ſi eâ horâ ſomno ſe daret, fidelis profectò obedientiæ bonum non ſatis cuperet, nec elogium illud mereretur: *Beatus ille ſervus, quem, cùm venerit Dominus ſuus, invenerit vigilantem.* Ergo creatura, quæcumque negligit ſequi, quod probabilius eſt, à Deo fuiſſe præceptum, aut fugere, quod probabilius eſt, fuiſſe prohibitum; nec Deum patrem ſuum ſatis reveretur; nec Deo ſponſo ſuo ſatis placere amat; nec Deum Dominum ſuum ſatis timet: nam qui ſatis timet *in mandatis ejus cupit nimis.*

Voluntatis lex eſt, conformare ſe volūtati Dei, adeoque vehementer velle aut nolle quidquid Deus vehemēter vult vel non vult.

Declaratur res & confirmatur exemplo filii, ſponſæ, famuli.

Luc 12. v. 37.

Pſ. 111. v. 1.

Confirmatur 1. Tenetur creatura non repugnare inclinationi naturali & rationabili, quam habet munere Dei Creatoris, ad ſequendum hone-

Inclinatio naturalis

ad ſequendum honeſtum neceſſarium, impellit ad ſequendum id omne quod habet majorem apparentiâ honeſti neceſſarii.

ſtum neceſſarium : atqui ſi creatura non ſequatur probabilitatem majorem præcepto faventem jam repugnat inclinationi naturali & rationabili, quam habet inditam munere Dei Creatoris, ad ſequendum honeſtum neceſſarium, ſeu quod à Deo præceptum eſt : nam ex quo præcipitur aliquid, ipſo Dei præcepto honeſtum neceſſarium fit : ergo tenetur creatura ſequi probabilitatem majorem præcepto faventem. Major Propoſitio non indiget probatione : ſatis enim liquet, malum eſſe repugnare inclinationi naturali & rationabili ad ſequendum honeſtum neceſſarium : Minor verò probatur : quia inclinatio naturalis & rationabilis ad ſequendum honeſtum neceſſarium, determinat quoque ad ſequendum illud omne, quod majorem habet apparentiam honeſti neceſſarii : nam ſi major honeſti apparentia negligitur, jam inclinationi naturali ad honeſtum repugnatur : quod autem probabilius apparet eſſe præceptum, majorem habet apparentiam honeſti neceſſarii ; quia ex quo aliquid præceptum eſt, honeſtum neceſſarium eſt, ac proindè quod majorem præcepti apparentiam habet, majorem quoque habet apparentiam honeſti neceſſarii : ergo inclinatio naturalis & rationabilis, quæ determinat ad ſequendum honeſtum neceſſarium, determinat eadem ad ſequendum illud omne, quod habet majorem apparentiam honeſti neceſſarii, ac proindè ad ſequendam majorem probabilitatem præcepto faventem : quare ſi major illa honeſti neceſſarii apparentia, ſeu major illa præcepti probabilitas negligatur, jam naturali & rationabili ad honeſtum neceſſarium inclinationi repugnatur. Illuſtrari poteſt tota res iſta exemplo boni phyſici & naturalis : ex magna enim inclinatione in bonum phyſicum determinatur homo, ad ſequendam boni phyſici apparentiam majorem, præ minore. Aurum amet avarus : ex duobus nummis utrum duorum, amabo, eliget? num qui magìs probus videtur eſſe, quàm qui reprobus? ſplendorem amet ambitioſus: ex duabus dignitatibus, quæ ſe offerunt, utrius, quæſo, optionem faciet? num ejus, quæ plùs habet ſplendoris, præ minùs ſplendidâ? Æger valetudinem anxiè quærat : ex duobus pharmacis, quæ utilia proponuntur, utrum accipiet? num illud, quod ſpeciem habet utilioris, præ minùs utili. Adeò verum eſt, ex magna inclinatione ad bonum phyſicum determinari homines ad ſequendam majorem boni phyſici apparentiam. Sed non eſt minùs verum, ex naturali & rationabili inclinatione ad honeſtum neceſſarium, quæ ſanè inclinatio magna eſſe debet, determinari pariter homines, ad majorem ſpeciem honeſti neceſſarii ſequendam.

Magna inclinatio in bonũ phyſicum determinat ad ſequendam boni phyſici apparentiâ majorem præ minore.

Confirmatur 2. Tenetur creatura ſequi naturalem & rationabilem, quam Deus ipſi indidit, averſionem à malo turpi : turpe autem eſt creaturæ, quodcumque à Deo prohibetur ; ipsâ enim prohibitione fit turpe ; quatenus fit, ut creaturæ turpe ſit, illud proſequi, & honeſtum averſari : atqui ſe creatura ſequatur minorem probabilitatem libertati faventem, in concurſu majoris præcepto faventis, jam non ſequitur naturalem illam & rationabilem, quam Deus ipſi indidit averſionem à malo turpi ; jam enim ultro & volens determinat ſe ad ſequendum, quod ei probabilius eſt turpe eſſe, ſeu, quod idem eſt, à Deo prohibitum : quæ determinatio nullatenus eſt, ſecundùm averſionem naturalem & rationabilem à

Averſio à malo turpi determinat ad fugiendum quid.

malo turpi, sed ei planè aversioni videtur repugnare: aversio enim à malo turpi, determinat efficaciter ad fugiendum efficaciter, quodcumque præ se fert apparentiam mali majorem: id quod omni homini suâ ipsius experientiâ satis credo, esse perspectum. Nam quæ fœmina, si probabilius ei appareat, in herba virenti, & sub odoris floribus latere anguem, herbæ tamen & floribus insidere ausit, vel indormire? Quis hospes, si lepram vel pestem horret, extraneum & peregrinum domo excipiat, quem probabilius credit leprâ, aut peste infectum? Quis Mercator naufragium timens, ei se navi committit quam probabilius est, esse cariosam, & cum mercibus, quibus onusta est, naufragaturam? Quis minante tonitru sedere velit sub eâ arbore, quam probabilius opinatur, esse fulmine feriendam? stet igitur, quisquis malum physicum vehementer aversatur, ipsâ aversione suâ determinari eumdem ad fugiendam umbram mali, præsertim si major est, & probabilior: ergo quisquis aversatur vehementer malum turpe, omni malo physico gravius, necesse est, ut ipsam mali turpis speciem & apparentiam, saltem majorem fugiat; nec satis aversatur, si non fugiat.

quid habet majorem speciem mali turpis.

Declaratur experientiâ & exemplis.

Objicies 1. Quòd Deus magìs aliquid velit, non propterea tenetur creatura id magis velle: ergo quamvis fortè dicatur Deus id magis velle ad quod obligat, non propterea creaturæ sit obligatio volendi id ipsum magis, aut ita vehementer, ut ex inclinatione naturali & rationabili, conformandi se voluntati divinæ præcipienti determinetur necessariò ad sequendam majorem probabilitatem præcepto faventem. Antecedens probatur: quia contingit interdùm, ut Deus magis velit, quod consilii est, quàm quod est præcepti: interdùm enim prædefinit efficaciter executionem consilii; interdùm verò non prædefinit executionem præcepti, permittens negligi præceptum suum & præteriri: quod autem Deus prædefinit efficaciter, magis profectò vult, quàm quod non prædefinit: nemo tamen sapiens dixerit, teneri creaturam magis velle quod consilii est, quàm quod est præcepti, aut ex inclinatione naturali & rationabili conformandi se voluntati divinæ consulenti, obligari ad sequendum id, quod consilii est: nam si quis hoc dicere ausit, jam non sapiens erit, sed planè insipiens, consilium temerè transfigurans in præceptum. Respondeo. Distinguo Antecedens. Quòd Deus magis aliquid velit, voluntate aliquâ, quæ non sit regula creaturæ, non tenetur creatura illud magis velle: concedo. Quòd Deus magis aliquid velit eâ voluntate, quæ regula creaturæ sit, non tenetur creatura velle illud magis; Nego Antecedens, & Consequentiam. Ad probationem autem Distinguo similiter. Interdùm vult magis Deus, quod consilii est, quàm quod est præcepti, eâ voluntate, quæ regula sit creaturæ; Nego: voluntate aliquâ, quæ non sit regula creaturæ; Concedo. Nam interdùm quidem prædefinit Deus, quod consilii est; nec prædefinit semper, quod est præcepti: sed voluntas prædefiniens non est regula creaturæ directiva, ac proindè non tenetur creatura, ita se illi conformare, ut determinetur efficaciter & necessariò ad exequendum, quod Deus magis vult per ejusmodi voluntatem: hoc enim quisquis diceret, non satis saperet, sed consilium in præceptum transformaret: at-

Quo sensu Deus interdum magis velit id quod consilii est, quā quod præcepti.

Deus interdū prædefinit quod consilii est, nec prædefinit semper quod est præcepti.

Voluntas Dei prædefiniens non est regula directiva creaturæ rationalis.

Attendenda præcisè voluntas consulens directiva creaturæ & comparanda cum voluntate præcipiente creaturæ item directiva.

tendenda est igitur præcisè voluntas consulens directiva creaturæ, & comparanda cum voluntate præcipiente creaturæ item directivâ : in quâ comparatione evidens est, Deum velle magis à creaturâ fieri, quod vult per voluntatem præcipientem, quàm quod vult per consulentem : nam quod vult per præcipientem, ita vult fieri, ut creaturam ad faciendum obliget; quod autem vult per consulentem, ita vult fieri, ut ad faciendum non obliget : undè quod vult per voluntatem consulentem, quasi leviter & minùs vult; quod autem per præcipientem, longè magis vult & vehementer. Diximus autem, esse in creaturâ inclinationem naturalem & rationabilem, munere Creatoris inditam, conformandi se voluntati divinæ regulæ suæ; ex quâ inclinatione sequitur, debere eamdem vehementer velle id facere, quod Deus vehementer vult ab ipsâ fieri : non potest autem satis vehementer velle, id quod Deus vehementer vult ab ipsâ fieri, nisi velit facere, quod ei probabilius apparet, esse à Deo præceptum : neque enim satis videtur velle bonum, qui majorem boni speciem negligit. Hic est Discursus noster, in quo non fit, ut vides, perversa, quæ timebatur, consilii in præceptum transfiguratio, sed declaratur duntaxat naturalis & rationabilis inclinato voluntatis creatæ, ejusdémque necessarius & indispensabilis cum voluntate divina regulâ suâ, consensus.

Objicies 2. Inclinatio naturalis & rationabilis ad sequendum honestum necessarium, satis bene stat cum usu minoris probalitatis libertati faventis : satis enim inclinatur ad honestum, etiam necessarium sequendum; quicumque determinatus est ad illud toties sequendum, quoties satis clarè apparuerit : sed non apparet satis sub majore probabilitate præcepti, sub quâ adhuc incertum manet, an sit; imo probabile est, reipsâ non esse : quare periculum est, ne voluntas efficaciter sequens, quod sub eâ tantùm luce apparet, umbram honesti pro honesto sequatur : inclinatio autem naturalis & rationabilis non eò tendit, ut pro rebus, umbræ captentur. Expectandum est igitur voluntati donec ita augeatur species honesti, ut nullum de illo rationabile dubium supersit : nam si eò usque non expectaverit, rea erit præcipitationis & imprudentiæ. Respondeo. Nego Antecedens, ejusque probationem inclinatio enim naturalis & rationabilis ad bonum, si magna & vehemens est, qualis esse debet respectu honesti necessarii, determinat efficaciter ad majorem boni speciem prosequendam, ut ipsâ experientiâ manifestum est : quare si non determinat, satis magna non est. Neque determinatio ista reprehensionem ullam habet; sed magnam laudem : error enim, si fortè quis intervenit, error prudens est, & ab affectu sequendæ legis meritum suum trahit : undè ulteriùs fit, ut in hypothesi erroris probabilioris, quo creditur præceptum esse quod non est, voluntas non minùs honestè illud sequatur, quàm si reipsâ esset; eique, quod est mirabile, umbra ipsa honesti quodammodo veritas est, aut loco veritatis, in ordine ad honestatem in affectum prosecutivum derivandam; contrâ ac fit in prosecutione aliorum bonorum, quæ si fortè non sint, qualia esse creduntur, prosequenti nec umbra veritas est, nec supplementum veritatis. Accedit, quòd voluntati præceptum quod probabilius apparet prosequenti, verum aliquod præce-

Laudabilis est determinatio ad partem magis probabilem quamvis forte falsam.

ptum ſemper occurrit: nam ſi fortè deeſt directum & ſpeciale, non deeſt certe reflexum & generale, quo Deus vult, ut creatura majorem probabilitatem ſequatur præcepto faventem, in concurſu minoris libertati faventis.

Objicies 3. Uſus probabilitatis minoris libertati faventis ſatis cohæret cum naturali illâ, quam Deus creaturæ indidit averſione ab eo genere mali quod turpe & inhoneſtum dicitur, ſeu voluntati divinæ obliganti contrarium: nam averſio illa naturalis; ſi rationabilis eſt, qualis profectò eſt, non eſt averſio ſcrupuloſa, quæ ad ſcrupulos hæſitet, aut ad larvas inanes expaveſcat: talis autem foret averſio determinans ad fugiendum objectum, in hypotheſi minoris probabilitatis libertati faventis. Confirmatur. Quia averſio rationabilis determinare non poteſt ad fugiendum illud, cujus electio poteſt eſſe prudens: poteſt autem eſſe prudens electio objecti, quandiu probabile eſt, objectum turpe non eſſe: atqui quandiu eſt probabilitas minor libertati favens, tandiu probabile eſt, objectum turpe non eſſe: ergo tandiu poteſt eſſe prudens electio illius cujuſmodi profectò electio impediri non poteſt per averſionem rationabilem. Reſpondeo. Nego Antecedens, ejuſque probationem. Averſio enim ab eo quod probabilius eſt eſſe malum turpe, ſeu voluntati divinæ obliganti contrarium dici non poteſt averſio ſcrupuloſa, aut meticuloſa nimis, ſed averſio planè rationabilis & bene fundata, quæ in virum ſolidum & conſtantem cadere poſſit, & debeat: neque ad ſcrupulos hæſitare, aut ad pueriles larvas expaveſcere putandus eſt, qui ad majorem mali turpis ſpeciem occurrentem, prudenter hæſitat, & expaveſcit ad graviorem apparentiam turpitudinis, ſeu oppoſitionis cum voluntate divinâ obligante. Nam quis ſapiens majorem ſpeciem mali pro ſcrupulo habeat, aut graviorem turpitudinis apparentiam pro larvâ puerili? num audax potiùs & temerarius videri poſſit, qui ad talem ac tantam apparentiam nihil hæſitans aut expaveſcens, non vereatur ultra progredi? Ad Confirmationem verò fateor, averſionem naturalem & rationabilem non determinare neceſſariò ad fugiendum objectum, cujus electio poteſt eſſe prudens: ſed nego abſolutè, prudentem eſſe poſſe electionem objecti, quandiu probabilius apparet, eſſe turpe, ſeu voluntati divinæ obliganti oppoſitum. Ratio nimirùm eſt. Quia imprudens videtur eſſe, non modò qui eligit, quod reipsâ turpe eſt, ſed etiam ille qui eligit, quod probabilius apparet eſſe turpe, quàm non eſſe: quâ enim lege prudentiæ jubetur homo à malo turpi abſtinere, eâdem jubetur abſtinere à majore mali turpis apparentiâ.

Averſio à majori ſpecie mali non eſt ſcrupulus inanis, ſed rationabilis timor.

Quâ lege tenemur à malo turpi abſtinere, eâdem jubemur abſtinere à majore ſpecie mali turpis.

Inſtabis. Poteſt prudenter eligi, quod probabile eſt turpe non eſſe: in hypotheſi autem noſtrâ, quod probabilius eſt eſſe turpe, id ipſum probabile eſt turpe non eſſe: ergo id ipſum poteſt prudenter eligi. Major Propoſitio non videtur negari poſſe: namquod probabile eſt non eſſe turpe, poteſt judicari prudenter, turpe non eſſe: quod autem poteſt judicari prudenter turpe non eſſe, poteſt idem prudenter eligi: prudenter enim eligitur, quodcumque eligitur ex directione judicii prudentis. Reſpondeo. Nego Majorem univerſaliter ſumptam, ejuſque probationem quantumvis ſpecioſam: Syllogiſmus enim, in quo vis tota probationis

Præcipuus probabiliſtarum ſyllogiſmus.

Singulæ Propoſitio-

nes speciē habent evidentiæ.

est, videtur esse splendidus quidem Paralogismus, cujus singulæ propositiones speciem quandam evidentiæ ita præseferunt, ut tamen possit earundem falsitas demonstrari. Et 1. Quidem illa: *quod probabile est turpe non esse, potest judicari prudenter, non esse turpe:* jam ex supra dictis, falsa intelligitur: quod enim probabile est turpe non esse, idem in hypothesi nostrâ probabilius est, esse turpe: quod autem probabilius est esse turpe, judicari non potest prudenter turpe non esse; quia intellectus non potest sequi prudenter minorem speciem veri, relictâ majore, ut constat ex lege sequendæ veritatis, superiùs explicatâ: quare in hypothesi nostrâ quod minùs probabiliter apparet, non esse prohibitum, eatenus probabile est turpe non esse, quatenus libertas à præcepto prohibente nititur iis motivis, quæ virum prudentem movere possent, ad negandam præcepti prohibentis existentiam, si fortè non concurrerent ea motiva cum aliis gravioribus, ejusdem præcepti prohibentis existentiam suadentibus: sed in concursu graviorum, ad eam negandam movere prudenter non possunt, ut satis intelligitur ex regulâ prudentiæ directivâ intellectûs, & præscribente, ut ad majorem veri speciem determinetur, minore contemptâ. Nimirùm ex lege sequendæ veritatis idem ferè contingit, quod ex lege servandæ charitatis: nam sicut ubi crimen ita probabile est, ut probabilior tamen sit innocentia, non potest judicari prudenter reus esse, cui favet major innocentiæ species; tale enim judicium prohibet lex charitatis: ita omninò, ubi minùs probabilis est libertas à præcepto, & simul probabilior existentia præcepti, non potest judicari prudenter, præceptum non esse; quia tale judicium prohibet lex veritatis. Undè intelliges, libertatem à præcepto in concursu præcepti probabilioris, ita dici probabilem ut reipsa probabilis non sit; probabilitate saltem proximâ & expeditâ, sed probabilitate duntaxat remotâ & impeditâ ne possit proximè exire in actum suum, seu movere ad assensum prudentem, ad quem movere posset, si non impediretur: impeditur autem per majorem probabilitatem præcepti contra pugnantem, aut, ut meliùs dicam, per legem naturalem sequendæ veritatis: nam ea lex obligat ad sequendam majorem probabilitatem prçcepto faventem.

Demonstratur falsitas majoris propositionis in præsenti hypothesi.

Ostenditur falsitas minoris propositionis.

2. Verò Syllogismi Propositio: *quod potest judicari prudenter non esse turpe, potest idem prudenter eligi:* nihilò minùs falsa est, quàm 1ª. Quia judicari prudenter non esse objectum turpe, nihil aliud est, quam prudenter judicari, non esse directè prohibitum: atqui ex hoc præcisè, quòd prudenter judicetur, aliquid non esse directè prohibitum, non sequitur posse prudenter eligi. Ratio nimirùm est. Quia cum judicio prudente quo judicatur, non esse aliquid directè prohibitum, stat fortè major probabilitas præcepti directè prohibentis; in quâ hypothesi fieri potest, & reipsâ fit, ut jam non sit licentia operandi secundùm judicium prudens minùs probabile, sed clara quædam obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem: ergo quòd possit judicari prudenter, aliquid non esse turpe, non continuò potest prudenter eligi.

Æquivocatio subtilis.

Quod autem additur tanquàm principium universale. *Prudenter eligitur, quodcumque ex directione judicii prudentis eligitur:* dico, laborare subtili æquivocatione per distinctionem tollendâ: quare principium illud universale

versale sic Distinguo. Eligitur prudenter, quod eligitur ex directione judicii prudentis de operandi licentiâ testificantis. Concedo: non testificantis de operandi licentiâ; Nego. Judicium autem minùs probabile, quo judicatur, præceptum non esse, si concurrat cum probabilitate majore præcepti operationem prohibentis, tale inquam judicium, quantumvis supponatur esse prudens, certificare tamen non potest de licentiâ operandi, sed eam licentiam dubiam necessariò relinquit, aut, ut veriùs dicam, compatitur certitudinem de non licentiâ operandi: quia scilicet stat cum probabilitate majore præcepti, operationem directè prohibentis, & cum notitiâ præcepti generalis reflexi, quo prohibetur creatura operari contra probabilitatem majorem præcepti directi & specialis, operationem prohibentis.

ARTICULUS TERTIUS.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Deductum ex tertiâ Prudentiæ Regulâ directivâ operationis externæ.

Tertia prudentiæ regula operationis externæ directiva.

PRæmitto 1. Natura humana cum constet spiritu & corpore, evidens est, debere hominem Deo partis utriusque, seu spiritûs, seu corporis, servitutem; quia utriusque, seu spiritûs, seu corporis, Deus creator & Dominus est; atque hinc est, quod Deus pro suo jure exigat ab homine non internas solùm intellectûs, aut voluntatis, sed etiam externas corporis operationes. Nimirùm operationes externæ, quamvis formalem & immediatam libertatem non habeant, neque enim liberum est formaliter quod non est ratione sui voluntarium, habent tamen libertatem aliquam remotam & mediatam, ita ut verè & propriè sint in potestate hominis; quia scilicèt in potestate hominis est facere, ut sint, vel non sint, pro ipsius arbitrio; quatenus in potestate illius est actus aliquis voluntarius, quem si posuerit, erit operatio externa; si non posuerit, operatio externa non erit.

Homo opera etiam externa Deo debet.

Præmitto 2. Externam illam servitutem, quam debet homo Deo Creatori suo postulare omninò ut curet homo diligenter, ne quam actionem externam, aut prohibitam operetur aut omittat imperatam; quod servitutis genus gravissimis verbis inculcat Apostolus Rom. 12. *Obsecro itaque vos Fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, Deo placentem &c.* Erit autem corpus, in sensu Apostoli, *hostia vivens*, si omnis operatio externa spiritu divino, & sincerâ intentione animetur: nam *Pater tales quærit, qui adorent eum in spiritu & veritate.* Erit idem *hostia sancta*, si ab eo omni abstinuerit, quod profanum & immundum est, seu à Deo prohibitum: Erit denique *hostia Deo placens*, si actiones à Deo præceptas, & Deo placentes operetur.

Tenetur homo curare sollicitè ne ullum opus externum prohibitũ faciat aut imperatum omittat.

Præmitto 3. Obsequium illud externum servitutis nostræ, per opera-

Externum obsequium in eos fines propter quos exigitur referendum.

tiones externas Deo præstandum, debere esse obsequium rationabile, ut declarat idem Apostolus; *Rationabile*, inquit, *obsequium vestrum.* Sed rationabile non erit, nisi referatur in eos fines propter quos exigitur; & ex iisdem finibus, quale & quantum esse debeat, æstimetur. Sunt autem duo præsertim fines à Deo intenti per obsequium creaturæ externum; gloria scilicèt ipsius Dei extrinseca, & ædificatio publica; quibus finibus frustrabitur Deus, quoties homo actionem externam imperatam præteribit, aut prohibitam operabitur: nam si actionem externam imperatam prætererit homo, jam nec Deus eam gloriam obtinebit, quam fuisset obtenturus per exhibitionem actionis imperatæ; nec proximus ad bene operandum excitabitur, excitandus si posita fuisset actio imperata: contra verò si fecerit homo actionem externam prohibitam, ex hoc & inhonorabitur Deus, & scandalizabitur proximus: Atque hinc statui potest pro regulâ directivâ operationis externæ, satagendum esse homini; quantum in ipso est, ut neque committat actionem externam prohibitam, neque omittat imperatam. Hæc est lex æterna obsequii realis Deo præstandi, lex, ut videtur, hominis ante oculos posita, ne ignorari possit, aut dissimulari. Ex qua lege efficaciter argui potest pro obligatione sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, in concursu probabilitatis minoris libertati faventis. Quare sic argumentor.

Finis duplex à Deo intentus gloria ipsius extrinseca, & ædificatio publica.

Tenetur homo lege æternâ realis obsequii Deo præstandi, satagere, ut exequatur actionem externam à Deo imperatam: sed qui negligit majorem probabilitatem præcepto faventem, non satagit ut exequatur actionem à Deo imperatam; quippe qui sciens & volens negligit exequi actionem, quam probabilius est, à Deo imperatam esse: neque enim videtur satagere, ut actionem exequatur, quicumque reipsâ non exequitur; etiam cùm potest exequi, & graviori ratione urgetur ad exequendum. Tenetur homo similiter eâdem lege realis obsequii Deo præstandi, curare, quantùm in ipso est, ne quid externum faciat à Deo prohibitum: sed qui sequitur probabilitatem minorem libertati faventem, non curat, quantùm in ipso est, ne quid faciat externum, à Deo prohibitum; quippe qui sciens & volens determinat se ad id faciendum, quod probabilius est à Deo esse prohibitum: neque enim videtur curare, quantum in ipso est, ut ab actione aliquâ abstineat, quicumque non abstinet ab actione faciendâ, etiam cùm potest abstinere, & vehementiùs sollicitatur ut abstineat. Atque hæc ratiocinatio, ut nobis quidem videtur homini sapienti legitima apparebit.

Non satagit ut opus exequatur qui non exequitur cum potest exequi & graviori ratione urgetur ad exequendum

Confirmatur 1. Non curat, quantùm in ipso est, ne quid faciat à Deo prohibitum, quicumque ultro sciens & volens se exponit eminenti periculo faciendi actionem prohibitam: quicumque autem sequitur minorem probabilitatem libertati faventem in concursu majoris præcepto negativo faventis, jam ultro, sciens & volens, exponit se eminenti periculo faciendi actionem prohibitam: est enim mali incurrendi periculum eminens, quando majus est, quàm sit spes mali vitandi: nam ubi periculum spe majus est, continuò spei eminere intelligitur: atqui in sequendâ minore probabilitate, quæ libertati favet, contra præceptum negati-

Non curat ne quid faciat à Deo vetitum qui sciens & volens exponit se periculo eminenti faciendi rem vetitam.

vum probabilius, majus est periculum faciendi actionem prohibitam, quam sit spes non faciendi, ut patet omni homini terminos penetranti: ergo quicumque sequitur minorem probabilitatem libertati faventem, contra præceptum negativum probabilius, exponit se ultro, sciens & volens, eminenti periculo faciendi actionem a Deo prohibitam.

Confirmatur 2. Peccat contra legem æternam realis obsequii Deo præstandi, qui exponit se morali periculo non præstandi Deo obsequium reale quod exigitur: sed nisi sequatur homo probabilitatem majorem præcepto affirmativo faventem, exponit se morali alicui periculo, non præstandi Deo obsequium reale, quod exigitur; exponit enim se periculo probabiliori, ut per se patet: periculum autem probabilius, est aliquod periculum morale: nam ad periculum morale pertinet, periculum illud quo ferè homines magis deterrentur, quàm spe contrariâ alliciantur: ad periculum morale pertinet, quod qui subire amat, necesse est, malum sæpiùs incurrere quam vitare: ad periculum morale pertinet, quod prudenter contemni non potest, cujusmodi profectò est periculum probabilius: periculo enim probabiliore magis ferè deterrentur homines, quàm spe minùs probabili alliciantur: periculum probabilius qui subire amat, necesse est, ut in illo frequentiùs pereat: periculum igitur probabilius prudenter contemni non potest; neque enim prudenter contemnitur, quod meretur, ut spei oppositæ præferatur.

Sequens minorem probabilitatem exponit se vero morali periculo frustrandi Deum obsequio reali.

Confirmatur 3. Tenetur homo lege obsequii realis Deo præstandi, eam partem sequi, quam si non sequatur, prudenter judicat, se pluries obsequio reali defuturum, quàm non defuturum: sed si non sequatur probabilitatem majorem præcepto faventem, prudenter judicat, se defuturum pluries obsequio reali, quàm non defuturum: necesse enim est, majori probabilitati, quæ præcepto favet, pluries subesse verum præceptum, quàm non subesse.

Qui habet minorem probabilitatem pro regulâ, judicat se reali obsequio pluries defuturum, quam non defuturum.

Confirmatur 4. Quando finis obsequii Deo præstandi, est finis aliquis diversus ab honestate operantis, non potest homo minorem probabilitatem sequi libertati faventem; quia bona fides, seu honestas operantis ei fini obtinendo non suffragatur: atqui finis obsequii realis per actionem externam Deo præstandi, est semper finis aliquis diversus ab honestate operantis; gloria nimirùm aliqua Dei, & bonum publicæ ædificationis, ergo, &c. Majorem propositionem ne ipsi quidem benigni Doctores negabunt: Minor verò certa esse intelligitur ex suprà dictis: nam reale obsequium Deo præstandum consistit in actione aliquâ externâ, vel faciendâ, vel omittendâ: & actionis quidem faciendæ finis à Deo intentus, est gloria Dei extrinseca, & ædificatio publica; actionis verò omittendæ finis, est damnum aliquod gloriæ Dei, aut scandalum proximi vitandum, ut supra statuimus: ergo in iis saltem præceptis, quæ circa actionem externam versantur, sequi non licet minorem probabilitatem libertati faventem.

Nec suffragatur bona fides, quia finis à Deo intentus in obsequio reali non est sola honestas operationis, sed præterea gloria ipsius Dei extrinseca, & ædificatio proximi.

Objicies 1. satis cordi habet obsequium reale Deo præstandum, qui paratus est Deo obsequi, quoties de præcepto divino satis constabit: minorem autem probabilitatem sequens libertati faventem, paratus est obse-

qui Deo, quoties de præcepto divino ſatis conſtabit: ergo ſatis cordi habet obſequium reale Deo præſtandum: ſed de præcepto divino non ſatis conſtat, quandiu probabilitas minor libertati favet: neque enim ſatis conſtat de præcepto, quandiu de præcepto rationabiliter dubitatur: dubitatur autem rationabiliter de præcepto; quandiu eſt minor probabilitas libertati favens: ergo poteſt quis minorem probabilitatem ſequi libertati faventem, ſalvâ lege obſequii realis Deo præſtandi; quæ profectò lex non obligat ad obſequendum præcepto dubio. Reſpondeo. De præcepto divino ſatis conſtare per majorem præcepti probabilitatem, & ita conſtare, ut quicumque obſequium reale Deo præſtandum ſatis cordi habet, continuò determinetur ad obſequendum: quare ſatis cordi non habet quicumque non determinatur; neque enim ſatis cordi habet obſequium divinum, qui ſciens & volens negligit aut prætergreditur præceptum aliquod Dei probabilius; id quod puto ſatis apparere ex terminis.

De præcepto Dei ſatis conſtat per majorē præcepti probabilitatem.

Quod autem additur, præceptum dubium eſſe in hypotheſi minoris probabilitatis libertati faventis, vanum effugium eſt. Pro quo effugio præcludendo dicendum eſt; præceptum ita dubium eſſe ſpeculativè, ut ſit idem certum practicè: ſpeculativè quidem dubium eſt, ut fert hypotheſis; propter rationes graves, quæ probant, præceptum non eſſe: ſed eſt idem practicè certum, eo ipſo quòd probabilius eſt: præceptum enim probabilius in praxi perindè obligat, eo fere modo ac ſi certum eſſet; idque ex lege æternâ obſequii realis Deo præſtandi, indiſpenſabiliter obligante ad ſequendam majorem probabilitatem præcepto faventem: neque negari poteſt iſtiuſmodi lex à Doctoribus benignis, quicumque agnoſcunt ſequendam eſſe partem probabiliorem præcepto faventem, quoties finis præcepti non eſt ſola honeſtas operandi, ſed aliquid ab operandi honeſtate diſtinctum, cui obtinendo bona fides operantis non ſuffragatur: præceptum enim, quodcumque tale eſt, ut reſpiciat obſequium reale Deo præſtandum multos fines habet ab operandi honeſtate diſtinctos, ut ſupra declaravimus, quibus profectò obtinendis, bona fides operantis non ſufficit, ſed neceſſeria eſt executio rei præceptæ.

Præceptum probabilius dubium, eſt ſpeculativè, ſed certum practicè.

Objicies 2. Deo ipſi parum cordi eſt obſequium reale & externum creaturæ ſuæ: ergo non adeò cordi eſſe debet creaturæ obſequenti. Antecedens habetur paſſim in Scripturâ, ubi dicitur Deus quærere obſequium ſpiritûs, obſequium affectivum, eo ferè ſolo contentus; reprobare autem obſequium reale & externum, ſpiritu & affectu deſtitutum: quare præſumendus non eſt, ita cordi habere obſequium reale & externum, ut propter illud habendum, obliget ad ſequendam majorem probabilitatem præcepto faventem: nam ſi talem obligationem non facit lex æterna obſequii affectivi, quod Deo tantopere cordi eſt, quantò minùs faciet lex æterna obſequii realis & externi, quòd Deus longè minùs curat obſequio affectivo. Reſpondeo. Nego antecedens. Utrumque enim obſequium Deo valde cordi eſt, ſeu reale, ſeu affectivum: quia obſequium affectivum eſt obſequium animæ: reale verò obſequium corporis; & plus eſt Deo anima, quàm corpus, juxta illud. *Nonne anima plùs eſt, quàm eſca?* Quare ſi lex æterna realis obſequii obligat ad majorem probabilitatem

Utrumque obſequium, reale ſcilicet & affectivum, Deo valde cordi eſt, quare & homini eſſe debet.

ſequendam, quantò magis obligare præſumenda eſt lex æterna obſequii affectivi? Utrumque ergo obſequium debet homo cordi haberi, ſed reale minùs, quàm affectivum; quia reale ſine affectivo eſt corpus ſpiritu & animâ vacuum: affectivum autem languere neceſſe eſt, niſi & reale præſtetur, ubi unum & alterum exigitur: quare ſi lex æterna obſequii affectivi prohibet minorem probabilitatem libertati faventem ſequi, prohibere quoque credenda eſt lex æterna obſequii realis, quoties ſaltem obſequium affectivum cum obſequio reali, Legiſlatoris voluntate conjunctum eſt.

Inſtabis. Ergo utrumque obſequium unâ eâdemque lege concludimus; cùm tamen diverſa ſit utriuſque ratio, & unum Deus longè magis velit, quàm alterum: nam obſequium affectivum ita vult, ut illo ſolo quandoque contentus ſit, putà in caſu ignorantiæ, aut impotentiæ, quando obſequium reale aut pręſtari non poteſt, aut inculpabiliter neſcitur eſſe præſtandum: ſecus verò obſequium reale ſi ſolum fuerit Deus non modò non approbat, ſed etiam reſpuit, ac reprehendit: atqui in eo qui ſequitur probabilitatem minorem libertati faventem, non deficit obſequium affectivum; eſto, obſequium reale deficiat. Nimirùm ille ita non præſtat rem imperatam, ut tamen paratus ſit præſtare, quando ſatis ſciet, eſſe imperatam: ergo non deeſt illi obſequium affectivum, quo uno Deus contentus eſt; ſed fortè deeſt ſolum obſequium reale, quod eſt Deo ſatis indifferens. Reſpondeo. Quod Deus unâ eâdemque lege concludit, & nos concludimus: Deus autem unâ eâdemque lege obſequium affectivum & reale plerumque concluſit: quo ferè modo ſpiritum & corpus uno eodemque nexu colligavit: quare dici non poteſt ſolo obſequio affectivo contentus, qui etiam reale obſequium determinatè & expreſsè vult; utrumque invicem ſic nectens, ut unum nolit eſſe ſine altero: affectum quidem internum eſſe volens, animæ inſtar actionem externam vivificantis; actionem verò externam, inſtar corporis affectum internum monſtrantis, & ſenſibilem facientis: ſic tamen utrumque unâ lege concluſit, ut ex modo volendi ſemper unum ab altero diſtinguat; ſiquidem plùs ei placet affectus obſequii, quàm reale obſequium: affectus enim obſequioſus placet ratione ſui & independenter ab obſequio reali, placiturus, etiamſi obſequium reale non eſſet, ut poteſt non eſſe, ex accidente quâdam, illud præſtandi, impotentiâ: obſequium verò reale non tam placet ratione ſui, quàm ratione affectûs obſequioſi, à quo eſt, non placiturum, ſi ab illo non eſſet. Sed ſi magis Deo placet affectus obſequioſus, quàm reale obſequium, obſequium reale viciſſim videtur eſſe utilius ad fines à Deo intentos: nam affectus obſequioſus ita privatim bonus eſt habenti, & glorioſus Deo, gloriâ aliquâ privatâ; ut ſi ſolus ſit, jam neque ad gloriam Dei publicam, neque ad proximi ædificationem conducat; quò tamen plurimum valet obſequium reale: quare obſequium reale Deus vult aliquo modo magis quàm affectum internum obſequioſum; affectum enim obſequioſum ordinat in obſequium reale, tanquàm in finem. Undè ſequitur mirum aliquid, nec minùs verum, Deo ſcilicèt minùs quodammodo placere, quod magis vult, & minùs

Obſequium affectivum eſt quaſi anima, reale autem eſt inſtar corporis in actione humanâ.

Plus placet ei affectus obſequii quam reale obſequium.

Sed obſequium reale videtur utilius ad fines à Deo intentos.

Unde minus quodammodo placet Deo quod Deus magis vult, minus item vult quod magis placet.

quodammodo Deum velle, quod ei magis placet: nam Deo magis placet affectus obſequioſus, quem minùs vult; & magis vult obſequium reale, quod ei placet minùs. Sequitur item, ex lege ęternâ obſequii realis, novam oriri obligationem ſequendæ majoris probabilitatis præcepto faventis; quia ſcilicèt bona fides operantis, quæcumque tandem illa ſit, ſuffragari non poteſt finibus præcipuis, quos Deus per obſequium reale obtinere intendit; iis finibus plerumque fraudandus, ſi liceret minorem probabilitatem ſequi libertati faventem. Sequitur demum, in eo qui negligit obſequium reale, quod probabilius apparet eſſe præceptum, eſſe non poſſe affectum ſatis obſequioſum: neque enim ſatis affectus eſt ad obſequendum, qui obſequium non præſtat, quod exigitur; cùm aliundè & præſtare poſſit, & ſatis ſciat, eſſe præſtandum.

Satis affectus ad obſequendum on eſt qui egligit obſequium quod robabilius pparet eſſe ræceptum.

Objicies 3. Defectus obſequii realis non imputatur ei, qui ignorat invincibiliter præceptum obſequii; ignorantia enim invincibilis à peccato excuſat: in hypotheſi autem probabilitatis minoris libertati faventis, ignoratur invincibiliter præceptum obſequii libertatem ligans: ignoratur enim invincibiliter, quod poſt inquiſitionem ſufficientem neſcitur eſſe: neſcitur autem eſſe, quod rationabiliter dubitatur, an ſit; aut etiam prudenter judicatur non eſſe; quo modo ſe habet præceptum obſequii realis, in hypotheſi minoris probabilitatis libertati faventis. Reſpondeo. Præceptum obſequii realis, ex quo probabilius apparet eſſe, dici non poteſt ſimpliciter ignorari: illud enim propriè & ſimpliciter dicitur ignorari, cujus aut nulla idea habetur, aut nulla ſuſpicio, aut nullum fundamentum grave, quod prudenter contemni non poſſit: præcepti autem probabilioris non modò idea, aut ſuſpicio aliqua habetur, ſed fundamentum ita grave, ut prudenter contemni non poſſit: quare ſub tali ac tantâ apparentiâ, qualis ſupponitur, præceptum ſciri magis dicendum eſt, quàm ignorari; neque defectum obſequii realis, præcepto probabiliore imperati, qualiſcumque illa quæ prætenditur ignorantia præcepti, coram Deo juſto judice excuſabit. Quod autem additur ad probationem ignorantiæ iſtius imaginariæ, planè nullum eſt. Nam 1. Præceptum, ex quo probabilius apparet, non poteſt prudenter judicari non eſſe; quia ut judicaretur non eſſe, deberet minor veri ſpecies præferri majori, quod ſine imprudentiâ fieri non poteſt. 2. Ex quo præceptum probabilius eſt, jam non poteſt eſſe practicè dubium: habetur enim certitudo quædam illius moralis & practica, quâ fit, ut neceſſariò judicari debeat exiſtere, aut certè mandari executioni, perindè ac ſi certò exiſteret: quare præceptum probabilius pro moraliter certo haberi debet, non pro dubio, aut ignorato.

Non ignoratur præceptum cujus exiſtentia ita apparet ut apparentia illa contemni non poſſit.

Minor veri ſpecies præferri majori non poteſt.

Præceptum probabilius haberi debet pro moraliter certo in ordine ad praxim.

Inſtabis. Qui minorem probabilitatem ſequens, obſequium reale prætermiſit, quod exigebatur præcepto probabiliore, vacare videtur omni culpâ: in quo enim veniret culpandus? An quia non ſatis inquiſivit? Sed inquiſitionem ſufficientem ipſemet credit ſe præmiſiſſe: an quia præceptum ei non ſatis apparuit? Sed apparere non potuit clariùs, niſi fortè adhibitâ inquiſitione ulteriore, quam adhibere non tenebatur: an quia judicavit, præceptum non eſſe? Sed prudenter & ex gravi fundamento ita

judicavit: an quia suum illud judicium voluntate sequutus est? Sed quid mali est, judicio prudenti conformasse voluntatem. An denique quia obsequium non præstitit, quod exigebatur? Sed illud nonnisi ex directione judicii prudentis prætermisit. Respondeo. Multipliciter venit, aut venire potest culpandus, qui, minorem probabilitatem sequens, obsequium reale prætermisit, quod pręcepto probabiliore exigebatur. Culpandus enim 1. defectu legitimæ inquisitionis; si fortè præcipitanter, sine sufficienti morâ & attentione procedens, videre sibi visus est probabilitatem ubi non erat. Culpandus 2. defectu sinceritatis; si in staterâ dolosâ lenocinantis amore libertatis, magis quàm rationum pondere, ad probabilitatem æstimandam determinavit se. Culpandus 3. defectu reverentiæ præcepto debitæ; si fortè in dubio præcepti contra præceptum iverit: ea enim debetur præcepto reverentia, ut contra ire sit nefas, donec prudenter judicetur præceptum non esse. Culpandus 4. titulo iniquæ prælationis; si secundùm minorem speciem veri judicaverit, cùm secundùm majorem judicare debuisset. ex lege æternâ veritatis. Culpandus 5. ex lege honestatis; si voluntate sequutus non est, quod probabilius apparebat præceptum non esse, ac proindè honestum necessarium; nec satis aversatus, quod magis apparebat turpe & inhonestum, cùm tamen teneretur & unum prosequi, & alterum aversari. 6. Denique culpandus venit ex lege realis obsequii; si obsequium reale, quod probabiliùs exigebatur, prætermisit: exposuit enim se eminenti cuidam & morali periculo, non modò non obsequendi, sed etiam per obsequii omissionem Deum frustrandi gravissimis finibus, per obsequium reale intentis, quibus obtinendis non suffragatur bona fides hominis obsequium reale omittentis.

Multipliciter culpandus qui majorem probabilitatem præcepto faventem contempsit.

Objicies 4. ineptè dicitur exponere se eminenti periculo non obsequendi, qui magnam & rationabilem spem habet, non defuturum se obsequio imperato: qui autem sequitur minorem probabilitatem libertati faventem, magnam & rationabilem spem habet, non defuturum se obsequio imperato: tantam enim spem habet, obsequio imperato non defuturum se, quantam habet spem veritatis assequendę, per judicium minùs probabile libertati favens, quo dirigitur: spes autem assequendæ veritatis per judicium minùs probabile, magna profectò spes est; quia judicium minùs probabile nititur motivis gravibus, quæ magnam spem faciunt assequendæ veritatis; non futurum probabile si talibus motivis non niteretur. Respondeo. Nego majorem. Ex quo enim periculum non obsequendi majus est, quàm sit spes obsequii non defuturi, jam periculum intelligitur spei eminere, ac proindè intelligitur esse periculum eminens: atqui fieri potest, ut magna quædam spes concurrat cum periculo majore, ergo fieri potest, ut qui magnam spem habet, non defuturum se obsequio, exponat se tamen eminenti periculo non obsequendi; id quod fieri necesse est in usu minoris probabilitatis libertati faventis: nam qui illam sequitur, spem quidem magnam habet non defuturum se obsequio; spem scilicèt fundatam in motivis probabilibus, quæ suadent, obsequium non esse imperatum: subit tamen idem periculum aliquod non

Magna quidem spes est præstandi obsequii, sed majus periculum omittendi, quare potius vitandum periculum quâ spes sequenda.

obſequendi, periculum ſpe majus, periculum ſpei eminens, in majore præcepti probabilitate fundatum, quale periculum ſubire non licet, ex lege obſequii realis Deo præſtandi.

Inſtabis. Eſto, periculum non obſequendi ſit ſpei eminens, ſeu ſpe majus; non eſt tamen periculum morale, quale fingimus eſſe: periculum enim morale inducit neceſſitatem quandam moralem mali incurrendi, ac proindè magnam ſpem non relinquit mali vitandi: atqui periculum non obſequendi, quod ſubit, qui ſequitur minorem probabilitatem libertati faventem, magnam ſpem relinquit, periclitantem non defuturum obſequio imperato, ut nos ultro fatemur: ergo periculum ejuſmodi non eſt periculum morale. Reſpondeo. Periculum ſpei eminens, ſeu ſpe majus, eſt idem aliquo ſenſu periculum quoddam morale: periculum enim morale dicitur, ut ſupra monuimus, non illud ſolùm, quod neceſſitatem moralem incurrendi mali, ita inducit, ut vel nullam, vel modicam ſpem relinquat mali vitandi; ſed illud quoque, quod tale eſt, ut eo deterreri magis ſoleant homines, quàm ſpe oppoſitâ allici; vel tale, ut qui conſtanter illud ſubit, neceſſe habeat, malum pluries incurrere, quàm vitare; vel tale demum, ut contemni non poſſit ſine imprudentiâ: atqui tale eſt periculum probabilius: periculo enim probabiliore ſolent homines deterreri magis, quàm ſpe minùs probabili allici: periculo probabiliori, qui ſe conſtanter exponit, neceſſe habet, malum pluries incurrere quàm vitare: denique periculum probabilius ſine imprudentiâ contemni non poteſt: ergo & ipſum rectè dicitur, eſſe periculum aliquod morale, etiamſi magnam aliquam vitandi mali ſpem relinquat, nec moralem faciat incurrendi mali neceſſitatem.

Periculum non exequendi eſt periculum morale in vero ſenſu, eoque triplici.

Objicies 5. Poteſt quis licitè amplecti ſtatum conjugalem præ cœlibatu: in ſtatu tamen conjugali periculum eſt non obſequendi Deo, & quidem periculum majus, quam in cœlibatu: ergo poteſt quis, etiam licitè, exponere ſe periculo eminenti non obſequendi Deo. Reſpondeo. In amplectendo ſtatu conjugali nullum periculum eſt proximum & immediatum non obſequendi Deo: quia certum eſt, nec prohiberi ſtatum conjugalem, nec cœlibatum imperari: quare tam certus eſt, qui ſtatum conjugalem amplectitur, ſe non deeſſe obſequio Dei imperato, eo præcisè quòd ſtatum conjugalem amplectatur, quàm certus ſit qui cœlibatum amplectitur, eidem ſe obſequio non deeſſe, eo præcisè quòd amplectatur cœlibatum. At verò qui ſequitur minorem probabilitatem libertati faventem, ſubit hoc ipſo periculum proximum & immediatum Deo non obſequendi; quia probabilius eſt, partem quam ſequitur, eſſe prohibitam; ac proindè in eâ parte ſequendâ, periculum eſt ſpei eminens, ſeu ſpe majus, Deo non obſequendi, cujuſmodi periculo exponere ſe non licet.

Qui præfert ſtatum conjugalem cœlibatui nullum ex eo præcisè ſubit periculum non exequendi.

Inſtabis. Plus periculi eſt in ſtatu conjugali, quàm in cœlibatu: tutior enim eſt vita cœlebs, quàm conjugata: ergo in ſtatu conjugali eſt periculum eminens, cui tamen periculo licitum eſt exponere ſe: ergo ex capite periculi eminentis non eſt cur reprobetur uſus probabilitatis minoris libertati faventis. Reſpondeo iterum. Neque in ſtatu conjugali, neque

Majus periculum ſalutis in vitâ conjugatâ non ſemper obligat ad

neque in cœlibatu esse periculum proximum & immediatum Deo non obsequendi, obsequio aliquo imperato; neuter enim status prohibitus est, neuter præceptus: quare statum conjugalem amplectens tam certus est, se non amplecti statum prohibitum, quàm certus sit amplectens cœlibatum. Quòd si tamen de periculo remoto agatur, non diffiteor, generatim & absolutè loquendo, plùs periculi esse in statu conjugali, quàm in cœlibatu, & tutiorem ferè esse vitam cælibem, quàm conjugatam; quia & minoribus, & paucioribus periculis obnoxia est: sed periculum illud remotum tale non est, ut semper inducat obligationem vitandi illud, undè nascitur; si nimirùm ita ex illo sequatur, ut possit sequela impediri; id quod evenit in statu conjugali, ex quo plura quidem, & graviora peccandi pericula sequuntur, sed ita sequuntur, ut vitari possint, aut superari etiam in sensu composito statûs conjugalis: quare propter illa vitanda non est obligatio vitandi, aut deserendi statum conjugalem, ex quo sequuntur. Dixi, vitam cœlibem tutiorem ferè esse, quam conjugatam, *generatim & absolutè*; nam specialiter & respectivè fieri potest, ut conjugata sit tutior; quia, ut loquitur Apostolus, *melius est nubere quàm uri.* Quare debet unusquisque in bivio positus æstimare utrumque statum respectivè ad se, eumque eligere, in quo post examen sufficiens ipsi videtur minùs periculi esse, & spes faciendæ salutis prævalere periculo æternæ damnationis: nam eligere statum, in quo majus apparet esse damnationis incurrendæ periculum, quàm spes faciendæ salutis, respectivè ad eligentem, illicitum est: hoc enim est exponere se periculo eminenti æternæ damnationis, cui periculo exponere se non licet. Ratio nimirùm est. Quia tenetur homo ex propriâ charitate ita velle sibi salutem æternam, & ita fugere æternam damnationem, ut ex desiderio unius, & fugâ alterius determinetur efficaciter ad fugiendum illud omne, ex quo fieri videtur periculum eminens damnationis, seu periculum majus quam sit spes faciendæ salutis. Ubi diligenter observa, periculum dici eminens, non respectivè ad periculum minus, sed respectivè ad spem minorem oppositam: nam quòd periculum unum sit majus alio, non continuò est obligatio vitandi illud; si nimirùm spes aliqua periculo major supersit: sed est obligatio vitandi periculum salutis, quodcumque majus est spe oppositâ. Ratio generalis est principium suprapositum. Quia naturalis & rationabilis aversio à malo determinat efficaciter ad majorem apparentiam mali fugiendam.

vitam illam fugiendam aut deserendam, quia est remotũ, neque necessario peccatum trahit.

Quilibet tamen respectivè ad se tenetur fugere statum in quo majus apparet periculum damnationis quam spes salutis operandæ.

Periculum hîc dicitur eminens nõ quod majus est alio periculo sed quod majus est spe opposita.

CAPUT TERTIUM.

PROPONITUR ARGUMENTATIO TERTIA,

Ex verbo Dei ſeu ſcripto ſeu tradito.

Argumenta ex idea Dei petita, & leges naturales veritatis quærendæ, honeſtatis ſequendæ, obſequii realis Deo præſtandi inducunt eandem obligationē.

EFficacia quidem ſunt, quæcumque hactenus argumenta duximus; tum ex præcipuis perfectionibus divinis, in ideâ Dei eminentibus, dominio, ſapientiâ, ſanctitate; tum ex primis prudentiæ regulis, in uniuſcujuſque conſcientiâ, Dei digito exaratis, pro legitimâ directione ſeu intellectûs, ſeu voluntatis, ſeu operationis externæ: nam eæ regulæ ſunt veluti leges naturales, obligantes ad ſequendam majorem probabilitatem præcepto faventem, in concurſu probabilitatis minoris faventis libertati: obligat enim lex veritatis; obligat lex honeſtatis; obligat lex obſequii realis Deo præſtandi: eæque leges ut ipſo naturæ lumine innoteſcunt, ita innoteſcit pariter obligatio, quam continent & inducunt. Sed quia lumen naturale in pleriſque mortalibus adeò habeſcit, aut deficit, ut nec ſapiant quæ Dei ſunt, nec quæ ſunt hominum; in pleriſque verò ſic aberrat, ut bonum illis videatur eſſe, quod malum eſt; adhibere placet ipſum verbum Dei, in ſubſidium & ſupplementum luminis naturalis, ſeu deficientis, ſeu aberrantis. Eſt autem verbum Dei aliud Scriptum, aliud traditum: Scriptum dicitur, quod in ſcriptura canonicâ continetur: Traditum verò, quod extra canonicam ſcripturam in traditione aſſervatur: utrumque ſummæ authoritatis eſt: ex utrumque argumentemur.

Lumine naturali plerumque deficiente; aut aberrante, ipſum Dei verbum vocandum eſt in ſubſidiū.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM,

Ex verbo Dei ſcripto.

Triplex via inveſtigandi ex verbo ſcripto ſeu ex Scripturâ canonicâ obligationē ſequendæ partis probabilioris præcepto faventis.

PRæmitto. Pro obligatione ſequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, in verbo Dei ſcripto inveſtiganda; triplex via tentanda nobis occurrit. Prima eſt. Via teſtimonii formalis & expreſſi: ſi nimirùm in aliquo Scripturæ textu obligatio quam quærimus, formaliter & expreſsè habeatur, aut ita vehementer indicetur, ut perſuaſionem rationabilem & probabiliorem faciat. Altera eſt. Via principii, ſeu veritatis alicujus generalis, ex qua talis obligatio neceſſariâ conſecutione evidenter, aut probabilius inferatur. Tertia eſt via conjecturæ; ſi quo modo ex aliquâ Scripturæ circumſtantiâ poſſit eadem obligatio rationabiliter conjici. Tentemus omnem viam, ne nos ſubtilis & delicata veritas, quam quærimus, effugiat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Tentatur via testimonii formalis & expressi.

PRima ergo tentanda nobis via, est via formalis & expressi testimonii: arcta illa quidem, non diffiteor, & satis difficilis: neque enim is ego sum, qui congerere velim Scripturæ testimonia ad causam præsentem planè inepta, ut nonnulli faciunt, post Antoninum Merendam, qui in opere suo de consilio, centena congessit omnia ferè, ut mihi videtur, inutilia & inefficacia: nam hoc si facerem, abuti me scripturâ putarem, eámque in alium, quàm quo scripta est, finem & usum detorquere. Nullum igitur, fateor, Scripturæ textum invenio, quo formaliter & expressè præscribatur obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem; duo tamen Textus occurrunt in quibus videtur satis vehementer indicari.

Via testimonii formalis.

Nullus scripturæ locus formalis, & expressus pro tali obligatione.

Primus Scripturæ Textus habetur Eccli. 37. *Ante omnia opera, verbum verax præcedat te; & ante omnem actum, consilium stabile.* Nam eò loci præscribit evidenter Ecclesiasticus regulam intellectualem directivam operationis humanæ; eámque regulam definit esse, *verbum verax*, & *consilium stabile.* Opinio autem minùs probabilis nec *verbum verax*, nec *consilium stabile* dici potest. Non *verbum verax*; quia frequentiùs ei contingit subesse falsum, quàm verum: sed neque *consilium stabile*; fundatur enim in arena mobili rationis incertæ, quæ per rationes graviores contra pugnantes possit everti facilè, & elevari: ergo opinio minùs probabilis non est regula prudentiæ, regula directiva, quam sequi debeat, aut possit, quicumque sapit.

Primus.

Dices 1. Opinio minùs probabilis potest vera esse, eadémque stare potest, solidis innixa fundamentis: ergo non malè dicitur, *verbum verax*, *& consilium stabile.* Respondeo. Nego consequentiam. Nam opinio minùs probabilis ita quandoque vera est, etiam in concursu probabilioris, ut frequentiùs sit falsa, quàm vera: undè sequitur ita esse aliquando veram, ut nunquàm verax dici possit; neque enim verax est, qui pluries falsum dicit, quàm verum, etiamsi quandoque verum dicat. Consilium autem stabile non magis dici meretur, quàm verbum verax; neque enim stabile dicitur, quod aliquandiu stat; sed quod ita stat, ut elevari & everti, aut non possit, aut ægrè admodùm possit: atqui opinio minùs probabilis si fortè aliquandiu stat, potest tamen per rationes validiores contra pugnantes elevari & everti, ad instar domûs super arenam ædificatæ, quæ ita aliquandiu stat, ut stabilis propterea nec sit, nec dicatur esse.

Opinio minus probabilis non est verbum verax, quia sæpius falsa quam vera.

Dices 2. Ergo ne ipsa quidem opinio prababilior dici poterit verbum verax & consilium stabile; quia & ipsa nec semper vera est, nec satis unquàm firma. Respondeo. Opinio probabilior potest, fateor, quandoque falsa esse; nihilò tamen minùs potest eadem dici *verbum verax*; quia ex genere suo hoc habet, ut ei pluries verum subsit, quàm falsum:

Opinio probabilior verbum verax, quia sæpius vera quam falsa.

nam verax dicitur non ille ſolus, qui ſemper & conſtanter verum dicit; ſed ille etiam qui verum dicere ſolet; licèt fortè quandoque falſum dicat. *Conſilium* item *ſtabile* dici poteſt opinio probabilior; quia ſtat firma contra rationes, quæ communiter afferuntur: eſto, rationibus extraordinariis & novis elevari interdùm poſſit: quò ferè modo ſtabilis eſſe domus non deſinit, quamvis extraordinario aliquo terræ motu concuti poſſit, & funditùs everti.

Ex reflexione ſupra ſtatum in quo non licet operari venire non poteſt conſcientia certa licitæ operationis.

Dices 3. *Verbum verax, & conſilium ſtabile*, de quo loquitur Eccleſiaſticus non eſt opinio minùs probabilis, ſed conſcientia habita per reflexionem ſupra dubium legis, in hypotheſi minoris probabilitatis libertati faventis: nam ea conſcientia cùm certa ſit, & certificet de licentiâ operationis, meritò dicitur verbum verax, & conſilium ſtabile. Sed contra reſpondeo. Ex reflexione ſupra ſtatum, in quo non licet operari, non poteſt haberi conſcientia certa licitæ operationis: reflexio autem ſupra dubium legis eſt reflexio ſupra ſtatum, in quo non licet operari: eſt enim lex generalis, ne quis operetur in dubio legis operationem prohibentis: ergo conſcientia veniens ex reflexione ſupra dubium legis operationem prohibentis, non eſt verbum verax, & conſilium ſtabile, ſed verbum fallax, & conſilium inſtabile, ſupra mobilem arenam dubii & hæſitationis fundatum.

Alter ſcripturæ locus.

Alter Scripturæ Textus habetur 1. Theſſal. 5. Ubi Apoſtolus Legis novæ Eccleſiaſticus, qui Ethicę chriſtianæ principia & præcepta per Epiſtolas ſuas mirabili ſapientiâ diſperſit, auream prudentiæ regulam tradit, in omnibus dubiis ſequendam. *Omnia*, inquit, *probate; quod bonum eſt tenete; ab omni ſpecie malâ abſtinete vos.* In cujus regulæ contextu tria præſcribuntur. Primum eſt probatio, quâ determinetur, & quid boni ſit, & quid mali. Alterum. Proſecutio & electio boni. Tertium fuga & reprobatio mali. In ſingulis autem verſiculis videtur Apoſtolus determinare obligationem ſequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, & uſum probabilitatis minoris libertati faventis excludere.

Ex Apoſtolo examen præit tum ſequitur deciſio, quæ ſi prudens ſit non fit ſecundũ partem minus probabilem libertati faventem.

Et in primo quidem verſiculo *omnia probate.* Nam in probatione importatur tum examen diligens eorum omnium, quæ dubia ſunt, ſeu quæ dubiam bonitatem aut malitiam habent, tum diligentis examinis fructus; nimirùm aliqua determinatio ſapiens, quâ dubium tollatur, ſeu, quid bonum ſit, aut quid malum, prudenter ſtatuatur. Nimirùm ex ſenſu Apoſtoli non licet operari in dubio: nam ſi liceret in dubio operari; quorſum, quæſo, Apoſtolus examen præſcriberet? Cùm examen eò ſolùm tendat, ut probatio fiat, & per deciſionem quæſtionis prudenter dubium tollatur. Undè ulteriùs ſequitur, ſecundùm Apoſtolum, non licere operari, niſi poſt prudentem determinationem unius partis; neque enim licet operari niſi poſt factam probationem; *omnia probate:* non eſt autem facta probatio bonitatis aut malitiæ, niſi bonitas aut malitia determinata fuerit: quo ferè modo non eſt facta probatio auri, niſi aurum fuerit in camino examinatum, idémque inventum vel probum, vel reprobum. Cùm autem deciſio prudenter fieri non poſſit ſecundùm partem

minùs probabilem libertati faventem, necesse est, ut vel status dubii perseveret, in quo tamen statu, juxta Apostolum, non licet operari contra præceptum; vel quæstio decidatur secundùm partem probabiliorem præcepto faventem, ac proindè præcepto probabiliori obtemperetur: neque enim potest prudenter negligi, aut præteriri præceptum, quod prudenter esse judicatur. Vides, versiculo illo primo, *omnia probate*, usum probabilitatis minoris libertati faventis, quàm bellè Apostolus excludat: operationi scilicèt præmittenda est probatio: probatio autem ad operationem necessaria haberi non potest, sine decisione unius partis: decisio verò ista non potest fieri secundùm libertatem minùs probabilem: ergo fieri debet secundùm præceptum probabilius; ac proindè, juxta doctrinam Apostolicam præcepto probabiliori est obtemperandum; id quod expressiùs tradit Apostolus, versu sequenti, quo præscribitur electio & prosecutio boni: *Quod bonum est*. inquit, *tenete*; affectu scilicèt & voluntate: Declarat nimirùm Apostolus fidelibus, affectu & voluntate tenendum esse, quodcumque factâ probatione clarè intellexerint, aut prudenter judicaverint esse bonum, seu, quod idem est, voluntati divinæ conforme: quemadmodum solent aurifices & probatores auri, quodcumque in camino ignis probatum & examinatum, purum & solidum aurum esse compererint retinere: ergo declarat Apostolus affectu & voluntate sequendam esse partem præcepto faventem, ubi post examen sufficiens apparet probabilior; & vera esse prudenter judicatur: nam qui sequitur eam partem, tenet quod bonum est.

Quod bonum est dimittit, qui sequitur partem minus probabilem.

In tertio denique versiculo; *Ab omni specie malâ abstinete vos*: ita præscribitur fuga mali, ut usus probabilitatis minoris libertati faventis proscribi omninò videatur: pars enim libertati favens in concursu majoris probabilitatis præcepto faventis habet saltem aliquam speciem mali imò speciem majorem; & quia majorem, habet aliquo modo, omnem: in usu enim satis communi totum esse dicitur, quod præcipuum est, & omnia dicitur habere, qui plura cæteris habet.

Non abstinet se à specie mali, qui majorem speciem mali amplectitur.

Dices 1. Regula illa aurea meri consilii est, non præcepti: ergo ex illâ argumentum nullum est. Respondeo. Regula Apostolica nihil habet, quod præcepti non sit: nam præcepti est probatio, seu inquisitio veritatis in dubio facienda: *Omnia probate*. Præcepti est adhæsio ad bonum honestum necessarium, quale bonum est, quodcumque à Deo præceptum est. *Quod bonum est tenete*. Præcepti est fuga mali inhonesti, de quo loquitur Apostolus. *Ab omni specie malâ abstinete vos*. Quare, si bene advertimus, Regula illa nihil aliud est, quam complexio multarum legum naturalium, quas leges, è memoriâ hominum obliteratas renovare, & inculcare satagit, pro zelo suo, Apostolus, puta, legem inquirendæ veritatis; legem sequendæ honestatis; legem fugiendæ turpitudinis. Neque prætereundum hîc est, quod Regulæ datæ subjungit Paulus, ad obligationem innuendam. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima & corpus, sine querelâ in adventu Domini Nostri Jesu Christi servetur.* Nam ea Regula præcepti est, non consilii, quæ nisi observetur, nec integer spiritus, nec anima & corpus sine querelâ, aut reprehensione servabitur.

Superior Apostoli regula præcepti est, non meri consilii.

Dices 2. Regulæ Apoſtolicæ omninò ſatisfit per uſum probabilitatis minoris: nam probatio illa, quam requirit Apoſtolus, quid eſt aliud, niſi inquiſitio? inquiſitioni autem ſatisfeciſſe videtur ille qui poſt adhibitam diligentiam, quam tenebatur adhibere, legem invenit rationabiliter dubiam eſſe, ac proindè non obligare; jam enim obtinuit finem inquiſitionis, eò ſpectantis, ut habeatur ſcientia, vel obligationis, vel libertatis: quare ſpiritus ejus, ſeu intellectus ſine querelâ erit; examinavit enim, & probationem fecit, uti debuit: erit & anima, ſeu voluntas, irreprehenſibilis; quatenus tenebit, quod eſt bonum, ſaltem negativè, hoc eſt non malum: nec anima ſolùm aut ſpiritus extra reprehenſionem erit; ſed etiam corpus, ſive externa operatio, quam certum eſt malum non eſſe. Abſtinebit ergo ſe, operans ſecundùm minorem probabilitatem, ab omni ſpecie malâ; quia nullam ſpeciem mali habet operatio, quam certus eſt operans, ſibi eſſe licitam. Reſpondeo. Minorem probabilitatem ſequens libertati faventem, Regulæ Apoſtolicæ omninò videtur repugnare, & omni ex parte reprehenſibilis. 1. Quidem ex parte probationis: nam quamvis fortè inquiſierit de lege, & inquirendo intellexerit, legem rationabiliter dubiam eſſe; nondùm tamen cenſendus eſt feciſſe probationem: probatio enim non ſolùm requirit dubium rationabile, aut cognitionem dubii rationabilis, ſed ſapientem rei dubiæ determinationem, quam determinationem non fecit, qui minorem probabilitatem libertati faventem ſequendam judicat; rem indeterminatam relinquens, aut imprudenter determinans ſecundùm minorem ſpeciem veri, relictâ majore. Certè probatio auri non intelligitur eſſe facta, donec per auri examen determinaverit aurifex, verumne ſit aurum, an falſum, purum, an impurum: quandiu enim manet aurum dubium, nondùm intelligitur ſatis probatum, ut in uſus humanos valere poſſit. Ratio nimirùm eſt. Quia rei dubiæ examen ideò inſtituitur, ut res dubia ſapienter determinetur: quare ſi poſt examen maneat adhuc dubia & indeterminata, aut nonniſi imprudenter determinetur, haberi debet, etiam poſt examen minimè probata. 2. Reprehenſibilis item eſt, ex parte adhæſionis ad bonum; talem enim non habet, qualem requirit Apoſtolus: *quod bonum eſt tenete*: nam quod libertati favet contra præceptum, non eſt aliquid propriè & poſitivè, ſed impropriè & negativè bonum, hoc eſt, non malum: aliud autem eſt, eſſe bonum; aliud, malum non eſſe: ergo qui ſequitur minorem probabilitatem libertati faventem, non tenet propriè quod bonum eſt; ſed imprudenter dimittit partem probabiliorem præcepto faventem, in quâ ſolâ bonum eſſe, probabilius eſt. Eámque ſequitur partem, in quâ probabilius eſt eſſe aliquid mali. 3. Denique reprehenſibilis eſt, ex parte fugæ & averſionis à malo, quam præcipit Apoſtolus his verbis. *Ab omni ſpecie malâ abſtinete vos*. Neque enim abſtinet ab omni ſpecie malâ, qui ſequitur majorem ſpeciem mali: ſpeciem verò mali majorem ſequitur, quicumque id facit, quod probabilius ipſi apparet eſſe prohibitum. Nec ſatis videò, quomodò blandiri ſibi poſſit operans de certitudine licentiæ operationis, quam ei probabilius eſt malam eſſe.

Minorem probabilitatem ſequens libertati ſuæ faventem cōtrahit ōnino Apoſtolicæ regulæ, & omni ex parte reprehenſibilis eſt.

Primo. Ex defectu probationis.

Secundò. Ex defectu adhæſionis ad bonum.

Tertiò. Ex defectu fugæ & acceſſionis à malo.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Tentatur via Principiorum seu veritatum generalium quæsitam veritatem aliquo modo continentium.

Principia generalia obligationem quæsitam continentia.

ALtera via Scripturæ nobis tentanda, est via Principiorum, seu Veritatum quarumdam generalium, in quibus veritas quam quærimus virtualiter contineatur: via facilior, ut mihi quidem videtur, & planior nam etsi fortè desideretur testimonium formale & expressum, imperans sequendam esse majorem probabilitatem; Principia tamen generalia, undè inferri possit talii obligatio; eaque ut spero, benè multa occurrent, quæ satis hîc erit obiter indicare.

Primò quidem præcipitur in scripturâ diligens inquisitio divinæ legis: quorsum autem est ista inquisitio, nisi ut lex inveniatur, & inventa servetur? lex verò invenitur, quoties esse judicatur: sed quoties probabilius apparet, toties potest judicari prudenter esse lex: ergo toties eadem judicari debet, ac proindè servari.

Secundò. Præcipitur in scripturâ vehemens studium, & affectus servandæ legis. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Ex vehementi autem studio & affectu alicujus boni fit continuò determinatio ad majorem apparentiam boni prosequendam.

Tertiò. Præcipitur in scripturâ accurata legis observatio: non observatur autem lex accuratè, quæ, cùm probabilius appareat esse, negligitur tamen, & prӕteritur.

Quartò. Præcipitur in scripturâ timor Domini; ex quo timore determinatur homo, ad exequendam Domini voluntatem probabiliùs apparentem, juxta illud: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.* Ps. 111. v. 1.

Quintò. Præcipitur amor Dei, omnium maximus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Deut. 6. v. 5. In quo amore dicitur esse plenitudo legis, seu determinatio ad omnem legem implendam: non videtur autem, Deum satis amare, qui non studet ea facere, quæ probabilius est Deum jubere.

Sextò. Præcipitur in scripturâ odium peccati, & omnis iniquitatis tale ac tantum, ut paratus esse debeat homo mori potiùs quà peccare: tale autem ac tantum odium necessariò determinat ad illud fugiendum, quod majorem habet peccati speciem.

Septimò. Præcipitur fuga periculi eminentis: nam *qui amat periculum, peribit in illo:* amare autem periculum eminens videtur ille, quicumque ultrò, sciens & volens, eligit quod probabilius est malum esse.

Octavò. In scripturâ præcipitur custodia cordis: *Omni custodiâ serva cor tuum.* Prov. 4. v. 23. Sed planè cor tuum omni custodiâ non servat, qui in arcem cordis admittit, quod probabilius apparet de malo esse, & cor inficere.

Nonò. Reprehenditur in scripturâ ut præposterum & inordinatum;

Querela de Filiis lucis minus prudẽtibus filiis ſæculi.

Luc 16. *v.* 8.

quòd *filii hujus ſæculi prudentiores ſint filiis lucis in generatione ſua*; ſeu potiùs, quod filii lucis minùs prudentes ſint, filiis ſæculi. Cujuſmodi inordinationis rei videntur eſſe, qui minorem probabilitatem ſequuntur in negotio ſalutis, quam in negotiis humanis ſequi imprudentiæ ducerent.

Congruẽtia divinorum & humanorum principiorũ in re præſenti.

Hæc ferè ſunt ſcripturæ principia, tam numeroſa, ut vides, & tam plauſibilia, ut teſtimonii formalis & expreſſi defectum ſupplere aliquo modo poſſint. Eadem verò principia divina principiis humanis, ſic congruunt, ut magnum indè robur accipiat, quidquid ſupra, luminis naturalis ductum ſequentes, argumentati ſumus; tum ex idea Dei bene penetrata; tum ex primis prudentiæ regulis in mentibus hominum Dei digito exaratis.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Tentatur via Conjecturæ.

Via conjecturæ ex ſcripturâ ſacrâ petitur.

Uſum minoris probabilitatis ſcriptura nuſquam dicit permiſſum.

TErtia & poſtrema ſcripturæ via tentanda nobis, eſt via conjecturæ: occurrit autem conjectura vehemens, undè argui poſſit, uſum probabilitatis minoris eſſe illicitum: Conjectura eſt ipſum ſcripturæ ſilentium, ſeu quod nullibi in ſcripturà dicatur uſus ille permiſſus: cùm enim in concurſu duorum, ſecundùm regulam ſcripturæ generalem, pro eo præſumendum ſit, cui favent graviora motiva, credibile vehementer eſt, *præceptum & libertatem*, quæ duo in hypotheſi noſtra concurrunt, comprehendi regulâ generali, niſi ab eâ regulâ excipiantur: nullibi autem excipiuntur: nam ſi exciperentur, fieret alicubi in ſcripturâ mentio exceptionis; cujuſmodi tamen mentio nullibi fit; in ſcripturâ inquam, *quæ utilis eſt ad erudiendum in juſtitiâ, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*, ut loquitur Apoſtolus. 2. Timoth. 3.

Jugum Chriſti abſque uſu minoris probabilitatis, ſuave.

Suavitas, illa ex multiplici capite.

Objicies, ſcriptura toties declarat licentiam ſequendæ probabilitatis minoris libertati faventis, quoties declarat legis Evangelicæ ſuavitatem: declarat autem multis in locis, ut Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et Joan. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Sequela verò probatur: nam ſi præcepta etiam Evangelica obligare dicantur, ex quo probabilius apparent, jam ita aggravabitur jugum Chriſti, ut fiat importabile. Reſpondeo. Nego Antecedens, ejuſque probationem. Nam ſine licentiâ ſequendi minorem probabilitatem libertati faventem, habet aliundè jugum Chriſti, ut ſit ſatis ſuave, & quidem ex multis capitibus. 1. Ex infinitâ Dei Domini noſtri majeſtate, cui quodcumque obſequium creatura exhibeat leve eſt. 2. Ex ipſius Chriſti potentiſſimo exemplo, qui *formam ſervi pro nobis accepit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* 3. Ex immenſo pondere illius gloriæ, quam præparavit Deus diligentibus ſe, & quam operatur in nobis momentaneum & leve tribulationis noſtræ. 4. Ex abundantiâ gratiæ: nam per gratiam Dei, & apparet quod latebat, & ſuave fit quod non delectabat. 5. Ex charitate & dilectione, quæ plenitudo legis eſt: *omnia* quippe, ut ait eleganter Auguſtinus,

gustinus, fiunt *facilia charitati cui uni Christi sarcina levis est, aut quæ una est ipsa sarcina, quæ levis est.* Hæc sunt ferè capita ex quibus habet jugum Christi, ut suave & leve sit: nam profectò jugum illud secundùm se spectatum, negari non potest, quin grave sit, cùm clamet ipse Christus: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* Matth. 11. *Arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Math. 7. Et verò quis non videat, præceptum pœnitentiæ christianæ; dilectionis inimicorum; fidei intellectum captivantis; ferendæ Crucis; abdicandi omnia bona sua; abnegandi se; aliaque ejusmodi præcepta Evangelica, dura nimis esse, nisi aliundè mitigentur. Quod autem additur, ex obligatione sequendi majorem probabilitatem nimis aggravari jugum Christi, & intolerabile fieri, ineptum est, ut sic demonstro. Præcepta singula, quæ probabiliùs tantùm apparent, si fortè aliquando evidenter apparerent; in illo evidentiæ statu sine ullo dubio obligarent; neque tamen diceretur, ex illorum obligatione aggravari nimis jugum Christi, aut fieri intolerabile: ergo neque dicendum est, aggravari nimis, aut intolerabile fieri, etiamsi obligare dicantur, in statu majoris probabilitatis; nam eadem est præcepti substantia, idem rigor, sive evidenter, sive probabiliùs tantùm appareat.

Jugum Christi secundum se grave.

Præcepta Evangelica perinde gravia, sive probabilius, sive probabiliter tantum appareant.

Instabis 1. Obligationem generalem sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, quam legi Christi superaddimus, vel singulis legis præceptis volumus esse imbibitam, vel de speciali aliquo præcepto nasci: quidquid verò dicatur superfluum est, & inutile gravamen, quo non expedit onerari Fideles. Respondeo. Obligatio generalis sequendi majorem probabilitatem, seu singulis præceptis naturaliter imbibita sit, seu de præcepto aliquo speciali cæteris superveniente nascatur, dici non potest superfluum & inutile gravamen; neque enim pro inutili & superfluo haberi debet, quod necessarium est ad accuratam totius legis observationem: regula autem præscribens sequendam esse majorem probabilitatem præcepto faventem, necessaria est ad accuratam totius legis observationem: nam eam regulam nisi sequatur homo, necesse est, frequentiùs legem præteriri, quàm observari: non est autem accurata observatio legis, ubi rariùs observatur lex, quàm præteritur: ergo obligatio generalis sequendi probabilitatem majorem præcepto faventem, pro inutili & superfluo gravamine haberi non debet; sed pro munimento aliquo necessario, legem universam protegente & defendente.

Sine regulâ majoris probabilitatis frequentius homo violat mandata, quam observat.

Instabis 2. Obligatio sequendi majorem probabilitatem, importat obligationem inquirendi de majore probabilitate; neque enim potest quis majorem probabilitatem sequi, nisi cognoverit; aut illam cognoscere, nisi inquisierit: obligatio autem inquirendi videtur esse onus aliquod intolerabile; quia difficilis & ardua res est, ipsis etiam Doctoribus, æstimare excessum aut defectum probabilitatis, ut apparet ex diversitate sensuum: nam quod uni est probabilius, alteri minùs probabile est: ergo istiusmodi obligatio non sapit legem Evangelicam, legem gratiæ, juxta illud Joan. 1. *Lex per Moysem data est; gratia per Jesum Christum facta est.* Respondeo 1. Obligatio sequendi majorem probabilitatem præce-

Quæ sit obligatio inquirendi de majore probabilitate.

Obligatio illa est conditionata. pro faventem, qualem hactenus statuimus, est obligatio quædam conditionata, ex hypothesi scilicèt, quòd cognoscatur probabilitas major: nam si fortè invincibiliter ignoretur, non est obligatio illam sequendi: obligatio autem conditionata rei alicujus faciendæ, non infert continuò obligationem accersendæ conditionis. Hoc ergo solum in præsenti nobis concedatur & maneat stabilium teneri unumquemque parere legi, si probabilius ei videatur, legem existere: utrum autem teneatur idem parare sibi ipse majorem legis probabilitatem, alia res est & alterius examinis. Respondeo 2. *Habetur sæpe major probabilitas sine ulla inquisitione.* Obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, etiam absoluta non importat semper & necessariò obligationem inquirendi de probabilitate majore; quia plerumque habetur major probabilitas sine inquisitione, ut contingit bonis Fidelibus, quibus Ministri, Pastores & Doctores Ecclesiæ etiam non inquirentibus ultrò proponunt, quod in lege divinâ probabilius est; & veluti parvulis lactentibus salutaris doctrinæ lac rationabile, nullo ipsorum labore instillant. Respondeo 3. *Major probabilitas respectiva sub experientiam cadit.* Obligatio inquirendi de majore probabilitate, non est res adeò dura: major enim probabilitas, de quâ agimus, est probabilitas quædam respectiva ad operantem: unusquisque nimirùm tenetur parere legi, quæ videtur ipsi probabilius existere: ista autem probabilitas respectiva facilè haberi potest: unusquisque enim potest experiri statum suum mentalem, & explorare in se existentiæ legis apparentiam, & apparentiam non existentiæ; utra major sit, utra minor, sit-ne una æqualis alteri, aut inæqualis; an incerta utriusque æqualitas, vel incertus excessus unius supra alteram; hæc enim omnia sub experientiam cadunt: sed ubi quis compererit, majorem esse apparentiam existentiæ legis, quàm apparentiam non existentiæ, obligatur lege, fortè non obligandus, si post examen sufficiens, minorem non existentiæ legis apparentiam inveniret. Respondeo 4. *Probabilitas absoluta nec necessaria ad proxim, nec sufficiens.* Probabilitas quidem absoluta, seu minor, seu major, difficilè interdùm haberi potest, ab ipsis etiam Doctoribus: sed ea probabilitas nec necessaria est, nec sufficiens ad actionem humanam dirigendam: necessaria quidem non est; ex quo enim lex probabiliùs apparet, etsi fortè non sit absolutè probabilior, continuò obligat: contra verò quamvis lex sit absolutè probabilior, non obligat tamen, si minus probabilis est respectivè, seu non obligat eum, singulis ritè perpensis, cui minùs apparet probabilis; ac proindè major probabilitas absoluta non sufficit ad obligandum, nisi fortè eidem accesserit probabilitas major respectiva. Undè intelligitur, quod dicebam; probabilitatem majorem absolutam nec necessariam esse, nec sufficere ad dirigendam actionem humanam. *Inquirenda est tamé morali diligentia quæ nimis dura non est.* Non nego tamen, quin ipsa etiam probabilitas absoluta, seu major, seu minor, inquirenda sit, ubicumque sine inquisitione haberi non potest; sed in istâ inquisitione sufficit diligentia quædam moralis & humana, quam diligentiam legis Evangelicæ suavitas non excludit; quia neque nimis onerosa est; & quod habet oneris, per gratiam Christi sustinetur & elevatur: hôc enim superat Moysem Christus Dominus, ut non modò legem ferat, quod cum Moyse Legislatore commune habet; sed & gratiam donet, quâ lex impleatur, quod Moysi Legislatori non convenit. Atque hîc est

verus sensus Joannis, Christum supra Moysem exaltantis. *Lex per Moysem data est; gratia per Jesum Christum facta est.* Sed de istâ morali & humanâ inquirendi diligentiâ necessariâ ad habendam probabilitatem respectivam, seu majorem, seu minorem, quæ vel obligationem legis probabilioris inducat, vel à legis minùs probabilis obligatione eximat, erit alius dicendi locus: ubi etiam tradentur leges inquisitionis necessariæ & sufficientis, idque ut spero citra omnem duritiem & laxitatem.

Instabis 3. Lex Evangelica, Lex libertatis est: Pauli Galat. 4. *Jam non sumus ancillæ filii, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit.* Et Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Et Jacobi 1. *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, hic beatus in facto suo erit.* Libertati autem favere dici non potest ea opinio, quæ probabiliore præcepto libertatem ligat. Respondeo. Ex his Scripturæ locis malè intellectis arguebant olim, pro licentiâ morum vindicandâ, homines, quos carpit Judas Apostolus in suâ Canonicâ c. 1. libertatem Evangelicam, seu *Dei nostri gratiam in luxuriam transferentes.* Verùm absit à me, ut plerosque viros magnos & sanctos quibus olim placuit, aut etiamnum placet, licere sequi probabilitatem minorem libertati faventem, abuti credam similibus Scripturæ testimoniis, pro sententiâ suâ stabiliendâ: nimirùm sciunt isti, legem Evangelicam appellari in Scripturâ legem libertatis, longè alio sensu & quidem multiplici. Dicitur autem Lex libertatis 1. Quatenus liberat nos à servitute Legis Mosaicæ per Christum abrogatæ. 2. Quatenus eruit nos de potestate tenebrarum, seu de potestate Diaboli, cui eramus obnoxii. 3. Quatenus liberat nos à servitute peccati. 4. Quatenus in lege Evangelicâ diffunditur in cordibus nostris abundantior gratia, ex quâ habemus, ut jam non simus servi, & extranei, sed liberi, sed amici, sed filii adoptivi. 5. Quatenus per Christum legis novæ authorem restitutum nobis fuit jus ad beatitudinem cælestem, in quâ est vera & perfecta libertas. Atque hi ferè sunt tituli, undè habet lex Evangelica, ut lex libertatis appelletur, qui tituli, saltem plerique, non tam favent libertati contra præceptum probabilius, quàm præcepto probabiliori contra libertatem minùs probabilem: jam enim redempti à potestate Diaboli; jam non servi peccati; jam amici; jam filii; jam hæredes secundùm spem vitæ æternæ magis obligari videmur ad probabiliorem Dei voluntatem in omnibus & per omnia sequendam.

Quo sensu dicatur lex Evangelica lex libertatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Ex verbo Dei tradito.

Argumentum ex traditione divinâ.

PRæmitto 1. Verbum Dei traditum, seu Traditio divina Scripturæ supplementum est, & Commentarius aliquis divinus, non minoris authoritatis, quàm textus. Nimirùm Traditio divina supplet veritates nonnullas à Deo revelatas, quas Scriptura non habet; & si quas habet Scriptura non satis clarè expressas, Traditio ferè explanat. Obligatio quidem sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem indicatur, ut jam supra ostendimus, in aliquibus Scripturæ textibus, & ex Scripturæ principiis infertur, sed clariùs & apertius confirmatur & explicatur ex Traditione sanctorum Patrum. Ita ut si nondum habeatur ex Scripturâ plena convictio veritatis, quam quærimus: ex Traditione, Scripturæ supplemento & commentario haberi possit.

Tradidit Christus per se vel per Apostolos omnes regulas necessarias ad plenam legis divinæ observationem.

Præmitto 2. Pro certo habendum est, à Christo, aut Apostolis Christi relictas fuisse Fidelibus regulas omnes necessarias ad accuratam Legis divinæ observationem: nam ejusmodi regulas si Christus per se, aut per Apostolos suos non reliquisset, Præceptor ille generis humani non satisfecisset muneri suo, sed doctrinam moralem, mancam & imperfectam tradidisset; qui tamen Apostolis suis clarè edixit, ut baptizarent, & fideles baptizatos docerent servare omnia, quæcumque ipsis mandasset. Nec minùs certum est, necessariam esse regulam, quâ determinetur, quemadmodùm se gerere debeant fideles, quando major probabilitas legi favens concurrit cum probabilitate minore libertati favente: nam casus ille satis ordinarius est: quare necesse omninò fuit, ut Christus, sive per se, sive per Apostolos suos, doceret, vel licentiam sequendi minorem probabilitatem faventem libertati, vel obligationem probabilitatem majorem legi faventem. Undè ulterius sequitur alterutrum ex duobus; seu licentiam unius, seu obligationem alterius; vel in Scripturâ, vel in Traditione contineri: in Scriptura autem neutrum continetur satis expressè: superest ergo, ut alterutrum contineatur in Traditione, quæ Scripturæ seu supplementum, seu commentarius est. Utrum verò duorum contineatur, decidendum venit, ex sensu Doctorum Ecclesiæ.

Duplex ordo Sanctorum Patrũ à quibus traditio repetenda.

Præmitto 3. Doctorum Ecclesiæ duplex ordo est: ordo Patrum; ordo Filiorum: nam Patres simpliciter dicuntur antiqui Doctores, quorum & scripta laudantur, & memoria in benedictione est, propter eximiam vitæ sanctitatem, & perpetuam cum Ecclesiâ Romanâ communionem, ut definit Papa Gelasius. Distinctione 15. *Sancta Romana Ecclesia.* Sed in ordine Patrum alii antiquiores sunt alii juniores: antiquiores censentur, qui ante quintam Synodum vixerunt; nam istos appellat sancta Syno-

dus, *Patres probabiliores*, & definit esse sequendos: juniores verò censeri debent, quotquot post quintam Synodum usque ad duo aut tria sæcula posteriora, pietate & doctrinâ insignes in Ecclesiâ floruerunt: nam qui nostro sæculo, aut sæculis proximè superioribus vixerunt, Magni etiam Doctores, cujuscumque fuerint nominis & celebritatis, nondùm Patres dicendi sunt, sed filii, meriti minùs quàm ætatis defectu; Patres & ipsi aliquando futuri, quos propterea gratulari Ecclesiæ possumus illis Psalmistæ verbis. *Pro patribus suis nati sunt sibi filii; constitues eos principes super omnem terram.* Nimirùm & ipsi propter insignem sapientiam, & profundam cognitionem rerum divinarum, suam hodièque authoritatem habent, minorem tamen authoritate Patrum; eò deinceps majorem, quo magis senuerint habituri. Eamus ergo per singulos Doctorum ordines: de singulis ordinibus saltem aliquos interrogemus: habebimus interrogando, quod quærimus, juxta illud Moysis, seu monitum, seu promissum. *Interroga Patres tuos, & dicent tibi; majores tuos & annuntiabunt tibi.* Deut. 32. v. 7.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Testimonium traditionis ex Patribus antiquioribus.

Patres duo antiquiores Chrysostomus, & Augustinus.

DE Patribus antiquioribus duos invenio pro obligatione sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem: sed duos insignes & primæ notæ, Chrysostomum & Augustinum: unum in Ecclesiâ Græcâ; alterum in Ecclesiâ Latinâ: in his autem duobus stare potest aliquo modo Concilium Patrum: nam ubi cæteri silent; nec duobus talibus ac tantis viris contradicunt, præsumendi sunt consentire; contradicturi sine dubio in re tam gravi, si dissentirent.

Testimonium ex Chrysostomo.

Chrysostomi testimonium pro majore probabilitate legi favente.

Chrysostomus ergo Homilia 44. in Math. expressè docet, veriorem, seu verisimiliorem sententiam, ubi de doctrina Christi agitur, eligendam esse. *Si vestimentum*, inquit, *empturus, unum gyras negotiatorem & alterum; & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincera veritas Christi vænundatur, & ubi corrupta; & veriorem eligere plusquàm vestimentum.* Quibus verbis videtur Chrysostomus statuere 1. Teneri populum Christianum adhibere diligentiam moralem in inquisitione doctrinæ Christi. *An non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincera veritas Christi vænundatur.* 2. Debere eundem populum doctrinam veriorem eligere, seu verisimiliorem & probabiliorem. *An non oportet veriorem eligere, plusquàm vestimentum.* 3. Utrumque officium, seu inquirendi, seu eligendi veriorem, præcepti esse, non meri consilii, ut satis indicat ille loquendi modus: *An non oportet*, in utrumque officium cadens. 4. Præceptum istud, seu inquirendi, seu eligendi doctrinam

veriorem & verisimiliorem, non pertinere solùm ad doctrinam speculativam, sed etiam ad moralem: Chrysostomus enim utramque satis complecti videtur, ubi unam ab alterâ non distinguit; nec minùs est necessaria populo christiano doctrina moralis, quàm speculativa, imò aliquantò plùs, quippe quæ ad usum operationem immediatè & proximè ordinatur.

Chrysostomus non insinuat consilium, sed præceptum.

Dices 1. Non videtur satis clara mens Chrysostomi circa præceptum, seu inquirendi, seu eligendi doctrinam Christi veriorem: verbum enim *oportet*, quo utitur S. Doctor, ad Consilium ut ad Præceptum insinuandum æque indifferens est. Sed contra. Verbum *oportet*, quamvis fortè quandoque usurpetur ad significandum Consilium, frequentiùs tamen Præceptum significat, idemque ad eam significationem ab ipso Chrysostomo satis determinatur, tum per conditionem & gravitatem materiæ ad salutem necessariæ; tum per comparationem sinceræ veritatis Christi cum vestimento meliore: nam materia de quâ agitur, est doctrina Christi, doctrina salutaris, & ad salutem necessaria: in quâ materiâ ignorantia vincibilis non excusat, ut sapienter advertit Chrysostomus: excusaret autem, si non esset præceptum inquirendi; sed consilium duntaxat: ergo ex Chrysostomo est præceptum inquirendi doctrinam Christi veriorem. Quòd si est præceptum inquirendi: præceptum est quoque eligendi; inquisitionem enim & electionem S. Doctor eodem verbo *oportet*, eâdémque necessitate concludit. Comparatio verò petita à vestimento efficax est, ad eandem necessitatem inculcandam: nam ut prudentia mundana obligat ad emendam vestem meliorem, viliori pretio occurrentem; ita obligat prudentia christiana ad veriorem Christi doctrinam eligendam: Quare illud Chrysostomi *An non oportet inquirere, ubi sincera veritas Christi vænundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plusquàm vestimentum?* Videtur omninò esse præcepti, non meri consilii, & pertinere ad prudentiam non merè consulentem, sed strictè obligantem.

Doctrina verior ex mẽte Chrysostomi idẽ quòd verisimilior.

Dices 2. Doctrinam veriorem, quam inquiri & eligi vult Chrysostomus, non esse doctrinam probabiliorem; quià doctrina probabilior verisimilior quidem est, sed non verior: verior enim dici non potest ea doctrina, quæ interdùm falsa est: doctrina autem probabilior interdùm falsa esse reperitur. Doctrina igitur verior, quam inquiri & eligi vult Chrysostomus, est doctrina vera respectivè ad falsam, non doctrina probabilior respectivè ad minùs probabilem: undè sequitur, controversiam præsentem, ne tangi quidem à Chrysostomo, nedùm decidi. Sed contra. Evidens est, veriorem doctrinam à Chrysostomo non dici doctrinam absolutè & in se magis veram oppositâ: cùm enim veritas formalis in indivisibili posita sit, non potest una Propositio absolutè & in se verior esse alterâ: Potest quidem una esse alterâ certior; quia certitudo est necessitas ad veritatem, quæ necessitas potest esse major in unâ, quàm in alterâ. Ea nimirùm Propositio certior est, cui suffragantur plura & magis infallibilia motiva assecurantia veritatem: sed veritas formalis in indivisibili est, in eo præcisè consistens, quòd objectum tale omninò sit, quale per Propositionem enuntiatur esse: ex quo autem tale est

omninò objectum, quale enuntiatur esse per propositionem, Propositio eo ipso tam vera est, ut verior esse non possit. Chrysostomus ergo per doctrinam veriorem intelligere non potest, nisi doctrinam verisimiliorem & probabiliorem, seu quæ magis apparet esse vera, ac proindè verior est, non absolutè & in se, fortè enim & ipsa falsa est; sed respectivè ad operantem, cui magis probabilis est, seu magis apparet vera esse: ergo controversiam præsentem non modò tangit Chrysostomus, sed planè decidit in favorem majoris probabilitatis præcepto faventis.

Dices 3. Doctrina verior, seu verisimilior, quam eligendam esse tradit Chrysostomus, est doctrina Christi speculativa, cujus fides necessaria est ad salutem, non doctrina moralis, quæ interdùm ignorari potest sine dispendio salutis. Sed contra 1. docet præcisè Chrysostomus, inquirendum esse de doctrinâ Christi ubi sincera vænundatur, eámque eligendam esse, quæ magis apparet esse vera, doctrinæ speculativæ & moralis nullum discrimen faciens, quoad obligationem inquirendi & eligendi: imò si verborum Chrysostomi ratio habeatur, magis signari videtur doctrina moralis, quàm speculativa: tradit enim S. Doctor, doctrinam veriorem eligendam esse plusquàm vestimentum: quâ comparatione innuere videtur, Christi doctrinam, de qua loquitur, instar vestimenti esse: talis autem propriè est doctrina moralis, cujus usu & exercitatione fit, ut *exuentes veterem hominem, novum induamus Dominum Jesum Christum.* Contra 2. doctrina Christi verior, vel ita eligenda est, ut credatur fide firmâ & irrevocabili; vel ita, credatur fide aliquâ provisoriâ: si primum; jam ad electionem prudentem non sufficit major aliqua probabilitas; sed requiritur certitudo moralis, quâ fiat, ut de illius veritate prudenter dubitari non possit; eáque moralis certitudo necessaria est ad fidem firmam & irrevocabilem cujuscumque doctrinæ Christi, seu speculativæ, seu moralis. Si secundum; sufficit quidem probabilitas major ad fidem aliquam provisoriam; sed ea fides æquè pertinet ad doctrinam moralem, ut ad speculativam. Crediderim autem, Chrysostomum, cui res erat cum hominibus multarum sectarum, & inæqualis instructionis, præceptum eligendi doctrinam veriorem, seu verisimiliorem, sapienter attemperasse modo & instructioni singulorum. Iis nimirùm in quibus verisimilitudo doctrinæ christianæ ad moralem certitudinem pervenerat, ita ut de illius veritate dubitare non possent prudenter, obligationem faciebat credendi fide firmâ & irrevocabili: iis verò in quibus erat verisimilitudo major citra moralem certitudinem, intimabat quidem obligationem credendi fide aliquâ provisoriâ, sed nondùm fide firmâ & irrevocabili; donec, instructione per inquisitionem crescente, major verisimilitudo ad moralem certitudinem perveniret, fideique provisoriæ fides firma & irrevocabilis prudenter succederet: nam, ut rectè declaravit Innocentius XI. *Infidelis nixus opinione minùs probabili non excusatur à suâ infidelitate:* quia nimirùm ex quo fit ei verisimilior doctrina Christi, tenetur infidelitatem suam deserere, & Christi doctrinam amplecti provisoriè; in quâ tamen fide provisoriâ stare non debet; sed magis ac magis inquirere; donec plenjùs

Doctrina de quâ Chrysostomus, doctrina morum.

Non sufficit probabilitas etiam major ad fidem firmam.

Sufficit tamen ad fidem provisoriam.

Minor probabilitas non excusat ab infidelitate.

instructus, & de veritate doctrinę christianæ moraliter certus, eandem tenere prudenter possit fide firmâ & irrevocabili.

Testimonium ex Augustino.

Testimonium Augustini.

Certum Augustini principium est, majorem authoritem præferendam esse minori.

Chrysostomo adjungo Augustinum, testem quæsitæ veritatis alterum: regulam enim, quam Chrysostomus populo christiano familiariter explicabat, pro doctrinæ verioris inquisitione & delectu, Augustinus, Aquila Doctorum, ipsissimet Doctoribus, pro delectu & usu Canonicarum Scripturarum, expressiùs longè & distinctiùs suggerit. Supponit autem pro principio indubitato, authoritatem majorem minori esse præponendam. Ex quo principio decidit 1. in Canonicis Scripturis sequendam esse ut plurimùm authoritatem Ecclesiarum Catholicarum, earúmque præsertim, quę Apostolicas sedes habent, & Epistolas Apostolicas accipere meruerunt. Ratio decisionis est. Quia Ecclesiæ Catholicæ, plus ferè authoritatis habet, quàm Ecclesiæ non Catholicæ; atque inter Catholicas Ecclesias, earum, quæ Sedes Apostolicas habent, & Epistolas Apostolorum accipere meruerunt, major ferè authoritas est, quàm cæterarum.

Ex hoc principio decidit Augustinus quæstionem de delectu Scripturarum Canonicarum.

Decidit 2. Scripturas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis, præponendas esse iis Scripturis, quas quædam Ecclesiæ non accipiunt; quia nimirùm prioribus favet major authoritas: nam Scripturæ, quas quædam Ecclesiæ non accipiunt, minùs aliquid authoritatis habent eâ scilicèt parte, quam à quibusdam illis Ecclesiis non accipiunt, plùs habituræ, si acciperent. Decidit 3. in his Scripturis, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponendas esse, quas plures gravioresque Ecclesiæ accipiunt, iis quas pauciores minorísque authoritatis Ecclesiæ tenent. Ratio decidendi. Quia ex consensu plurium & graviorum Ecclesiarum Scripturas accipientium, major venit Scripturis authoritas. Decidit 4. si fortè Scripturas contingeret, quod non putat S. Doctor posse contingere, alias à pluribus, alias à gravioribus Ecclesiis accipi æqualis authoritatis fore habendas; quia non appareret excessus unius authoritatis supra alteram.

Augustini locus de Scripturarum delectu.

Audiamus Augustinus in l. 2. de Doctrinâ Christianâ c. 8. sic loquentem. *In Canonicis autem Scripturis, Ecclesiarum Catholicarum quamplurimum authoritatem sequatur; inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habent, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis præponat eis, quas quædam non accipiunt: in his verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque recipiunt, eis quas pauciores minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent: si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi; quamvis hoc facilè invenire non possit, æqualis authoritatis eas habendas puto.* Hæc est regula, quam tradit Augustinus christiano homini, veræ sapientię studioso, pro delectu & prælatione rationabili Scripturarum: undè satis liquet Augustini sensus circa delectum & prælationem opinionum: nam si Scriptura probabilior eligenda est, & præferenda minùs probabili; non video, cur opinioni minùs probabili non sit præferenda opinio probabilior, ac proindè eligenda.

Dices

Dices 1. ineptè adduci regulam ab Auguſtino traditam, cùm eam applicet Auguſtinus ſoli prælationi Scripturarum, non prælationi opinionum, de quâ prælatione, ne verbum quidem: ergo in regulâ aut deciſione Auguſtini non habetur id quod quærimus. Sed contra 1. id quod quærimus ſatis habetur in ipſo principio deciſionis Auguſtinianæ: nam cur, amabo, major authoritas minori præferenda eſt, quod pro principio ponit Auguſtinus, niſi quia authoritas major facit majorem veri apparentiam, quàm minor? Ergo in principio Auguſtini, major veri apparentia præferenda eſt minori; quod eſt ipſummet principium quo nitimur; docentes majorem probabilitatem præcepto faventem ſequendam eſſe; quia major apparentia præcepti, præferenda eſt minori apparentiæ libertatis. 2. Habetur quod quærimus, in ipsâ Auguſtini deciſione: docet enim formaliter & expreſsè Auguſtinus, Scripturam quam plures gravioreſque Eccleſiæ recipiunt præponendam eſſe ei Scripturæ quam pauciores minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent: atqui Scriptura quam plures & graviores Eccleſiæ recipiunt, eſt Scriptura probabilior; Scriptura verò, quam pauciores & minoris authoritatis Eccleſiæ tenent, eſt Scriptura minùs probabilis: ergo docet formaliter & expreſsè Auguſtinus Scripturam probabiliorem præponendam eſſe Scripturæ minùs probabili. Quòd ſi Scripturæ minùs probabili præferenda eſt Scriptura probabilior; ſequenda profectò eſt ſententia probabilior, præ minùs probabili; unum enim in altero formaliter includitur: nam ſi Scriptura probabilior Scripturæ minùs probabili præferenda eſt, ut præſcribit Auguſtinus, ideò ſolùm eſt præferenda, quia ſententia plurium & graviorum Eccleſiarum de divinitate Scripturæ probabilior eſt, quàm pauciorum & minorum Eccleſiarum ſententia; ergo ex Auguſtino ſequenda eſt ſententia probabilior præ minùs probabili. 3. Habetur quod quærimus, in conſequentiâ Auguſtinianæ deciſionis: nam ſi verum eſt Scripturæ minùs probabili præponendam eſſe probabiliorem, ut decidit Auguſtinus, verum eſt conſequenter præcepta morum quæ fortè in Scripturâ probabiliore ita continentur, ut in minùs probabili non contineantur, habenda tamen eſſe pro præceptis divinis, & exequenda, etiam in concurſu Scripturæ minùs probabilis quæ fortè libertati favet. Prohibeatur, exempli causâ in Scripturâ probabiliore opus pingendi in die feſto tanquàm opus ſervile; in Scripturâ verò minùs probabili pictura permittatur: in eâ hypotheſi ſtandum erit juxta Auguſtinum, pro Scripturâ probabiliore: ergo pro majore probabilitate, quæ præcepto favet, in concurſu minoris probabilitatis libertati faventis.

Major authoritas minori præferenda quia majorem veri apparentiam facit.

Expreſsè decidit Auguſtinus Scripturam probabiliorem præferendam eſſe minus probabili.

Hinc quædam præcepta morum in Scripturâ probabiliori contenta pro divinis habenda, licet in Scripturâ minus probabili non contineantur.

Dices 2. Magnum eſſe diſcrimen Scripturam probabiliorem inter & opinionem probabiliorem: nam Scriptura probabilior eſt ipſummet verbum & teſtimonium Dei, fundamentum fidei cui protinus ſubmittendus eſt, & captivandus intellectus: opinio verò probabilior eſt ſententia quædam humana quæ talem à nobis ſervitutem non exigit: teſtimonium enim Dei majus eſt teſtimonio hominum. Nimirùm reverentia quæ debetur Deo loquenti & teſtificanti poſtulat, ut ex quo probabilius eſt Deum aliquid eſſe locutum & teſtificatum, ei protinùs creatura ratio-

Non minor debetur reverentia Deo præcipienti quâ Deo loquenti.

malis aſſenſum præbere debeat : nam ſi non præberet aſſenſum, exponeret ſe periculo probabiliori contradicendi, aut contraſentiendi Deo loquenti & teſtificanti; cui ſanè periculo non exponit ſe qui ſententiam humanam quantumvis probabiliorem contemnit, aut reſpuit. Sed contra 1. ſi reverentia quæ debetur authoritati Dei loquentis poſtulat, ut ex quo probabilius apparet Deum aliquid fuiſſe teſtificatum, probabiliori Dei teſtimonio credatur; non video quomodò reverentia quæ debetur authoritati Dei præcipientis non poſtulet pariter, ut ex quo probabilius apparet Deum aliquid præcepiſſe, probabiliori Dei præcepto obediatur: neque enim minor eſt Dei præcipientis, quàm teſtificantis authoritas. Contra 2. in Scripturâ probabiliore continentur probabiliora morum præcepta: ergo, ſi ſtandum eſt pro Scripturâ probabiliore contra Scripturam minùs probabilem, ut ſtandum præſcribit Auguſtinus; ſtandum quoque eſt pro præceptis probabilioribus contra minùs probabilem libertatem. Quòd verò interſeritur, Scripturam fidei noſtræ fundamentum eſſe, diſtinctione opus habet, nam Scriptura quidem Canonica, & certò divina fundamentum eſt fidei firmæ & irrevocabilis; ſed Scriptura duntaxat probabilior de quâ hic loquimur cum Auguſtino, fundamentum eſt fidei duntaxat proviſoriæ; quia, ut ſupra indicavi, ad fidem firmam & irrevocabilem non ſufficit probabilitas quædam major, ſed omninò requiritur moralis certitudo de exiſtentiâ divinæ revelationis, quam certitudinem facere non poteſt ſola Scriptura probabilior. Hæc diſtinguere oportet, quæ fortè non ſatis diſtinxit, qui Scripturam probabiliorem fidei fundamentum eſſe indiſcriminatim, ne dicam indiſcretè, interſeruit.

Scriptura probabilior fundamentum fidei tantum proviſoriæ.

Dices 3. Ex ipsâ regulâ Auguſtini haberi poteſt licentia ſequendi minorem probabilitatem libertati faventem: Auguſtinus enim non reprehendit pauciores illas, & minoris authoritatis Eccleſias quæ Scripturam minùs probabilem ſequebantur, contra Scripturam probabiliorem à pluribus & gravioribus Eccleſiis receptam; reprehenſurus haud dubiè, ſi judicaſſet eſſe obligationem ſequendi probabilitatem majorem Scripturæ à pluribus, & gravioribus Eccleſiis receptæ: ergo regula Auguſtini conſilii eſt, non præcepti. Sed contra 1. laborat conſequentia ſubtili & captiosâ falſitate: non reprehendit, fateor, Auguſtinus pauciores, & minoris authoritatis Eccleſias Scripturam minùs probabilem ſequentes; ſed ideò non reprehendit; quia Scriptura minùs in ſe probabilis erat fortè eadem probabilior reſpectivè ad Eccleſias illam ſequentes, ſive ex ignorantiâ fundamentorum, quibus plures & graviores Eccleſiæ nitebantur in ſequendâ Scripturâ probabiliore, ſive ex præjudicio, & quâdam animi præoccupatione; undè fiebat, quod ferè fit, ut pluris æſtimarent, quod minoris æſtimandum erat: nam quod diverſis hominibus contingit, ut quæ ſententia videtur uni minùs probabilis, eadem alteri probabilior appareat, contingere poteſt diverſis Eccleſiis, & reipsâ ita contingere ſuo tempore præſumebat prudenter Auguſtinus; ex quâ præſumptione excuſabat Eccleſias Scripturam minùs reipsâ probabilem ita ſequentes, ut ſequerentur nihilominùs eædem Scripturam reſpectivè ſeu ipſiſmet probabiliorem;

Scriptura minus probabilis in ſe, erat magis probabilis apud Eccleſias illam ſequẽtes.

nusquàm enim negavit Augustinus, quin liceat unicuique sequi sententiam sibi probabiliorem; quamvis fortè sit eadem absolutè & in se minùs probabilis. Contra 2. satis indicat Augustinus, regulam suam præcepti esse, non consilii: nam quo modo præscribit, Scripturam, quam omnes Ecclesiæ accipiunt, præponendam esse Scripturæ quam quædam Ecclesiæ rejiciunt; eodem prorsus modo præscribit, Scripturam probabiliorem præponendam esse Scripturæ minùs probabili: atqui Scriptura, quam omnes Ecclesiæ accipiunt præponenda est ex obligatione ei Scripturæ quam quædam Ecclesię rejiciunt: ergo & Scriptura probabilior ex obligatione præponenda est Scripturæ minùs probabili. Et verò si in unâ prælatione præceptum agnovit Augustinus, & merum consilium in alterâ, distinguere debuit S. Doctor, ne regulam traderet falsitati & scandalo obnoxiam, non distinxit autem: ergo in utrâque prælatione verum præceptum agnovit.

Augustini regula præcepti est non consilii.

Dices 4. Augustinus Scripturam probabiliorem Scripturæ minùs probabili præponendam esse præscribit, in æstimatione duntaxat non in usu. Nimirùm est obligatio quædam naturalis æstimandi res pro merito ipsarum; ita ut si de illis feratur judicium, pluris æstimari debeat quæ pluris valet: ergo cùm pluris valeat Scriptura probabilior, quàm Scriptura minùs probabilis obligatio est pluris æstimandi probabiliorem, quàm minùs probabilem. Hæc est prælatio cujus obligationem facit Augustinus: sed obligatio istius prælationis non trahit obligationem ferendi judicii pro parte alterutrâ: potest enim intellectus inter utramque Scripturam, probabiliorem & minùs probabilem manere suspensus, & ab omni judicio supersedere; imò si fortè feratur judicium in favorem probabilioris, non erit continuò obligatio sequendi probabiliorem pro regulâ, quoad usum & praxim; licebit enim adhuc minùs probabilem pro regulâ habere, tum in decisione controversiarum, tum in directione operationis. Accedit, quòd in Augustinianâ Scripturarum hypothesi Scriptura probabilior non ita concurrit cum Scripturâ minùs probabili, ut ei contrapugnet; fortè enim in eâdem materiâ non versantur: at verò opinio probabilior præcepto favens contrapugnat opinioni minùs probabili, quę favet libertati: quare hypothesis Scripturarum probabilium concurrentium non est hypothesis opinionum probabilium contrapugnantium. Sed contra 1. Accipio ultro quod datur, Scripturam probabiliorem minùs probabili esse præponendam saltem in æstimatione; quia scilicèt ex quo majorem præfert apparentiam divinitatis, evidentem habet titulum prælationis. Sed si est obligatio pluris æstimandi Scripturam probabiliorem, est quoque obligatio ferendi judicium in favorem illius: Scripturæ enim duæ probabilior & minùs probabilis se habent ut duæ partes litigantes juris inæqualis, sistentes se judici, quarum alteri jus probabilius habenti debetur judicium saltem provisorium. Ex obligatione autem judicii ferendi in favorem Scripturæ probabilioris sequitur obligatio ejusdem quoad usum & praxim sequendæ: ex quo enim creditur Scriptura aliqua esse divina, creduntur quoque esse divina tum dogmata, tum præcepta morum quæ continet: atqui est obligatio assentiendi dogmati, & obtemperandi præcepto quod

Est obligatio judicandi in favorem Scripturæ, majorem divinitatis apparentiam præferentis.

Et sequendi seu dogma, seu præceptum quod judicatur

esse divinum. creditur esse divinum. Contra 2. ex contrarietate opinionum probabilium, quodcumque affertur discrimen, videtur esse ineptum ad eludendam, seu declinandam Augustini regulam: est enim satis evidens, pertinere etiam ad eam hypothesim, in quâ probabilior Scriptura minùs probabili contrapugnaret; nam etiam tunc probabilior præponenda esset minùs probabili: ergo si fortè Scriptura probabilior præceptum sperandi faceret; Scriptura verò minùs probabilis libertatem relinqueret minùs sperandi, judice, & directore Augustino standum esset pro præcepto probabiliore contra libertatem minùs probabilem. Sed ne cui fucum faciat quæ fingitur esse diversitas; placet iterum explorare mentem Augustini in ipsius Libris contra Academicos, mirâ elegantiâ & subtilitate conscriptis, in quibus non de probabilitate Scripturarum agitur: hinc enim, ut spero, habebitur.

Alterum ex Augustino Testimonium illustrativum & confirmativum prioris.

Alterum Augustini testimonium ex Libris Academicis.

Scio equidem, Augustinum in suis contra Academicos Libris eò præsertim, ne dicam unicè spectare, ut doctrinam Academicorum examinet & confutet, tanquàm inanem nimiumque periculosam; quippe quæ per speciem sapientiæ semper incertæ, & fluctuantis, firmitudinem & immobilitatem fidei Catholicæ in quâ vera sapientia est destruere videretur. Academicorum autem doctrinam, in quosdam veluti articulos distributam distinctè exponit S. Doctor in hunc ferè modum. 1. Quidem Academicis placuit, nec homini scientiam posse contingere earum scilicèt rerum quæ ad Philosophiam pertinerent. 2. Nihilominùs tamen posse hominem sapientem esse, & sapientis totum munus in conquisitione veri explicari. 3. Indè confici ut nulli etiam rei sapiens assentiatur; erret enim necesse est, quod nefas est sapienti, si rebus incertis assentiatur. 4. Inducto tamen *probabili quodam*, seu *verisimili*, sapientem nullo modo cessare ab officiis, cùm haberet quod sequeretur: veritas autem, sive propter naturæ tenebras quasdam, sive propter similitudinem rerum obruta vel confusa lateret. 5. Ipsam porro refrænationem, & quasi suspensionem assensionis, magnam prorsus actionem sapientis esse. Libro autem 2. c. 11. *Probabile*, seu *verisimile Academicum* definit Augustinus, *quod nos ad agendum sine assensione potest invitare.*

Academicorum doctrina.

Augustini mens circa rem præsentē ex principiis ejus collecta.

Scio item, nec dissimulo, in totâ disputatione Augustini contra Academicos ne verbum quidem esse de materiâ controversiæ præsentis. Examinatur quidem *probabile* illud, seu *verisimile Academicum*, quo diceba-tur sapiens citra assensionem moveri ad officia sua præstanda: sed nullibi proponitur, aut tangitur quæstio hæc nostra: *An sit obligatio sequendi majorem probabilitatem præcepto faventem in concursu minoris probabilitatis libertati faventis.* Contendo tamen Augustino inter disputandum excidisse principia quædam veluti lumina, aut fulgura quibus satis introspici possit mens S. Doctoris, & prævideri quid esset hodiè responsurus, si super eâ re consuleretur: nam ex ejus principiis sic arguere possumus.

Ut honestè quis, & sapienter agat, debet approbare quod agit, seu judicare id quod agit bonum esse: nemo autem honestè, & sapienter approbare potest quod ei probabilius & verisimilius apparet esse malum: ergo nemo potest sapienter & honestè agere, quod ei probabilius & verisimilius apparet esse malum. Consequentia est ipsa decisio nostræ quæstionis evidenter deducta ex duobus Augustini principiis. Nam prima propositio principium est Augustini l. 3. c. 5. his verbis expressum. *Qui nihil approbat. nihil agit.* Quod planè idem est, ac si diceret; ut quis agat, honestè scilicèt & sapienter, necesse habet approbare quod agit: nam ad malè & insipienter agendum, nihil necesse est approbari quod agitur; ut per se patet: quàm multi enim vident meliora, probántque; deteriora tamen sequentes, &, quod malum esse sciunt agentes? Atque ex hoc principio evertitur illa Academicorum sententia, quâ statuebant; inducto quodam *probabili*, seu *verisimili*, sapientem nullo modo cessare ab officiis, cùm haberet quod sequeretur, idque citra assensionem; neque enim opus esse, ut quid honestè agatur, approbari quod agitur: sufficit nimirùm, ut aïebant, solam probabilitatem, aut verisimilitudinem sequi. Cui dogmati opponit Augustinus principium illud suum: *Qui nihil approbat, nihil agit*; statuens, ad honestè agendum non sufficere probabilitatem, aut verisimilitudinem honestatis, sed requiri assensionem, seu determinationem intellectûs, quâ judicetur, id honestum esse quod agitur. Quare qui putant ex solâ probabilitate utriusque partis, licere progredi ad operandum sine determinatione intellectûs in partem alterutram, ita cum Academicis sentiunt, ut ab Augustino manifestè dissentire videantur. Nec verò Augustinus ab illo principio suo. *Qui nihil approbat, nihil agit*, dimoveri unquàm potuit per vanas illas Academicorum exclamationes: *O hominem rusticum! & ubi probabile est? ubi est verisimile.* Ridebat nimirùm clamores vanos, injurias contemnebat, principio suo adhærebat immobilis. Ratio autem principii hæc est. Quia si ad agendum procedatur sine approbatione ejus quod agitur, seu sine assensione præviâ, quâ determinatè credatur bonum esse, aut licitum; jam qui agit nihil approbans, dubius est an sibi liceat agere: tandiu enim dubius est, quandiu inter alterutram partem suspensus, neutram judicando determinat: non agit autem prudenter, quicumque agit graviter dubitans an sibi liceat agere; ut patet ex primis prudentiæ regulis jam traditis. Undè obiter intelligas, quàm bellè cohæreant regulæ nostræ cum principio Augustini. Altera verò Argumenti nostri Propositio quâ statuimus, neminem posse sapienter, & honestè approbare quod ei probabilius, & verisimilius apparet malum esse, si expressum Augustini testimonium non est, cum Augustini tamen principiis omninò congruit: admittit enim S. Doctor, quod christianè magis quàm Academicè disserit Discipulus ejus Licentius l. 1. c. 8. Sapientis esse quærere veritatem. *Sapiens*, inquit, *hoc ipso quòd quærit veritatem, sapiens est; & quò sapiens, eò beatus; cùm ab omnibus involucris corporis mentem quantùm potest, evolvit & seipsum & semetipsum colligit; cum semetipsum non permittit cupiditatibus laniandum, sed in se, atque in Deum tranquillus intendit, ut & hîc, quod beatum esse supra*

Primum principium Augustini contra Academicos. Utquis agat honestè, debet approbare quod agit. Qui nihil approbat, nihil agit.

Ex solâ probabilitate utriusque partis non licet progredi ad opus.

Qui agit non judicans licitũ esse quod agit, dubitat an sibi liceat agere.

Alterum principium ex mente Augustini. Nemo sapienter & honestè approbat quod ei verisimilius apparet malum esse.

inter nos convenit, ratione perfruatur, & extremo die vitæ ad id quod concupiſcit adipiſcendum, reperiatur paratus, fruatúrque meritò divinâ beatitudine, qui humanâ ſit ante perfruitus. Sed neque reprehendit Auguſtinus dictum illud ejuſdem Licentii pro Academicis excuſandis. *Error*, inquit, *mihi videtur eſſe, falſi pro vero approbatio, in quem nullo pacto incidit, qui veritatem ſemper quærendam exiſtimat.* Ex quibus omnibus ſeu dictis, ſeu probatis ab Auguſtino, ſic argumentor. Conſentiente Auguſtino ita ſapientis eſt quærere veritatem neceſſariam, ut eam non quærere inſipientis ſit: veritatem autem planè non quærit, quicumque approbat, quod ei probabilius apparet falſum eſſe: nam quærere veritatem, eſt velle ſincere veritatem invenire: atqui veritatem invenire ſincerè non vult, qui veritatem ibi quærit ubi non eſſe probabilius eſt; alibi non quærens, ubi probabilius eſt eam eſſe. Id autem facit, qui ſequitur in judicando partem minùs probabilem libertati faventem in concurſu probabilioris præcepto faventis. Confirmatur. Conſentiente eodem Auguſtino, *in errorem non incidit, qui veritatem ſemper quærendam exiſtimat:* Quia ſcilicèt ſi minùs intellectu, at certè ſtudio & voluntate immobiliter adhæret veritati; paratus, ne veritatem dimittat, etiam ab eo quod tenet diſcedere, ſi fortè quid aliud probabilius, & veriſimilius videret: quare ſi, quod humanum eſt, ei contingat umbram captare pro veritate, non eſt tamen propriè loquendo falſitatis approbatur, ſed magis æſtimator veritatis, cujus vel ipſam umbram reveretur; nec tam ipſe veritatem deſerit, quàm à veritate deſeritur: quo ſe modo planè non habet, qui approbat quod ei minùs probabile apparet; ex hoc enim convincitur veritatem non quærere animo inveniendi: nam ſi quæreret, & ſincerè vellet invenire, majorem veritatis ſpeciem ſequeretur, ad minorem non diverteret: Ex hoc intelligitur, ubicumque errat, quod plerumque evenit homini minùs probabilia ſequenti, intelligitur, inquam, errare culpabiliter & voluntariè; quia nimirùm errare vult, dignus omninò qui errori tradatur.

Veritatem non quærit qui id approbat quod ei veriſimilius apparet falſum.

Probabiliora ſequens nunquam errorem aut falſitatem approbat.

Sequens minus probabilia malè affectus eſt erga veritatem.

Dices 1. Stant principia Auguſtini ſalvâ licentiâ ſequendi minorem probabilitatem libertati faventem: ſi nimirum fiat determinatio intellectûs ſecundùm partem minùs probabilem, ita enim non proceditur ad agendum ſine approbatione ejus quod agitur: poteſt autem fieri ea determinatio; quia & ipſa rationabile fundamentum habet quo ſapiens moveri poſſit. Sed contra. Secundùm principia Auguſtini ſapientis eſt quærere veritatem: non quærit autem veritatem, qui determinat ſe ad judicandam partem minùs probabilem in concurſu probabilioris; ac proindè in principiis Auguſtini, non licet determinare ſe judicando ſecundum partem minùs probabilem: quod ſi non licet judicando, non licet etiam operando, juxta illud ejuſdem Auguſtini principium; *Qui nihil approbat, nihil agit.*

In principiis Auguſtini non quærit ſincerè veritatem qui ſe determinat ad partem minus veriſimilem amplectendam.

Dices 2. Determinet ſe utrimque probabilitatem habens & præcepti & libertatis; determinet, inquam, ſe ad judicandam partem probabiliorem præcepto faventem: in eâ determinatione ſatisfaciet officio quærendæ veritatis; veritatem enim quæret animo inveniendi, ut ſapientem decet: agat tamen idem ſecundùm partem minùs probabilem libertati faventem:

Approbare judicio partem magis probabilem & opere ſequi minus

potest enim agere secundùm illam ; quid enim vetat ? Imprudens non erit agendo : nam si ex Augustino ; *Qui nihil approbat, nihil agit*, videtur posse aliquid agere, qui jam aliquid approbavit. Sed contra. In isto agendi modo immane quoddam monstrum est ex sapientiâ & imprudentiâ coalescens : nam sapientiæ est, determinare se ad partem probabiliorem approbandam : sed imprudentiæ est, eam partem quam approbat non sequi, ut alteram sequatur quam non approbat : quod monstri genus dissolvit Augustinus suo illo principio : *Qui nihil approbat, nihil agit* : Statuens scilicet, neminem posse agere prudenter sine approbatione ejus quod agit : Qui autem ita operatur nec agit illud quod approbat ; & agit idem quod non approbat : in quo agendi modo videtur esse quædam perversitas, & inordinatio voluntatis rationem non sequentis.

probabilem, instar monstri est in re morali.

Dices 3. videtur sapientis esse stare in merâ probabilitate utriusque partis absque ullo descensu seu determinatione ad alterutram ; quia ad utramvis partem descendatur, periculum est erroris, qui certò vitabitur neutram partem judicando. Ex merâ autem partis utriusque probabilitate, potest sapiens agendo descendere ad alterutram prout ei libuerit. Neque istum seu suspensionis, seu actionis arbitrariæ modum reprobat Augustinus duo solùm in Academicis reprehendens : Unum. Quòd *nihil putarent esse certi, & omnia ponerent sub opinione* ; quem errorem capitalem subtiliter ac solidè refutat Augustinus multa certa esse demonstrans. Alterum. Quòd *probabile* cum *verisimili* confunderent, falsâ nimis & periculosâ confusione : nam probabile quodcumque ita verisimile est, ut non vicissim quodcumque verisimile est, sit idem probabile : potest enim esse tenuis quædam & exigua verisimilitudo quæ sapientem movere ad agendum non possit. Hæc inquam, duo reprehendit Augustinus, sed planè non reprehendit suspensionem in rebus incertis, quippe quæ magna actio sapientis est, & digna sapiente : non reprehendit item actionem humanam in vero probabili fundatam. Sed contra 1. Non reprehendit, fateor Augustinus suspensionem in rebus illis incertis quæ ita arbitrariæ sunt, ut illarum seu omissio seu actio sit omninò indifferens : in ejusmodi enim rebus arbitrariis, cùm non sit necessaria determinatio judicii, videri potest, qui se determinat exponere se alicui errori, & quidem gratis, ac sine causâ, quod non videtur esse sapientis : sed quibus in rebus vel actio, vel omissio, obligationis est, suspensionem reprehendit Augustinus, & meritò quidem ; quia sive actio, sive omissio sequi debeat, necessaria est determinatio intellectûs approbantis id quod eligitur : nam *qui nihil approbat, nihil agit*. Quo effato suo evertit planè Augustinus principium illud capitale Academicorum statuentium, sapientem inducto quodam *probabili* sine ulla assensione satis moveri posse ad officia sua præstanda : nam quodcumque præstetur, non præstatur sapienter, nisi ejus quod præstatur, approbatio præcesserit, juxta illud ; *Qui nihil approbat, nihil agit*. Contra 2. Ridet Augustinus scrupulosum illum errandi timorem quo angebantur Academici, vetantes opinari sapienter in rebus incertis ; quia, ut aïebant, si assentiatur rebus incertis, errare ipsum necesse est, quod tamen nefas est sapienti : contra quem scrupulum

Suspensio judicii inter duo probabilia, non reprehenditur ab Augustino in rebus indifferentibus. Secus in necessariis quoad praxim.

Ex Augustino magis errat qui nunquam quam qui

aliquando opinatur.

mirâ ſubtilitate tria aut quatuor opponit S. Doctor. Primum eſt. Sapientem Academicum, qui nihil unquàm opinatur, longè magis errare, quàm qui opinatur: nam qui nunquàm opinatur, perpetuò aberrat à veritate, quam nunquàm aſſequitur; qui verò opinatur, quandoque aſſequitur veritatem: ergo minùs errat, quàm qui non opinatur. *Neque enim*, inquit Auguſtinus, *eum ſolùm puto errare, qui falſam viam ſequitur, ut liquet in duobus viatoribus, quorum unus falſam quandoque viam ſequeretur, quandoque veram; alter nullam viam ingredi auderet, vias omnes circumiens, nullam iniens.* Ad quam ſimilitudinem *riſum*, inquit, *tenere non potui, fieri per Academicorum verba, neſcio quomodò, ut erret ille qui veram viam vel caſu tenet, ille autem, qui per avios montes probabiliter ductus, nec petitam regionem invenit, non erret.* Alterum eſt. *Non errare propriè, qui ſemper quærit veritatem*, amore ſcilicèt inveniendi; quod Licentii Diſcipuli placitum videtur Auguſtinus in ſuum adoptaſſe; ſemper autem quærit veritatem qui ſemper ſequitur viam probabiliorem: ergo etiam quando veritatem non invenit, non errat, affectu ſcilicèt & voluntate; propriè erraturus ſi viam minùs probabilem ſequeretur. Tertium. Eſto, errare dicatur etiam qui probabiliorem ſequitur, error ille tamen minùs aliquid mali eſt, quàm nulli unquàm veritati aſſentiri: monſtroſius enim aliquid eſt ſapientem non approbare ſapientiam, quàm neſcire. Adderem ego reflexionibus Auguſtini, approbationem partis probabilioris præcepto faventis, ſi fortè error eſt, errorem quemdam eſſe neceſſarium, inculpabilem, & prudentem: neceſſarium quidem, quia ad actionem neceſſariò veniendum eſt: *Nihil autem agit, quid nihil approbat:* Inculpabilem verò & prudentem; quia inculpabiliter & prudenter approbatur ea pars, quæ magis eſt probabilis. Contra 3. Reprehendit Auguſtinus actionem fundatam in vero probabili, ſi cum probabiliore concurrat; quia ſecundùm Auguſtinum, nihil poteſt fieri prudenter, niſi approbetur: approbari autem non poteſt, quod apparet eſſe minùs probabile; iſtiuſmodi enim approbatio non eſt hominis ſapientis, aut ſincerè veritatem quærentis.

Viam ſequens probabiliorem nunquam errat affectu ſcilicet, & voluntate.

Approbatio partis probabilioris ſi error eſt, error eſt neceſſarius & laude dignus.

Juxta Auguſtinũ ex probabili alieno vivendum nõ eſt, ſed ex proprio.

Dices 4. Si pars probabilior ſequenda eſt, vivendum nobis erit ex *alieno probabili*: quàm pauci enim ſciunt quid ſit probabilius: ergo pleroſque neceſſe erit alienâ probabilitate, non ſuâ, ſeu quod idem eſt, ex *alieno probabili* vivere: Conſequens non placet Auguſtino, ridenti Marcum Tullium Academicorum ſectatorem. Nam ſi, inquit, ex *alieno probabili* vivimus, nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam; quia Epicuro viſum eſt, non eſſe faciendum. Sed contra 1. unicuique ſequendum eſt, quod ei videtur probabilius poſt examen ſufficiens: ex quo dogmate nullatenus ſequitur, vivendum nobis eſſe ex *alieno probabili*, ſed potiùs ex *noſtro*. Paucorum quidem, fateor, eſt noſſe quid ſit probabilius abſolutè & in ſe: ſed nemo eſt qui ſcire non poſſit, quid ſibimetipſi, ſeu propriâ ratione, ſeu alienâ authoritate probabilius videatur. Contra 2. Eſto, plerique neſciant quid probabilius ſit, accipere poſſunt ab aliis qui ſciunt, eorumque ſenſum adoptare in ſuum; quod ſi fecerint, non tam vivent ex *alieno probabili*, quàm ex *ſuo*; alienum probabile non ſequentes, niſi

nisi fecerint suum. Stet ergo integrum, quod voluisse dicitur Augustinus, non esse vivendum ex *alieno probabili*, seu quod idem est, unicuique regulam vivendi debere esse conscientiam propriam, non alienam; quia nimirum unicuique suffragabitur fides sua, non fides aliena. Sed contendo fieri posse, ut conscientia aliena adoptetur in propriam: potest enim quis gravissimorum virorum authoritate ductus privatum suum sensum abdicare, & in eorum sensum transire: id quod facere debent, non modò simplices & idiotæ, qui rationabiliter de tenui lumine suo diffidunt, & alienis oculis plùs ferè credunt quàm suis; sed viri etiam docti, qui, si sapiant, propter graviorem quandam authoritatem suspectas habebunt evidentias suas, & à privato sensu discedent, ut saniorem aliorum sensum induant, & suum faciant, quem propterea deinceps, non ut alienum, sed ut suum sequantur. Contra 3. Ut dicamus tamen, quod res est, eo loci non est alius Augustini scopus nisi ut demonstret, quam periculosum sit *probabile Academicum*, à quocumque verisimili non distinctum: nam si, quod aïunt Academici, non peccat qui probabile sequitur, non peccabit adolescens, qui insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ, si fortè pro verisimili habeat, insidiari se posse: ut verisimile videri potest perdito amatori, cui sua libido regula est. Hæc est ratiocinatio Augustini adversus probabile Academicum: cui ratiocinationi adeò innititur S. Doctor, ut paratum se esse dicat dejerare per omne divinum, istiusmodi licentiam scandalosam videri sibi consequentiam necessariam ex Academicorum principiis evidenter deductam. Verba Augustini sunt hæc. *Quid si ergo aliquis adolescentum, cùm hos audivit insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ? Te te consulo Marce Tulli quid aliud dicturus es, quàm non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? At illi probabile est: nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare Rempublicam, quia Epicuro visum est, non esse faciendum.* Quibus verbis reprobat quidem Augustinus licentiam sequendi *probabile Academicum*; sed planè non tangit reprehensione illâ suâ licentiam sequendi verum & solidum probabile: quantò etiam minùs videri possit tangere licentiam, & obligationem sequendi præceptum probabilius, in concursu libertatis minùs probabilis.

Non reprehendit Augustinus verum probabile sed falsum & Academicum.

Dices 5. Libri adversùs Academicos scripti fuere ab Augustino Cathecumeno, nondùm baptizato, ut testatur ipsemet, ac proindè in rebus divinis, & in doctrinâ Christi nondùm versato: ergo locus est aliquis appellandi ad Augustinum seniorem, & meliùs instructum: neque enim in principiis ab Augustino juniore traditis satis acquiescere potest animus verè & plenè christianus. Sed contra. Quos libros scripsit Augustinus Cathecumenus, eosdem jam senex, jam in Ecclesiâ Episcopus & Doctor, morosè & ad scrupulum usque retractavit: sed ita retractavit, ut intacta & integra reliquerit ea principia ex quibus inferri volumus obligationem sequendi probabilitatem majorem præcepto faventem, in concursu minoris libertati faventis: quare principia ejusmodi habenda sunt pro principiis Augustini senioris, in rebus divinis, & in doctrinâ christianâ versatissimi; ac proindè in iis principiis securè & tranquillè stare potest verus Fidelis. Quòd si cui ulteriùs placet ab Augustino appellare ad Augu-

Augustinus adhuc Cathecumenus cum seipso jam Episcopo & Ecclesiæ Doctore consensit in causâ majoris probabilitatis.

ſtinum; non renuo: Auguſtinus enim Academicos refutans concors eſt Auguſtino univerſam Eccleſiam inſtruenti, in Libris de Doctrinâ Chriſtianâ; & principia unius operis congruunt cum principiis alterius, ut poteſt ex ſupra dictis intelligi.

Doctrina majoris probabilitatis ab ineunte Eccleſiâ uſque ad Chryſoſtomum & Auguſtinũ viguit.

De ſenſu Patrum antiquiorum in materiâ præſenti plura non dico. Duos ergo veritatis traditæ teſtes habemus omni exceptione majores, Chryſoſtomum & Auguſtinum, quos probabilius eſt ſtetiſſe pro obligatione ſequendi majorem probabilitatem præcepto faventem, ut mihi videor demonſtraſſe. Ex illorum autem teſtimonio, vehemens ducitur conjectura divinæ Traditionis. Nam tradiderunt illi nobis vivendi regulam, quam à majoribus acceperant, & in Eccleſiâ ſuis temporibus vigere ſine ullâ contradictione ſentiebant: ſi quem enim contradictorem habuiſſet, non diſſimulaſſet: ergo regula præſcribens obligationem ſequendæ probabilitatis majoris præcepto faventis, totis quingentis ante Auguſtinum annis in Eccleſiâ viguit, nullo, quod ſciamus contradicente; quod planè magnum eſt divinæ Traditionis argumentum: ejuſmodi enim regula libertatem ligans non potuit ſine contradictione multorum tandiu in Eccleſiâ vigere, niſi venerit de lumine naturæ ſatis evidenti, cui nemo ſapiens refragari potuerit; vel in Scripturâ adeò expreſsè & formaliter habeatur, ut non potuerit negari; vel denique de Traditione deſcenderit, eâque tam clarâ primis illis Eccleſiæ ſæculis, ut nullus fuerit dubitandi locus: ſed ea regula neque lumine naturæ ſatis omnibus patet, neque in Scripturâ ſatis formaliter & expreſsè habetur: ſupereſt igitur, ut de Traditione Scripturam explicante, ipſumque naturale lumen illuſtrante deſcendat; cujus Traditionis reverentiâ factum ſit, ut illius memores adhuc primorum temporum Fideles, duræ alioquin & auſteræ regulæ unanimiter acquieverint. Videamus nunc an contra Auguſtinum & Chryſoſtomum, cultores & conſervatores divinæ Traditionis, ſuccedentia ſæcula reclamarint: exploremus, an ejuſdem Traditionis reverentia ſequentium temporum Fideles ſub regulâ tenuerit.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Teſtimonium traditionis ex Patribus ſecũdi Ordinis.

Teſtimonium traditionis ex Patribus junioribus.

INterrogemus ergo ſuper eâ re Patres juniores, Patres ſecundi ordinis, S. Bernardum Doctorem millefluum. S. Thomam Doctorem Angelicum. S. Bonaventuram Doctorem Seraphicum: & S. Antoninum Doctorem conſultiſſimum, Patrem conſiliorum appellatum.

Teſtimoniũ S. Bernardi ex hocloco. *Ego ut oculus inferior ſimplex ſit, &c.*

Teſtimonium traditionis ex ſancto Bernardo.

Sanctus Bernardus attendens ad divinam illam Chriſti ſententiam Math. 6. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit: ſi ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſa*

tenebræ quanta erunt? De Christi sensu definit rectam conscientiam, quam appellat oculum interiorem, debere esse simplicem: ad oculi autem interioris simplicitatem duo requirit; charitatem in intentione, & in intellectu veritatem. *Ego*, inquit, *ut oculus interior simplex sit, duo illi necessaria arbitror charitatem in intentione, & in intellectu veritatem.* Nimirùm oculus simplex dicitur, cui scopus unus est Deo placere, aut certè non displicere: nam ex quo sibi placere studet, jam simplex non est; quia non habet in intentione charitatem, oculus simplex dicitur, qui ex intentione placendi Deo, aut non displicendi unicè studet scire quid Deo placeat, aut non displiceat: nam si aliud quærit, à simplicitate deficit, duo quærens ubi unum quærendum est, & in intellectu non veritatem habens, sed vanitatem. Ad istam ergo oculi interioris simplicitatem, ut ratiocinatur idem Bernardus, *benevolentiâ* opus est, & *prudentiâ*: benevolentiâ, quâ quis bene velit quod volendum est, seu quod Deus ab ipso vult, Deum fallere nolens, seu intento bono fraudare: prudentiâ verò, quâ cautè in inquisitione procedat, & ita cautè, ut ex modo procedendi non se ultro errori exponat. *Patet igitur*, inquit S. Doctor, *laudabilem illam, & à Domino laudatam simplicitatem, absque his duobus non esse bonis, benevolentiâ atque prudentiâ, & oculus videlicèt non solùm pius, qui fallere nolit, sed & cautus sit, qui falli non possit.* Hæc est definitio & doctrina Bernardi de Conscientiâ rectè formanda: Undè sic argumentor. *Lib. de Præcepto & Disp. c. 14.*

Si oculus non est simplex, nequam est; opponit enim Christus oculum simplicem oculo nequam: atqui oculus sequentis partem minùs probabilem libertati faventem simplex non est, siquidem nec charitatem in intentione, nec in intellectu veritatem habet: charitatem quidem in intentione non habet; quia non intendit solùm Deo placere, aut non displicere: nam si hoc solùm intenderet, determinaret se ad id quod probabilius est Deo placere; non autem ad id quod probabilius est displicere: quare ad electionem operis probabiliùs displicentis non charitate ducitur. In intellectu autem veritatem non habet; quia non quærit sincerè solam veritatem: nam si solam veritatem quæreret majorem profectò verisimilitudinem sequeretur non minorem: quare desunt illi duo ad simplicitatem necessaria: ergo simplex non est, ac proindè nequam est; ex quo non lucidum & honestum corpus actionis, sed tenebrosum & inhonestum fieri necesse est. Confirmatur. Laudabilis illa, & à Domino laudata simplicitas esse non potest absque duobus bonis, benevolentiâ & prudentiâ: benevolentia autem esse non potest in homine sequente partem minùs probabilem libertati faventem; quippe qui non bene vult Deo placere, aut non displicere: nam si bene vellet Deo placere, eligeret quod ei placere probabilius est: si autem bene vellet Deo non displicere, non ageret quod probabilius est ei displicere: ergo parum pius Deum fallere vult, & sperato obsequio fraudare, vano aliquo minoris apparentiæ prætextu. Prudentia item in eo esse non potest, quippe qui cautè non procedit, sed ita incautè ut ex modo procedendi, ultro exponat se majori periculo erroris, & falli magis possit quàm non

Oculus sequentis minus probabile simplex non est, quia nec in intentione charitatem habet, nec in intellectu veritatem.

falli : ergo in eo non eſt laudabilis illa oculi interioris ſimplicitas à Bernardo requiſita ad conſcientiam, quâ & bonum fieri, & malum vitari poſſit, rectè formandam.

Quod hic præſcribit Bernardus obligationis vult eſſe non perfectionis tantum.

Dices 1. Interpretabatur Bernardus regulam perfectionis : nam Textus citatus depromptus eſt ex Capite 3. Commentarii in Regulam ſancti Benedicti, quæ Regula perfectionis eſt : ergo quæcumque de ſimplicitate oculi interioris præſcribit Bernardus, perfectionis eſſe vult, non obligationis. Sed contra 1. Regula S. Benedicti ita eſt Regula perfectionis ut aliquid obligationis includat : quare potuit Bernardus in ejus interpretatione præceptum conſilio intermiſcere. Contra 2. In Regulâ S. Benedicti interpretandâ attendebat Bernardus ad regulam à Chriſto traditam de ſimplicitate oculi interioris, quæ regula obligationis eſt : nam quod tale eſt ; ut ſi non habeatur, jam & oculus nequam, & totum corpus actionis tenebroſum fiat, nihil dubium eſt quin obliget : ſimplicitas autem oculi interioris eſt ejuſmodi, ut ſine illâ & oculus nequam, & totum actionis corpus fiat tenebroſum : ergo regula de ſimplicitate oculi interioris, ſeu de conſcientiâ rectè formandâ obligationis eſt. Contra 3. Regula ex quâ decidit Bernardus propoſitam quæſtionem : an ſcilicèt bene agat qui facit quod malum eſt, putans bonum eſſe ; quemadmodùm malè agit qui facit quod bonum eſt, putans eſſe malum : regula inquam illa non poteſt non eſſe regula obligationis, ut ſatis liquet, tum ex materiâ quæ deciditur, tum ex modo decidendi : quæſtionem enim propoſitam, verſantem in materiâ obligationis Bernardus ex oculi interioris neceſſariâ ſimplicitate ſic decidit : agere quidem malè, quicumque facit quod bonum eſt, putans malum eſſe ; quia ita faciens non habet in intentione charitatem, quam ſi haberet, id non faceret quod Deo credit diſplicere : ſed non continuò bene agere, quicumque facit quod malum eſt, putans eſſe bonum ; quia fortè non habet in intellectu veritatem, neque ſincerè & ſimpliciter veritatem quærit ; ſed aliâ quadam ductus illecebrâ, intellectum ultro & volens ad falſitatem detorquet. Id quod planè contingit homini judicanti licentiam minùs probabilem libertati faventem, in concurſu præcepti probabilioris libertatem ligantis : ille enim in ſuo judicio non ducitur ſolius veritatis ſtudio, ſed amore libertatis : nam ſi ſolius veritatis ſtudio duceretur, judicaret ſecundùm majorem præcepti veriſimilitudinem, non ſecundùm minorem libertatis apparentiam.

Qui ſequitur minus probabile quamvis putet ſe bene agere male agit, quia in hoc non ducitur amore veritatis.

Intentio placendi aut certe non diſplicendi, præcepti eſt, ſicut & ſtudium quærendæ ſincerè veritatis.

Dices 2. Quæ duo requirit Bernardus ad oculi interioris ſimplicitatem, meri conſilii videntur eſſe, non præcepti : nam quis ſapiens dicat obligari hominem ad habendam ſemper in intentione charitatem ? Quis ſapiens credat debere hominem ex obligatione habere ſemper veritatem in intellectu, & peccare continuò quicumque errat ? eſt enim evidens, errorem quandoque ita imperfectionem eſſe, ut tamen nullo modo peccatum ſit. Sed contra 1. Quæ duo à Bernardo requiruntur ad ſimplicitatem oculi interioris in ſenſu Bernardi bene intellecta præcepti ſunt, non conſilii : nam charitas illa in intentione, ſeu ſincera intentio placendi Deo, aut certè non diſplicendi disjunctivè accepta, ut à Bernardo accipitur, materia eſt veri & ſtricti præcepti : tenetur enim homo velle pla-

cere ſemper Deo ſuo, aut certè non diſplicere: veritas autem in intellectu, quæ ſecundùm Bernardi mentem nihil aliud eſt quàm ſtudium veritatis ſincerè & ſimpliciter querendæ, nonne & ipſa ad præceptum pertinet? nonne tenetur homo ita veritatem ſequi, ut non ſinat ſe ad falſitatem alienâ illecebrâ detorqueri? Contra 2. Charitas in intentione idem eſt, ac benevolentia illa quâ oculus interior ita pius ſit, ut nolit Deum fallere: ſed ea benevolentia præcepti eſt; tenetur enim homo ita pius eſſe, ut Deum nolit fallere, ſeu ſperato obſequio fraudare. Veritas in intellectu, ex mente Bernardi, prudentia eſt, quâ oculus ita cautus ſit, ut falli non poſſit, errore ſcilicèt imprudenti & culpabili: ſed ea prudentia neceſſaria eſt neceſſitate præcepti: obligatur enim homo ad cavendum errorem imprudentem & culpabilem: ergo quæ duo requirit Bernardus, ad oculi interioris ſimplicitatem, dicenda ſunt eſſe præcepti, non conſilii: hæc tamen duo habere non poteſt qui ſequitur partem minùs probabilem faventem libertati, in concurſu probabilioris præcepto faventis, ut ſupra oſtendimus.

Dices 3. Regula Bernardi de ſimplicitate oculi interioris, ſi dicatur eſſe obligationis, manifeſtum errorem continet, & duritiem intolerabilem. Errorem quidem, quatenus definit, non eſſe oculum ſimplicem ſine veritate in intellectu, quod profectò eſt manifeſtè falſum, ut apparet in homine invincibiliter errante, qui cum errore ſuo invincibili habere poteſt oculi interioris ſimplicitatem. Duritiem verò habet ea regula intolerabilem, quatenus in oculo ſimplice requirit cautionem talem ac tantam, ut falli non poſſit, quæ cautio impoſſibilis eſt; quantumcumque enim caveat homo pro conditione mortali aliquando falletur. Sed contra 1. Regula Bernardi bene intellecta, nec errorem habet, nec duritiem: errorem non habet; quia veritas, quam requirit in oculo ſimplice, non eſt veritas actualis, ſed radicalis conſiſtens in determinatione ſincerâ & ſimplici ad ſequendam veritatem; quæ determinatio ſtare poteſt etiam in homine invincibiliter errante, cui nimirùm cùm appareat error veſtitus inſignibus veritatis, neceſſe eſt ut errorem ſequatur, ex ipsâ quam habet ſincerâ determinatione ad veritatem ſequendam: verùm ea determinatio non ſtat in homine ſequente partem minùs probabilem libertati faventem: neque enim determinatus eſt ſincerè & ſimpliciter ad veritatem ſequendam, qui ultro & volens minorem veri apparentiam ſequitur, relictâ majore. Sed neque duritiem habet Regula Bernardi bene intellecta: cautio enim, quam in oculo ſimplice requirit pro errore vitando, difficilis admodùm non eſt, nedùm impoſſibilis, duo ſolùm importans humanæ infirmitati ſatis proportionata; diligentiam ſcilicèt moralem in inquirendo, & fugam erroris, quantùm in ipſo eſt: quæ duo videtur omninò exequi, quicumque ſequitur partem probabiliorem præcepto faventem: ſufficienter enim inquiſivit; ut ſupponimus, & factâ inquiſitione fugit errorem, quantùm in ipſo eſt, determinando ſe ad majorem veriſimilitudinem ſequendam. Sed non ita exequitur, partem ſequens minùs probabilem libertati faventem: nam etſi fortè ſatis inquiſivit, inquiſitione tamen factâ, non fugit errorem, quantùm in ipſo eſt, determinans

Bernardi regula neque errorē continet neque duritiem bene intellecta.

ſe ad minorem veriſimilitudinem ſequendam ; fugeret enim magis, ſi majorem veriſimilitudinem, quam ſequi poteſt, ſequeretur.

Multipliciter à Bernardi doctrinâ deflectit qui minorem probabilitatem majori præfert.

Dices 4. Regulam Bernardi bene intellectam, & benignâ interpretatione mitigatam, ſatis obſervat etiam ille qui ſequitur partem minùs probabilem libertati faventem : nam in intentione charitatem habet, ſeu voluntatem non diſplicendi Deo ; & hujus ſuæ voluntatis ſibi ipſe conſcius eſt : habet quoque veritatem in intellectu ; nec radicalem illam ſolùm, conſiſtentem in determinatione ſincerâ ad verum ſequendum ; ſed etiam actualem veritatem, certus ſe non diſplicere Deo : quia quæcumque tandem ſit lex, certus eſt ſe lege non teneri in circumſtantiâ judicii prudentis, quo judicat legem non eſſe. Sed contra 1. Qui ſequitur partem minùs probabilem faventem libertati, à regulâ Bernardi rationabiliter intellectâ deflectere videtur, quoad ſingulas partes ; quippe qui nec charitatem habet in intentione, ſeu voluntatem ſinceram Deo non diſplicendi : quomodò enim velit ſincerè Deo non diſplicere, qui ultro & volens facit, quod probabilius eſt Deo diſplicere ? Nec in intellectu veritatem habet, etiam radicalem, & diſpoſitivam, ſeu determinationem ſinceram ad ſequendam veritatem ; cùm ultro deſerat majorem apparentiam veri, ut minorem ſequatur. Contra 2. Quod additur de veritate actuali, & de certitudine quâ credit ſe Deo non diſplicere, multiplicem errorem continet pluſquàm probabilem : nam plus quàm probabile eſt errare illum in judicio quo credit legem non eſſe : cùm enim probabilior ſit exiſtentia legis, probabilius eſt falſum eſſe judicium quo judicatur non eſſe lex. Plus quàm probabile eſt errare eundem in judicio quo putat ſe lege non teneri : cum enim ſit probabilius legem probabiliorem obligare ; probabilius eſt falſum eſſe judicium, quo judicat, ſe lege non obligari. Denique plus qùàm probabile eſt, errare in judicio quo credit ſe Deo non diſplicere : cùm enim probabilius ſit actionem quam facit eſſe à Deo prohibitam ; & diſplicere Deo quod à Deo prohibetur ; pluſquàm probabile eſt, falſum eſſe judicium quo credit ſe Deo in tali actione non diſplicere : quare quam ſe habere dicit certitudinem, habere debet pro imaginariâ & illuſoriâ, quippe quam facit, non evidens veritas, ſed liberior quædam & non ſatis ſimplex voluntas.

Multiplex error credentis ſe Deo non diſplicere in uſu opinionis minus probabilis.

Teſtimonium ex ſancto Thomâ.

Teſtimoniũ ſancti Thomæ.

Nuſquam S. Thomas ex profeſſo tractavit quæſtionem noſtram.

Sanctus Thomas Doctor Angelicus quæſtionem præſentem de obligatione ſequendi probabilitatem majorem faventem legi, in concurſu minoris libertati faventis, nullibi quidem quod ſciamus, ex profeſſo tractavit. Nam quod quærit quodlibeto 8. Art. 13. *An quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto, ille qui ſequitur minùs tutam peccet* : longè aliud eſt à quæſtione noſtrâ : ſiquidem opinio *minùs tuta*, ut communiter accipitur, eſt opinio, quæ libertati favet contra præceptum, ac proindè minùs removet à periculo peccati ſaltem materialis : opinio autem ejuſmodi non continuò eſt minùs probabilis : poteſt enim probabilior eſſe, quæ minùs tuta eſt ; & minùs eſſe probabilis, quæ tutior eſt : ergo S. Thomas ex

quo præcisè quærit; an liceat ſequi minùs tutam; non continuò quærit; an liceat ſequi minùs probabilem: niſi fortè quis ſuſpicari velit per minùs tutam intelligi à S. Doctore minùs ſolidam in concurſu ſolidioris. Diverſum item eſt, quod quærit quodlibeto 9. art. 15. *An ſit peccatum mortale habere plures Prebendas abſque diſpenſatione.* In quâ quæſtione præſcindit, an pars affirmativa licentiæ ſit minùs probabilis, aut probabilior parte licentiam negante. Sed quamvis quæſtionem noſtram, nuſquàm apertè tractaverit S. Doctor; in tractatione tamen quæſtionum quas proponit & decidit, ea paſſim ſtatuit principia ex quibus poſſit, ſi bene penetrentur, quæſtio noſtra determinari. Dixi, ſi bene penetrentur: moneo enim, in iis quæſtionibus decidendis, Doctorem Angelicum tam alta & tam profunda jacere doctrinæ ſuæ fundamenta, iiſque fundamentis tam ſubtiles ſuperſtruere definitiones, ut altero Scholæ Angelo opus haberet orbis Chriſtianus, S. Thomę ſcrutatore & interprete. Neque me tamen ea difficultas morabitur, quominùs, cum bonâ veniâ clariſſimorum Interpretum, noviſſimus ego doctrinam Angelicam reverenter ſcrutari audeam, & ſi fieri poteſt, de lumine ipſiuſmet Aquinatis aliundè quæſito, profundam iſtam mentis Angelicæ abyſſum revelare.

Poteſt tamen quæſtio ex principiis ejus bene penetratis decidi.

Ad quæſtionem propoſitam quodlibeto 8. art. 13. *An quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto, ille qui ſequitur minus tutam peccet.* S. Thomas pro deciſione quæſtionis doctrinam generalem & fundamentalem tradit hoc tenore verborum. *Duobus modis*, inquit, *obligatur aliquis ad peccandum: uno modo, faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conſcientiam, etſi non ſit contra legem; ut ſi conſcientia dictet alicui, quòd levare feſtucam de terrâ ſit peccatum: ex conſcientiâ enim obligatur aliquis ad peccatum, ſeu habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliquâ dubitatione: illud autem quod agitur contra legem ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundùm conſcientiam: ſimiliter quod eſt contra conſcientiam eſt malum quamvis non ſit contra legem: quod autem nec eſt contra legem, nec contra conſcientiam non poteſt eſſe peccatum.* Hæc eſt doctrina S. Thomæ, tribus, ut vides, principiis conſtans.

Doctrina S. Thomæ circa conſcientiam.

Primum eſt. Peccare, qui facit contra legem adde, *ſufficienter propoſitam, aut non invincibiliter ignoratam.* Quod principium inculcat verbis ſequentibus. *Quod agitur contra legem, ſemper eſt malum*, ſupple, *materialiter, & ſecluſo errore invincibili, aut defectu libertatis:* nam quod agitur contra legem prohibitum eſt; quod autem eſt prohibitum, eo ipſo ſemper malum eſt; *nec excuſatur*, inquit S. Doctor, *per hoc quòd eſt ſecundùm conſcientiam* ſupple, *vincibiliter & culpabiliter erroneam:* nam juxta doctrinam S. Thomæ multis in locis clarè expreſſam, conſcientia invincibiliter & inculpabiliter erronea à peccato excuſat; non verò conſcientia vincibiliter & culpabiliter erronea. Alterum principium eſt. Peccare qui facit contra conſcientiam, etſi non contra legem, ſupple, *directè & ſpecialiter prohibentem id quod per conſcientiam approbatur.* Nam qui facit contra conſcientiam, idcirco peccat, quia facit contra legem reflexam & generalem, prohibentem ne quis contra conſcientiam operetur; non pec-

Primum S. Thomæ principiũ. Peccat qui facit contra legem.

Secundum principiũ. Peccat qui facit contra conſcientiam.

caturus profectò si contra nullam legem faceret. Illud idem principium suum ulteriùs explicat, & fortiùs animo infigit S. Doctor his verbis. *Ex conscientiâ enim obligatur aliquis ad peccatum, seu habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, seu habeat opinionem cum aliquâ dubitatione; hoc est, sive certò credat certitudine subjecti & adhæsionis omnem dubitationem & formidinem excludente; sive credat opinativè, cum aliquâ dubitatione & formidine errandi, id quod agit esse contra legem; quod tamen contra legem non est.* Tertium principium est. Non peccare qui nec contra legem facit, nec contra conscientiam, in quo planè nulla est difficultas, quæ interpretatione opus habeat. Atqui duo priora principia militare videntur pro obligatione sequendi majorem probabilitatem legi faventem, in concursu minoris faventis libertati. Nam.

Tertium principiũ. Non peccat qui nec cõtra legem nec contra conscientiã

Ex primo quidem sic argui potest. Probabilius est peccare quem probabilius est facere contra legem sufficienter propositam, aut certè non invincibiliter ignoratam, ut habetur ex fundamentali doctrinâ S. Thomæ benè penetratâ: sed qui sequitur partem minùs probabilem libertati faventem, in concursu probabilioris legi faventis, probabilius est eundem facere contra legem sufficienter propositam, aut certè non invincibiliter ignoratam: ex quo enim probabilior est existentia legis, probabilius est legem existere, ut per se patet; eadémque videtur esse sufficienter proposita, nec invincibiliter ignorata; quia scilicèt major apparentia existentiæ videtur esse sufficiens legis propositio; nec dici potest ignorari invincibiliter ea lex, quæ probabilius apparet existere: sicut enim ex quo probabilius apparet Judici jus Caïi contra Titium, jam non ignoratur invincibiliter, sed satis cognoscitur, ut judicetur esse, & causa Caïo adjudicetur; ita omninò ex quo lex probabilius apparet existere, jam non invincibiliter ignoratur, sed satis cognoscitur, ut credatur esse, eique obtemperetur: nam quicumque negat esse legem, quæ tamen ei probabilior est, si fortè erret, vincibiliter errat; quia ita errat, ut possit, & debeat non errare: posset enim & deberet juxta regulas prudentiæ judicare existentiam legis, & secundùm illam operari. Confirmatur ex ipsâ repetitione principii. *Quod agitur contra legem*, inquit S. Thomas, *semper est malum*, saltem materialiter, etiam in casu ignorantiæ invincibilis: quod autem in casu ignorantiæ invincibilis malum est materialiter, fit formaliter malum in hypothesi ignorantiæ vincibilis: ergo si quod fit ex opinione minùs probabili libertati favente, fiat contra legem, ut ferè fit, malum est non solùm materialiter, sed etiam formaliter; quia fit in hypothesi ignorantiæ vincibilis: legem enim ignorans posset, & deberet vincere ignorantiam suam; quia posset, & deberet determinare se ad existentiam legis probabilioris judicandam, quam si judicaret, legem eo ipso satis sciret.

Probabilius est sequentem minus probabile facere contra legem sufficienter propositam nec invincibiliter ignoratam.

Nec minùs efficax est alterum S. Thomæ principium. Nam, juxta S. Doctorem peccat qui contra conscientiam facit: qui autem sequitur in operando partem minùs probabilem libertati faventem in concursu probabilioris legi faventis, facit contra conscientiam: vel enim habet conscientiam legis contra quam facit; vel non habet: si habet; clarum est

ipsum

ipſum peccare; quia clarum eſt facere contra conſcientiam: ſi autem non habet, cùm teneatur habere, & conſcius ſibi ſit obligationis illius ſuæ, contra conſcientiam facit determinando ſe ad minorem probabilitatem, & reſpuendo majorem. Quòd ſi nec conſcientiam legis habeat; jam dubius erit, & dubii ſui ſibi conſcius; ac proindè in dubio operans, faciet contra conſcientiam legis prohibentis ne quis in dubio operetur. Quamcumque igitur ſe vertat in partem, niſi probabilitatem majorem legi faventem ſequatur, tam in judicando, quàm in operando, contra conſcientiam faciet, ac proindè peccabit. Confirmari poteſt ex probatione principii, quam addit S. Thomas. *Ex conſcientiâ enim*, inquit, *obligatur aliquis ad peccatum; ſive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit; ſive habeat opinionem cum aliquâ dubitatione*, ſupple, *poſitivâ*; quæ ſcilicèt conſiſtit in actu poſitivo, quo dicit opinans apud ſe. *Fortè erro in meo judicio: fortaſſe non ita eſt, ut judico.* Nam dubitatio negativa cùm ſit ſuſpenſio aſſensûs circa utramque partem ſtare non poteſt cum opinione, quæ unius partis aſſenſus eſt: ſed cum opinione nil vetat, eſſe dubitationem aliquam poſitivam in actu poſitivo conſiſtentem. Ex iſtâ verò additione S. Thomæ bene intellectâ ſic argumentor. Sequens in operando partem minùs probabilem libertati faventem, vel judicat exiſtere legem probabiliorem, quæ libertatem liget; vel judicat eſſe libertatem à lege minùs probabilem. Si primum, jam habet certam aliquam fidem de contrario ejus, quod agit: actus enim quo creditur aliquid eſſe propter majorem probabilitatem, eſt aliquis actus moraliter certus, ſeu reputatur pro moraliter certo: id quod apparet, tum ex uſu communi hominum etiam privatorum, qui rarò admodùm dubitant de iis, quæ ſemel ex majore apparentiâ præjudicarunt; tum ex ſenſu & praxi Judicum, apud quos pro rato & firmo habetur, quodcumque fuerit probabilius judicatum. Ergo contra conſcientiam facit, qui credens legem probabiliùs apparentem reipſa exiſtere, perindè tamen agit, ac ſi legem exiſtere non crederet: agit enim habens certam aliquam fidem de contrario ejus quod agit. Si ſecundum, jam opinionem habet cum aliquâ dubitatione: opinio enim quâ creditur non eſſe lex, quæ tamen probabiliùs apparet eſſe dubitationem aut formidinem poſitivam ferè adjunctam habet: quis enim non dubitet, aut formidet in eo judicio, quod probabilius apparet falſum eſſe? Eaque dubitatio, aut formido eſt ejuſmodi, ut nec deſeri poſſit, nec contemni: nam ſi contemnatur, jam irrationabiliter, & præter meritum contemnitur; ſiquidem apparentia major non meretur contemni, in concurſu minoris. Quomodò verò deſeratur dubitatio aut formido errandi, circumſtante ſemper majore erroris probabilitate? Atqui habens opinionem libertatis ſuæ, cum aliquâ dubitatione, aut formidine errandi, quam nec prudenter deſerere poteſt, nec contemnere, ex conſcientiâ obligatur ad peccatum, juxta S. Thomam, ſeu quod idem eſt, peccat; ſi fortè ſtante illâ & non contemptâ dubitatione, aut formidine, ſecundùm libertatem operetur; quo ferè modo operatur, qui ſequitur opinionem minùs probabilem libertati faventem. Ergo ex ſuâ ipſius conſcientiâ tenetur non operari; ac proindè peccat operando.

Qui non habet conſcientiam legis dubius eſt, ubi lex probabilius apparet exiſtere.

Ex S. Thoma peccat quis contra conſcientiã ſive habeat certam fidẽ de contrario ejus quod agit; ſive habeat opinionem cum aliquâ dubitatione.

Dubitatio aut formido minorem probabilitatem concomitans nec deſeri poteſt, nec contemni.

Hæc satis ex principiis & fundamentis doctrinæ Angelicæ : veniamus nunc ad decisiones, quas iisdem fundamentis & principiis superstruit S. Thomas : indè enim nova trahentur argumenta, & luculentiùs apparebit verus sensus Angelici Doctoris. Ad quæstionem igitur : *An quando sunt opiniones contrariæ, ille qui sequitur minùs tutam, peccet* : unum præmittit S. Doctor, quod est omninò evidens. *Dicendum*, inquit, *quòd quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem*, seu contradictoriæ, *oportet alteram esse veram, & alteram falsam.* Quo posito, quadruplicem constituit hypothesim, & quadruplicem decisionem quadruplici hypothesi respondentem. Textus S. Doctoris hic est. *Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum*, supple, communem & probabiliorem, *ut pote habendo plures Præbendas : & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam ; sic enim facit, contra legem Dei* ; supple, ex majore probabilitate, quam facit plurium & graviorum Magistrorum authoritas, satis apparentem : *Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur ; ita quòd liceat habere plures Præbendas : & tunc distinguendum est : quia aut talis habet conscientiam de contrario ; & sic item peccat, contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem : aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem*, supple, moralem, ex majore probabilitate venientem ; *sed tamen in quandam dubietatem inducitur ex contrarietate opinionum*, supple, dubietatem positivam, aut formidinem ; *& sic si manente tali dubietate*, supple, ita ut illam nec contemnat, nec deserat, *plures Præbendas habet ; periculo se committit, & procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem ; aut ex contrariis opinionibus in nullam dubietatem inducitur*, supple, quam vel non deserat, vel non contemnat ; & sic non se committit discrimini, & non peccat. Hic est Textus S. Thomæ, pauculis, ut vides interpretationibus nostris, sic ubi opus fuit, illustratus. In quo Textu facile est distinguere quatuor hypotheses, & quatuor decisiones, omnes principiis supra positis congruentes ; nec minùs adversantes licentiæ sequendi partem minùs probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris legi faventis.

Quadruplex ex sancto Thoma hypothesis.

Prima hypothesis est. Cùm quis contra opinionem Magistrorum communem & probabiliorem credens licitum esse habere plures Præbendas, sequitur opinionem falsam minùs probabilem, & plures Præbendas habet, quas simul habere non licet ut supponimus. In hac autem hypothesi decidit S. Doctor, peccare, qui plures Præbendas habet; ideòque peccare, quia facit contra legem ex Magistrorum authoritate probabiliorem, & satis apparentem ; ac proindè obligantem : nam si satis non appareret, non obligaret ; si autem non obligaret, non peccaret plures Præbendas habens, eo ipso quòd contra legem faceret : quæ decisio jactis supra fundamentis tota innititur, & declarat obligationem sequendi legem probabiliorem, contra libertatem minùs probabilem.

An peccet qui plures præbendas habet.

Secunda hypothesis est. Cùm in operando sequitur opinionem veram, quam tamen ipse credit falsam, habens plures Præbendas, quas, ut fert suppositio, habere licet ; sed ita licet, ut ipse habens credat non licere

In hac item hypotheſi decidit S. Thomas, peccare qui plures Præbendas habet; quia facit contra conſcientiam, quamvis non contra legem, quam ſupponimus non eſſe: quæ deciſio fundamentali doctrinæ Doctoris Angelici planè cohæret; valetque eadem ad reprobandum uſum opinionis minùs probabilis etiam veræ: quia opinio minùs probabilis, cùm ferè reputetur eſſe falſa, propter minorem apparentiam veri quam præ ſe fert, & majorem apparentiam falſi contrapugnantem, nimis proclive eſt, ut contra conſcientiam faciat, qui ſequitur in praxi opinionem minùs probabilem, id ferè faciens quod credit non licere.

Tertia hypotheſis eſt. Cùm quis credit, licitum eſſe habere plures Præbendas, & ita credit, ut moralem quandam ejus licentiæ certitudinem habeat, quam ei fortè facit major quædam probabilitas libertatis, ſi non abſoluta ſaltem reſpectiva, ut contingere poteſt: non obſtante tamen eâ certitudine, inducitur ex contrarietate opinionum, in quandam dubietatem poſitivam, quam nec deſerit, nec contemnit, contemnere potens, & deſerere. In hac quoque hypotheſi decidit S. Doctor, peccare qui plures Præbendas habet; quia periculo ſe committit, & magis amat beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Ex quâ deciſione peccare convincitur qui ex opinione minùs probabili libertatis ſuæ operatur: opinio enim ejuſmodi cùm non ſit certa moraliter longè magis obnoxia eſt dubitationi & formidini; eaque dubitatio, aut formido manet ferè in operante; quia ægrè admodùm deſeritur, aut contemnitur, imò nec ſatis prudenter deſeri poteſt, aut contemni.

Quarta hypotheſis eſt. Cùm quis habens moralem certitudinem, ſeu probabilitatem majorem libertatis ſuæ, ita adhæret parti ſuſceptæ, ut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem, aut formidinem inducatur, quam non deſerat, aut prudenter contemnat; atque ex hac ſuâ adhæſione moraliter certâ, ſeu probabiliore ſaltem reſpectu ipſius, plures Præbendas habet. Decidit quidem S. Thomas, non peccare in tali hypotheſi qui plures habet Præbendas; quia non ſe committit diſcrimini: ſed eâ deciſio non favet licentiæ ſequendi opinionem minùs probabilem faventem libertati, in concurſu legis probabilioris; tum quia nimis pronum eſt, ut ex eo concurſu gravis quædam dubitatio & formido inducatur; tum quia ejuſmodi dubitatio inducta nec facilè poteſt deſeri, nec prudenter contemni. Undè ſequitur, eum, qui operatur ex opinione minùs probabili, operari ferè in ſtatu dubitationis, ac proindè peccare; quia ita operatur, ut operando committat ſe diſcrimini, ſeu periculo peccandi.

Confirmatur ex Quodlibeto 9. Art. 15. ubi ad Quæſtionem: *An ſit peccatum mortale habere plures Præbendas*; Reſponſionem hanc ſubjicit S. Thomas, Doctore Angelico dignam. *Omnis quæſtio*, inquit, *ubi de peccato mortali agitur, niſi expreſſa veritas habeatur, periculosè determinatur; quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licèt fortè à tanto: præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit; quia Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis inveniuntur contraria ſentire.* Ex qua ſapienti

Ex mente S. Thomæ Quodlibeto 9. peccatum & periculũ peccati eſt in uſu opinionis minus probabilis.

responsione sic arguo 1. contra licentiam sequendi opinionem minùs probabilem libertati faventem. Omnis quæstio, ubi de peccato mortali agitur, periculosè determinatur, nisi expressa veritas habeatur: atqui in quæstione: an liceat sequi opinionem minùs probabilem libertati faventem, in concursu probabilioris legi faventis; agitur ferè de peccato mortali, neque satis expressa veritas habetur: ergo, juxta S. Thomæ effatum quæstio ejusmodi periculosè determinatur: periculosè autem non determinaretur, si certa esset licentia sequendi minorem probabilitatem libertati faventem, uti certam esse contendunt nonnulli: jam enim certum esset, peccatum mortale non esse in sequendo partem minùs probabilem libertati faventem, seu in faciendo contra legem probabiliorem; quam tamen determinationis facilitatem, aut securitatem apertè negat S. Thomas: ergo licentia sequendi opinionem minùs probabilem, visa est S. Thomæ res aliqua saltem incerta & valde dubia, ex quâ proindè peti non possit satis secura determinatio quæstionum, ubi de peccato mortali agitur. Arguo 2. Præcipuum determinationis periculum petit S. Thomas ex ambiguitate veritatis; quæ ambiguitas reperitur, quando Theologi Theologis, Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire: atqui ex ambiguitate veritatis nullum veniret determinationis periculum, si liceret sequi utramlibet opinionem, etiam minùs probabilem, ut placet defensoribus probabilitatis. Ex quo enim constaret, partem libertati faventem esse verè probabilem, omne determinationis periculum evanesceret, remanente tamen ambiguitate veritatis; quæ ambiguitas, si Probabilistas audiamus, non periculum facit, sed securitatem. Eam verò doctrinam, quis non videat longè diversam esse à doctrina S. Thomæ. Arguo 3. Ex ratione undè periculum determinationis desumit Doctor Angelicus. *Quia*, inquit, *error quo creditur, non esse peccatum mortale; quod peccatum mortale est, conscientiam non excusat à toto licèt fortè à tanto:* Indè enim potest hæc ratiocinatio confici. Opinio minùs probabilis libertati favens est ferè error, quo creditur, non esse peccatum mortale, quod tamen peccatum mortale est: error autem ejusmodi, juxta S. Thomam, conscientiam non excusat à toto licèt fortè à tanto: ergo sequens opinionem minùs probabilem libertati faventem, fortè quidem minùs peccat, peccat tamen.

Glossa textui S. Thomæ addita non corrumpit aut alterat doctrinam, sed clariorem reddit.

Dices 1. Doctorem Angelicum interpretati sumus more nostro, Textui enim S. Doctoris, glossam aliquam nostram novellam addidimus. Ergo contra licentiam sequendi partem minùs probabilem libertati faventem conclusimus non tam ex puro textu S. Thomæ, quam ex glossâ nostrâ, quæ nullius authoritatis est, aut certè non ejusdem ac Textus. Sed contra 1. Glossa nostra quam textui addidimus, non tam nostra est, quàm S. Thomæ, ac proindè non minoris authoritatis quàm Textus: principia nimirùm & decisiones quæ traduntur in Quodlibetis, explicuimus ubi necesse fuit, per doctrinam ex aliis S. Thomæ Libris quæsitam, ut statim apparebit homini in doctrinâ magni Doctoris non peregrino. Contra 2. Doctrina aliqua in Quodlibetis tradita, nisi ei benignus & vivificans S. Thomæ spiritus accesserit quo temperetur, videtur esse litera

non decidens, ſed occidens, hoc eſt doctrina nimiùm dura, intellectu difficilis, malè cohærens, & manifectè falſa. Nam quis ferat crudum illud Axioma Quodlibeto 8. Art. 15. quo generatim & ſine exceptione ſignificari videtur, peccare quicumque facit contra legem, etiam invincibiliter ignoratam, cùm tamen & ex ipſo S. Thomâ certum ſit, & Eccleſiæ authoritate definitum, ignorantiam legis invincibilem à peccato excuſare, ac proindè non peccare, qui facit contra legem? Ergo ut cum S. Thomâ, S. Thomæ textus congrueret, addendum ei fuit; peccare qui facit contra legem, *ſatis apparentem, aut certè vincibiliter ignoratam.* Quis item ferat, quod dicitur ibidem indiſtinctè, non excuſari hominem, per hoc quod facit ſecundùm conſcientiam? Cùm tamen ſit omninò certum, excuſari hominem qui ſecundùm conſcientiam invincibiliter erroneam operatur: ergo fuit textus temperandus, addendo, non excuſari hominem qui operatur ſecundùm conſcientiam *vincibiliter erroneam.* Quis ſtatim intelligat quod habetur eodem articulo in deciſione tertiâ: ita haberi certitudinem rei, ut qui habet, inducatur in dubitationem ex contrariis opinionibus? certitudo enim videtur omnem dubitationem excludere. Ergo interpretanda fuit ea certitudo, ut interpretati ſumus, de *certitudine aliquâ morali*, quæ dubitationem aliquam, aut formidinem pati poſſit, qualem certitudinem facit ferè major apparentia veritatis. Quis non hæſitet, cùm audit, eſſe opinionem cum aliquâ dubitatione? Dubitatio enim negativa & propriè dicta cùm ſit ſuſpenſio omnis actûs partem alterutram determinantis, actum opinativum quo determinatur una pars omninò excludit: quare ei textui, quo dicit S. Doctor, haberi interdùm *opinionem cum aliquâ dubitatione*, claritatis causâ viſum eſt addere, ſcilicèt *poſitivâ*, ſeu quæ in actu poſitivo conſiſtit: ejuſmodi enim dubitatio ſtare poteſt cum actu opinativo, imò & moraliter certo, ſaltem aliquo. Atque hinc, credo, ſatis liquet, gloſsâ noſtrâ non corrumpi textum, aut alterari; ſed illuminari magis, & fieri, ut S. Thomæ doctrina meliùs & faciliùs appareat qualis ſit, hoc eſt, quàm pura, & quàm rationabilis.

Dices 2. Ex principiis & deciſionibus S. Thomæ gloſsâ noſtrâ illuminatis argui poteſt non licere ſequi opinionem probabiliorem libertati faventem; quo ferè modo non arguimus, non licere ſequi opinionem minùs probabilem: Conſequens videtur nimis durum, nec nobis, credo, placebit: Antecedens verò probatur applicatione principiorum & deciſionum, quæ non minùs militant contra uſum probabilioris, quàm contra uſum minùs probabilis. Nam 1. Opinio probabilior libertati favens ſi fortè falſa eſt, ut poteſt falſa eſſe, qui illam ſequitur contra legem facit: ergo peccat juxta principium S. Thomæ: ſicuti peccat, qui ſequitur opinionem minùs probabilem; quia contra legem facit. 2. Habens opinionem probabiliorem induci poteſt in quandam dubietatem ex contrarietate opinionum, quâ dubietate manente ſi operetur, peccat; quia ſe periculo committit, ut decidit S. Doctor. 3. Opinio probabilior relinquit veritatem ambiguam: ergo non tollit periculum determinationis. 4. Error probabilior quo creditur non eſſe peccatum mortale, quod pec-

Quomodo principia S. Thomæ ita militant contra opinionem minus probabilem, ut eadem contra probabiliorem nõ militent.

catum mortale eſt, ne ipſe quidem excuſat à toto, licèt fortè à tanto; cur enim excuſaret, ſi non excuſat error minùs probabilis? Sed contra. Quidquid ſit de conſequente, cujus examen in alium locum reſervamus, falſum eſt Antecedens. Magnum enim eſt diſcrimen inter opinionem probabiliorem, & opinionem minùs probabilem; id quod breviter demonſtro, ut appareat, ex quibus principiis reprobatur uſus unius, non continuò reprobari uſum alterius. Ac 1. quidem. Cùm opinio probabilior habeat ex genere ſuo, ut rariùs falſa ſit, in illius uſu minus periculum eſt faciendi contra legem, quàm in uſu opinionis minùs probabilis; & ſi quando falſam eſſe contingat, qui illam ſequitur ita facit contra legem, ut non peccet tamen; quia ſcilicèt facit contra legem non ſatis apparentem: neque enim lex ſatis apparet eſſe, quæ prudenter judicari debet non eſſe: lex autem minùs probabilis in concurſu libertatis probabilioris prudenter judicari debet non eſſe; quia ex lege veritatis debet homo determinare ſe ad majorem apparentiam præ minore. At verò qui ſequitur opinionem minùs probabilem libertati faventem, in concurſu probabilioris legi faventis, facit contra probabiliorem, ac proindè ſatis apparentem: ſatis enim apparet exiſtere lex, cujus exiſtentia prudenter judicari debet. Quare nihil mirum eſt, ſi peccetur in uſu opinionis minùs probabilis, non peccetur tamen in uſu probabilioris. 2. Habens opinionem probabiliorem libertati faventem, induci quidem poteſt in quandam dubietatem, ſed rariùs & difficiliùs, quàm habens opinionem minùs probabilem: nam opinio minùs probabilis dubitationem ferè adjunctam habet; ſed opinio probabilior moralem quandam certitudinem facit, dubitationi longè minùs obnoxiam. Aliundè verò dubitatio, quæ ferè adjuncta eſt opinioni minùs probabili, talis eſt ac tanta, ut vix deſeri poſſit, nunquàm verò prudenter contemni: ſed dubitatio, ſi quam fortè patitur opinio probabilior, ejuſmodi eſt, ut poſſit & facilè deſeri, & prudenter contemni: ergo peccat quidem ſequens opinionem minùs probabilem; quia dubitatione manente, aut imprudenter contemptâ, periculo ſe committit; ſed non ita qui ſequitur opinionem probabiliorem; quia certus moraliter, aut nullam dubitationem habet, aut ſi quam habet, prudenter contemnit, & quod eſt conſequens, periculo non ſe committit. 3. Opinio probabilior non relinquit veritatem ambiguam, ſed in unam partem prudenter determinat; ex quo nimirùm veritas magis apparet eſſe in unâ parte, quàm in alterâ, & ex majore apparentiâ uni parti prudenter adjudicatur, tollitur ambiguitas veritatis: ſicut ex quo jus magis apparet competere uni parti quàm alteri, & ex majore apparentiâ uni litigantium addicitur, tollitur ambiguitas juris. Ratio à priori eſt. Quia tunc ſolùm dicitur veritas ambigua, quando duæ partes contradictionis ſunt æquè probabiles, ita ut, utri duarum competat veritas, determinari non poſſit: ſed non eſt hic ſtatus veritatis ſub opinione probabiliore, per quam prudenter & ſine periculo determinatur. 4. Error, quo creditur non eſſe peccatum mortale, quod tamen mortale eſt, non excuſat quidem à toto, ſi minùs probabilis eſt; quia eſt error imprudens: at verò error probabilior à toto excuſat; quia prudens eſt; neque ab uno

errore valere potest consequentia ad alterum : ergo quamvis ex principiis & decisionibus S. Thomæ reprobari videatur usus opinionis minùs probabilis, non sequitur, reprobari pariter usum opinionis probabilioris.

Doctrina S. Thomæ non stat cũ usu opinionis minus probabilis.

Dices 3. Principia & decisiones S. Thomæ æquè congruunt opinioni minùs probabili, ac probabiliori; quod facilè demonstrari potest eundo per singula. Nam 1. opinionem sequens minùs probabilem, si fortè contra legem facit, non tamen contra legem satis apparentem: neque enim satis apparet ea lex, quæ prudenter judicatur non esse. 2. Opinio minùs probabilis obnoxia quidem est dubitationi positivæ; sed ea dubitatio facilè deseri potest, aut prudenter contemni; non enim contemnitur imprudenter, quod nonnisi ex fundamento gravi contemnitur. 3. Esto, qui sequitur opinionem minùs probabilem dubitet positivè de existentiâ legis; habet tamen ipse certitudinem de licentiâ operationis, idque per reflexionem supra statum mentalem legis: certum enim est legem etiam existentem non obligare quando est in eo statu, in quo prudenter creditur non existere. 4. Ne ipsa quidem opinio minùs probabilis relinquit veritatem ambiguam, sed tollit potiùs de ambiguitatis statu, veritatem libertati adjudicans. 5. Error etiam minùs probabilis prudens est; quia nititur motivo gravi & idoneo movere virum prudentem: ergo & ipse excusat à toto, ut error probabilior. Sed contra. Ex supra dictis satis intelligi potest, principia & decisiones S. Thomæ non bene stare cum usu opinionis minùs probabilis libertati faventis; neque nobis necesse est ire per singula: eamus tamen, & quæ supra diximus recolamus. Dico igitur 1. Legem probabiliorem satis apparere in majore probabilitate suâ: ergo qui sequitur opinionem minùs probabilem libertati faventem, in concursu legis probabilioris peccat; quia facit contra legem satis apparentem, ad obligationem inducendam; obligat enim lex ex quo talem ac tantam habet apparentiam, ut illius existentia judicari prudenter possit, & debeat. Dico 2. Dubitationem positivam, quæ opinioni minùs probabili ferè adjuncta est, nec nisi ægrè admodùm deseri posse; quis enim non dubitet, aut formidet opinans contra majorem apparentiam? Nec nisi imprudenter contemni; neque enim prudenter contemnitur ea dubitatio, aut formido quam movet verisimilitudo major opinioni contrapugnans. Dico 3. Certitudo quæ in usu opinionis minùs probabilis haberi dicitur ex reflexione supra statum mentalem legis, quæ minùs probabiliter, seu prudenter creditur non esse, certitudo, inquam, illa videtur esse imaginaria, & malè fundata, tum quia principium quo tota nititur à plerisque Catholicis viris magnis habetur pro falso: Controvertitur enim: An lex quæ minùs probabiliter creditur non esse, obliget; necne: undè sequitur; principium ejusmodi incertum saltem esse, si non falsum; tum quia ipsum principii fundamentum falso propius videtur esse, quàm vero: lex enim, quæ probabilior apparet, si fortè creditur non existere, imprudenter creditur magis quàm prudenter: reflexio autem supra judicium imprudens de non existentiâ legis certam facere non potest libertatem à lege; tum denique quia reflexio superveniens opinioni minùs pro-

babili, quæ secundùm se incerta est, afferre certitudinem non potest, sed potiùs augere formidinem & dubitationem: nam qui supra fundamentum parum solidum & instabile reflectit, plus ferè formidat, quàm si non reflecteret. Dico 4. Opinio quidem minùs probabilis tollit ambiguitatem veritatis, sed imprudenter tollit, libertati minùs probabili adjudicans veritatem, quæ fuit adjudicanda legi probabiliori: talis autem determinatio pejus aliquid est, & periculosius ipsâ ambiguitate. Dico 5. Errorem minùs probabilem prudentem non esse, sed planè imprudentem: est enim imprudentiæ non vulgaris, sequi in judicando apparentiam veri minorem, relictâ majore. Quod autem additur, errorem minùs probabilem niti fundamento gravi, & idoneo movere virum prudentem ad assensum, inaniter dicitur: nam fundamentum quo nititur error minùs probabilis, grave quidem est extra circumstantiam motivi gravioris contrapugnantis; sed in eâ circumstantiâ gravitas fundamenti minùs probabilis, quæcumque tandem illa sit, impeditur & elevatur per motivum gravius contrapugnans. Nimirùm opinio minùs probabilis retinet quidem, etiam in concursu probabilioris, probabilitatem aliquam suam. Sed ita impeditam, ut in actum exire nequaquam possit, in quem fortè exiret nisi impediretur.

Testimonium ex sancto Bonaventurâ.

Testimonium S. Bonaventuræ.

Doctori Angelico S. Thomæ consensisse S. Bonaventuram, non textus quidem aliquis expressus, sed multæ conjecturæ, eæque satis graves planè evincunt.

Illius mens ex triplici conjecturæ.

Prima conjectura est. Excellentia divini amoris, quo flagrabat vir sanctus, cognomento Seraphicus: ex amore enim illo determinabatur, non modò ad exequendum fideliter quodcumque sibi à Deo præceptum esse probabiliùs intelligebat, sed etiam ad facilè credendam obligationem exequendi. Nimirùm hæc est natura amoris, ut feliciter cœcutiens, ipsa ferè consilia obligationum loco interdùm habeat, veras obligationes dissimulet nunquàm, nunquàm detrectet, sed eas quantumvis graves, alacriter & sine labore amplectatur: Nam *ubi amor est, labor non est; & si amatur, non laboratur.* Aug. lib. de Bono Vid. c. 21.

Altera conjectura est. Severitas doctrinæ quam secutus est in æstimandâ obligatione pœnitentiæ post peccatum faciendæ: nam eâ parte rigidior sancto Thomâ, agnoscit verum præceptum de pœnitentiâ non differendâ, aut procrastinandâ; peccatorem obligari contendens ad reconciliationem cum Deo faciendam, ubi primùm facere illam potest: in quo dogmate suo cùm insigniter faveat legi minùs probabili contra libertatem probabiliorem, satis præsumi potest favisse etiam multò magis legi probabiliori, contra libertatem minùs probabilem.

Tertia conjectura est. Quia Schola Scotistarum, quæ est eadem Schola S. Bonaventuræ, partem probabiliorem legi faventem sequendam esse definit; quam definitionem ita accepit à Doctore subtili, ut eandem Doctoris Seraphici principiis congruentem invenerit; non acce-

ptura,

ptura, credo, si Doctori subtili Doctorem Seraphicum, in materiâ præsertim morali, contra dicentem invenisset.

Testimonium ex sancto Antonino.

Testimonium S. Antonini.

Tres supra memoratos Patres, quartus excipiet, ordine temporis postremus, S. Antoninus omnium interpres, idemque meritò cognominatus, Doctor consultissimus. Nimirùm ipse, uti cæteri, in rebus moralibus certitudinem Mathematicam ita statuit non esse necessariam, ut ad rectè operandum requirat certitudinem quandam moralem licentiæ & libertatis operandi: non est autem, ut videtur certitudo moralis licentiæ & libertatis operandi, ubi minùs probabilis est operandi libertas, & probabilior existentia legis operationem prohibentis: sed supra omnes conceptis verbis quæstionem ita definit, ut nullum videatur reliquisse dubitandi locum Primâ Parte Tit. 3. Par. 10. Ibi enim docet, licitum esse in conscientiâ tenere unam partem opinionis, & secundùm eam operari, secluso saltem scandalo, *Si habeat notabiles Doctores, & aliundè non sit contra authoritatem Scripturæ sacræ, nec contra determinationem Ecclesiæ; & non inducatur dubitatio, sed bona conscientia formetur, de eo quod creditur, tanquàm de parte probabiliore.* Undè sic argumentor. Ex S. Antonino, ut quis rectè operetur; debet formare conscientiam bonam de eo quod credit esse licitum: non formatur autem conscientia bona de eo, quod creditur esse licitum, nisi de eo formetur, tanquàm de parte probabiliore: sive quæ reputetur esse probabilior: sed reputari non potest probabilior ea pars operanti, quæ apparet operanti minùs probabilis: ergo ubi pars libertatis apparet minùs probabilis, non licet secundùm illam operari; quia de illâ formari non potest conscientia bona, tanquàm de parte probabiliore. Vides, S. Antoninum clarè & distinctè in ipsis terminis docere, quod antecessores subobscurè tradiderant, & velut in principio involutum, sapientibus posteris evolvendum reliquerant.

Illius textus formalis & expressus pro parte probabiliore sequendâ.

Hæc est mens juniorum Ecclesiæ Patrum, qui Traditionem divinam de obligatione sequendæ partis probabilioris legi faventis, ad posteriora usque sæcula devexerunt, tanto splendore, ut eam fecerint Orbi Christiano satis conspicuam. Nam 1. Quis non videat, viros sanctissimos, amatores & veneratores sacræ antiquitatis, tradidisse doctrinam moralem, quam à Patribus antiquioribus acceperant? 2. Quis non videat eosdem Patres juniores explicuisse Fidelibus doctrinam morum suo tempore in Ecclesia unanimiter receptam? Nam si novam & inauditam tradidissent, habuissent sine dubio plerosque contradicentes, præsertim in materiâ satis subtili, & cavillationibus nimis obnoxiâ: sed contradicentes non habuerunt: Nam quis Bernardo, quod sciamus, contradixit in regulâ de simplicitate oculi interioris? Quis Quodlibeticam S. Thomæ doctrinam redarguit? Non S. Bonaventura. Non Scotus ipse, qui quamvis S. Thomæ acriter & non raro adversari soleat, eidem tamen in hoc dogmate suffragatur. Quis S. Antoninum dum viveret, reprehendit in regulâ bonæ conscientiæ formandæ de eo quod creditur, tanquàm de parte probabiliore? Istud

Obligatio sequendæ partis probabilioris à primis Ecclesiæ sæculis ad nos usque deducta.

verò omnium Fidelium contemporaneorum ſilentium haberi debet pro magno argumento conſenſûs unanimis. Quis non videat, contra doctrinam ſeveriorem de obligatione majoris probabilitatis ſequendæ, ſi nova fuiſſet, & non longo uſu aſſueta & emollita, reclamaturos fuiſſe Fideles, & novitate offenſos, & nimiâ ſeveritate exaſperatos? Num unicuique Doctorum novam & inuſitatam doctrinam proponentium, repoſuiſſent, & meritò quidem, verba illa Hieronymi adversùs Rufinum, Origenis Sectatorem? *Cur poſt quater centum annos docere niteris, quod anteà neſcivimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt?* Atqui nuſquàm legimus Fideles Patribus ſeu antiquioribus, ſeu junioribus contemporaneos reclamaſſe contra obligationem partis probabilioris ſequendæ, aut Patres eam doctrinam proponentes, novitatis vel ſeveritatis fuiſſe accuſatos.

Hier. Ep. 65. ad Pam.

Traditio majoris probabilitatis non minus vera quia ignorata, aut impugnata.

Objicies. Si obligatio ſequendi probabilitatem majorem legi faventem, de Traditione divinâ deſcendit, eamque Traditionem Chryſoſtomus & Auguſtinus Patres antiquiores, nec non Bernardus, Thomas, Bonaventura, Antoninus, juniores Patres, ſinguli ſuo tempore, velut regulam morum Fidelibus propoſuerunt ſine ullâ contradictione, non deberet ei contradici à novis Doctoribus Patrum filiis, qui nati ſunt Eccleſiæ pro Patribus, eique debent eſſe loco Patrum: Contradicitur tamen vehementer, etiam hoc noſtro ſæculo, nec minùs acriter fuit contradictum ſæculo ſuperiore, docentibus plurimis & magnis viris, ex omni Schola & Ordine, licitum eſſe ſequi probabilitatem minorem libertati faventem. Quis autem credat, viros magnos tam multos, tantique ponderis, contradicere divinæ Traditioni, aut voluiſſe, aut potuiſſe, audiente & vidente Eccleſiâ? Reſpondeo 1. Novum non eſt, Traditiones verè divinas fieri quandoque in ſignum contradictionis, & ab ipſiſmet Eccleſiæ Doctoribus acriter impugnari: cujus rei famoſum Exemplum eſt, Traditio de veritate Baptiſmi Hæreticorum, ſeu de Hæreticis non rebaptizandis; quam Traditionem ut verè divinam, Stephanus Pontifex conſtanter inculcabat, ita Firmilianus, Agrippinus, Cyprianus, aliique in provinciis chriſtianis magno numero Epiſcopi audacter rejiciebant.

Traditiones verè divinæ interdum ab ipſiſmet Eccleſiæ Doctoribus impugnantur.

Authoritas contradicentium multis partibus imminuta.

Reſpondeo 2. Authoritatem plurium & magnorum virorum, Traditioni divinę contradicentium, quamvis unicuique ſapienti venerabilis eſſe debeat, reipſa tamen non eſſe tanti in præſenti materiâ, quanti apparet eſſe; quia magni illi viri partim ſtatum quæſtionis non poſuerunt, qualem nos ponimus, ac proindè qui videntur contradicere, reipſa non contradicunt; partim obiter rem tetigerunt; nec tam duces ſententiæ ſunt, quàm aliorum ſequaces, ex quo capite magni numeri pondus valdè minuitur; partim ſibi non ſatis conſtant, ita agnoſcentes obligationem ſequendæ partis probabilioris in certis caſibus, ut alios caſus à regulâ excipiant ſine causâ ſufficienti; partim denique ſingulares ſunt, nec aliis concordes, ſed diverſum aliquid teſtificantes, quorum propterea teſtimonium minùs ponderat, quia in idem punctum non cadit. Hæc ſunt ferè capita, ex quibus valdè elevatur & minuitur numerus & pondus Authorum, qui duobus poſtremis ſæculis negare viſi ſunt obligationem

sequendi partem probabiliorem legi faventem, & licentiam facere sequendi partem minùs probabilem faventem libertati : id quod pluribus demonstrabo in ultima hujusce Quæstionis argumentatione.

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTATIO QUARTA.

Ex Sacrâ Canonum Disciplinâ.

OBligationi, quam statuimus sequendi partem probabiliorem legi faventem, favet quidem non parum verbum divinum, seu scriptum, seu traditum; sed ita favet utrumque, ut quæstionem tamen neutrum satis apertè decidat : nam nullus est Scripturæ textus satis expressus & formalis pro obligatione ; nullus ex quo per consequentiam necessariam & evidentem obligatio inferatur : Traditio verò divina quam per Patres antiquiores & juniores ad nostra usque sæcula deducere voluimus, aliquid, fateor, obscuritatis habet & incertitudinis : quare videndum nobis est, num aliundè Scripturæ & Traditioni major aliqua lux & certitudo accedat. Tentemus super eâ re sacram Canonum disciplinam, quæ tota ferè constat Canonibus Conciliorum, & Decretis Pontificum ; fortè enim alicujus Concilii Canon Scripturæ ambiguitatem determinabit ; fortè per aliquam Pontificum Decretalem, obscuritas Traditionis illuminabitur. Argumentabor igitur 1. Ex regulâ quâdam generali directivâ Conciliorum, in decidendis omnibus, seu fidei, seu morum, seu personarum controversiis. 2. Ex universali regulâ faciendarum Electionum. 3. Ex regulâ speciali tutioris partis in dubio sequendæ.

Argumentum ex Jure Canonico.

Triplex regula Canonica.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Regulâ quâdam generali Conciliorum directivâ.

IN Concilio seu generali, seu particulari legitimè congregato, & legitimè procedente, regula hæc est, ut post maturum causæ examen liberis suffragiis res decidatur, & secundùm pluralitatem suffragiorum Conciliaris sententia feratur. Controvertitur, Exempli causâ, Libri alicujus divinitas : Divinus pronuntiatur, si divinitati illius plures medietate Patres suffragentur. Controvertitur sensus Scripturę : pro vero sensu habetur, quem major totius Concilii pars verum esse reputaverit. Controvertitur obscura aliqua Traditio, an divina sit : censebitur esse divina, si pro suâ divinitate plura medietate suffragia retulerit. Contro-

Regula Conciliorum directiva est ut post maturum examen res decidatur ex pluralitate suffragiorum.

vertitur Liber, an ſit Hæreticus: reputabitur in Concilio Hæreticus, ſi duo, aut tres ſupra medietatem Patres Hæreticum eſſe ſenſuerint. Controvertitur innocentia Epiſcopi, quem Simoniæ ſuſpicio gravat: declarabitur Epiſcopus innocens, ſi major numerus Patrum pro innocentiâ ſteterit. Controvertitur aliquis contractus, an ſit uſurarius: damnabitur ut uſurarius, ſi majore numero Patres uſurarium eſſe judicaverint.

Regula iſta Conciliorũ eſt juris naturalis, & poſitivi divini.

Hæc eſt Regula Conciliorum directiva pro deciſione omnium controverſiarum, regula planè divina; quia juris divini eſt, ſeu naturalis, ſeu divini; id quod facilè demonſtro in hunc modum.

Regulam iſtam conciliarem vel Eccleſia ſibi ipſa ultro & liberè impoſuit, abſque ullâ lege ſuperioris; vel ab aliis Communitatibus mutuata eſt pro ſuâ libertate, exemplum ſecuta, quod poterat non ſequi; vel à Principibus ſæcularibus ſibi impoſitam ſubire coacta eſt; vel jus naturale evolvens, in jure naturali contentam invenit; vel denique à Chriſto Legiſlatore ſuo ſibi traditam reverenter accepit, ſeu immediatè, & proprio ipſius ore, ſeu mediatè per Apoſtolos, dictante Spiritu Sancto: nam quis aliam iſtius regulæ originem excogitare poſſit, aut fingere? Atqui dici non poteſt 1. Eccleſia ſibi ipſa regulam impoſuiſſe abſque ullâ lege ſuperioris; tum quia nullum exſtat Concilium, in quo regula ſancita reperiatur; nullus in Conciliis Eccleſiaſticis Canon quo primitùs ſanciatur; tum quia ſi regulam ſibi Eccleſia ultro & liberè feciſſet, poſſet ipſa liberare ſe à regulâ, aut aliquando diſpenſare: neutrum verò poteſt, imò nec credit ſe poſſe, probè ſibi conſcia ſuæ poteſtatis; tum denique quia ſi Eccleſia regulam ſibi ipſa præſtituiſſet, contra regulam paſſim reclamaſſent Hæretici, ſecundùm regulam damnati: nuſquàm autem reclamarunt; cauſati quidem interdùm contra ſententiam damnationis ſuæ, defectum legitimæ convocationis, libertatis ſuffragiorum, aut ſufficientis examinis; ſed nunquàm cauſati, quòd controverſia fuiſſet ad pluralitatem ſuffragiorum deciſa. Neque item 2. dici poteſt Eccleſia mutuata eſſe regulam iſtam ſuam ab aliis Communitatibus, ſecuta exemplum, quod poterat non ſequi; jam enim poſſet regulam deſerere eâdem libertate quâ judicaſſet ſuſcipiendam: nam cùm tanta ſit authoritas in poſterioribus Eccleſiæ Conciliis, quanta in prioribus, poſſent Concilia poſteriora deſerere regulam, quam priora adoptaſſent: poteſt enim Communitas ejuſdem ſemper authoritatis legem, quâ ſe ipſa liberè obſtrinxit abrogare: Eccleſia autem abrogare non poteſt, aut deſerere regulam de quâ agimus: nam quis dicere auſit, Concilium Eccleſiaſticum legitimè procedens poſſe non decidere controverſiam ad pluralitatem ſuffragiorum, aut in controverſiæ deciſione ſequi poſſe minorem numerum Patrum? Quis non videat, id ſi contingeret, Concilii proceſſum fore illegitimum, & planè nullum? 3. Multò etiam minùs dici poteſt, regulam Conciliorum directivam, fuiſſe à Principibus ſæcularibus Eccleſiæ impoſitam; res enim excedit terminos ſæcularis poteſtatis: quia, ut declarat Theodoſius in ſuâ Sacrâ ad Synodum Epheſinam, *Nefas eſt, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo conſcriptus non ſit, ſe Eccleſiaſticis*

negotiis & consultationibus immiscere. Immisceret autem se planè totum, qui Conciliis Ecclesiasticis regulam directivam præfigeret. Deindè quis ille tandem est Princeps sæcularis Conciliorum director? Alicubi certè in Historiâ Ecclesiæ eo nomine commemorandus: nullibi tamen commemoratur; Ethnicusne est, an Christianus? Non Christianus: nam Christianorum Imperatorum primus Constantinus Magnus Concilio quidem Nicæno interfuit, admirator & approbator legitimi processûs Patrum, non director aut Legislator: sed ante Constantinum, tribus primis Ecclesiæ sæculis, quàm multa habita sunt Concilia Ecclesiastica eodem tenore procedentia, & eandem secuta regulam in controversiis decidendis: num ea Concilia à Principe sæculari, Principe Ethnico regulam suam habuerunt? Non est sani hominis ista cogitatio. Sic ergo argumentemur. Ecclesia regulam directivam Conciliorum nec sibi ipsa liberè præstituit; nec ab aliis Communitatibus liberè mutuata est; nec habet sibi impositam à Principibus sæcularibus: ergo regulam vel in jure naturali invenit, vel in jure positivo divino, seu antiquo, seu novo.

Et juris quidem naturalis esse hanc regulam, convincit planè unanimis ille consensus populorum, qui per omnes ætates ei se submiserunt: Regula enim, tam universaliter, & unanimiter ubique gentium recepta, non potest non esse ab aliquâ Dei voluntate necessariâ, & ordinatissimâ; quâ velit Deus, supremus gubernator naturæ rationalis, in qualibet Communitate hominum quidquid controversiæ supervenerit, si conciliariter, aut comitialiter decidatur, ad pluralitatem suffragiorum decidi, & pro nihilo haberi, quod fuerit contra pluralitatem decisum. Sed illa regula ita est juris naturalis, ut sit eadem juris divini positivi tam antiqui, quàm novi: nam Deus, qui jus naturale, quod primùm ipse digito suo in tabulis cordis carnalibus scripserat, deindè in tabulis lapideis exaravit; dubium non est, quin capitalem & decretoriam istam judiciorum regulam, ipso naturæ lumine manifestam, in lege suâ, per Moysem latâ, commemorare voluerit: id quod fecisse videtur Exodi 33. Ubi Moyses in montem ascendens, præcepit senioribus Dei nomine. *Expectate hîc, donec revertamur ad vos: habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos*, pluralitate utique decidendum; nec unius tantùm sensu, sed amborum; quorum scilicèt arbitrio decisio quæstionis committebatur: nam si fortè in quæstione unum aliquid sensisset Aaron, & Hur alterum; nondùm poterat intelligi quæstio decisa, sed suspensa, donec ambo consensissent, & consensione amborum uni parti pluralitas accessisset, aut certè tertius aliquis, quæstionis arbiter, litem determinasset. Atque hanc pluralitatis regulam toties inculcasse credendus est justus Dominus, quoties æquitatem judiciorum populo suo inculcavit; inculcavit autem pluries: *Æquum sit judicium vestrum:* quod omnes facilè intelligebant non futurum æquum, si res non secundùm, aut contra pluralitatem fuisset judicata. Christus verò, Author Legis novæ, ita abrogavit legem Mosaïcam, quoad Cærimonias, & præcepta judicialia, ut, quæ sunt juris naturalis, non modò intacta

reliquerit, sed etiam fecerit aliquo modo sua, expressiùs ea renovans, si quæ fortè desuetudine, aut vetustate obliterari contigisset: quare regulam judiciorum, de lege naturali venientem, non modò non abrogasse præsumendus est novus Legislator Christus, sed eam potiùs totâ suâ authoritate confirmasse.

Ecclesia in Conciliis definit controversias ex majori probabilitate, seu apparentiâ veritatis minime autem ex minori.

Cæterum regula ista divina præceptum continet partim affirmativum, partim negativum: Affirmativum quidem, obligans ad sequendam majorem pluralitatem suffragiorum, in concursu minoris: Negativum verò, prohibens judicare secundùm minorem partem suffragiorum, in concursu majoris. Nam si fortè in Concilio Ecclesiastico sedeant Patres centum viginti, & uni parti contradictionis suffragentur sexaginta-quinque; alteri verò quinquaginta-quinque; ita tenetur Concilii Præses ferre sententiam conciliarem secundùm vota Patrum sexaginta-quinque, ut ferre non possit secundùm vota pauciorum quinquaginta-quinque Patrum: si enim secundùm pauciora vota pronuntiaret, peccaret pronuntiando, & sententia ipso jure nulla esset.

Quorsum autem, amabo, omni jure divino præceptum fuit, ut in Concilio Ecclesiæ legitimo ad pluralitatem suffragiorum, & non ad paucitatem controversiæ finirentur? nisi quia plura suffragia, communiter majorem faciunt apparentiam veri, quàm pauciora: ergo præscripsit Deus Ecclesiæ suæ, ut in finiendis controversiis, apparentiam veri majorem, præ minore sequeretur, seu, quod idem est, majorem probabilitatem in concursu minoris; minorem autem probabilitatem prohibuit ne unquàm sequeretur in concursu majoris. Quare, ut satis longam ratiocinationem concludamus, obligatio sequendi majorem probabilitatem legi faventem, in concursu minoris faventis libertati, videtur omninò juris divini esse, naturalis & positivi, tam antiqui, quàm novi. Nam si valeat ad directionem totius Ecclesiæ sententia conciliaris, cui favet pluralitas Patrum; non video, cur valere non debeat ad directionem unius Fidelis, sententia ipsius privata de existentiâ legis, cui numerus pondusque rationum favet. Si Ecclesiam universam obligat sententia conciliaris cui suffragatur major apparentia veri ex pluralitate majore suffragiorum veniens; non video, cur privatos Fideles non obliget major apparentia Legis, veniens ex pluralitate, aut majore gravitate rationum. Si minorem numerum Patrum & suffragiorum, à communi sententiâ deviantium sequi in Concilio non licet; non video, cur extra Concilium privatis Fidelibus liceat sequi pauciores & minores rationes libertati faventes, relictis contrapugnantibus aliis rationibus, & pluribus, & gravioribus, legi faventibus.

Regula sequendi majorem probabilitatem infallibilis est non quoad assecutionem

Objicies 1. Regula sequendi majorem pluralitatem suffragiorum, non est regula infallibilis: ergo divina non est. Consequentia patet: regula enim, quæcumque verè divina est, habet, ut sit infallibilis, eo ipso quod est divina: nam quis ferat æquis auribus, Deum qui spiritus veritatis, & veritas est, posse homini tradere regulam erroneam, & fallibilem? Antecedens verò demonstratur ex ipsis principiis nostris: regula enim sequendi majorem pluralitatem suffragiorum, secundùm nos, est ipsamet

regula ſequendi majorem probabilitatem, ſeu majorem veri apparentiam, in concurſu minoris: regula autem ſequendi majorem apparentiam veri, in concurſu minoris, non eſt regula infallibilis: latere enim poteſt falſitas etiam ſub majore veri apparentiâ; & poteſt eſſe veritas ſub apparentiâ minore. Reſpondeo. Regula ſequendi majorem pluralitatem ſuffragiorum, non eſt regula infallibilis, quoad aſſecutionem veri, ſed quoad judicii prudentiam & honeſtatem: nam quicumque ſequitur in judicio regulam majoris pluralitatis ſuffragiorum, etſi fortè à vero quandoque aberret, prudenter tamen & honeſtè judicat: eſt enim evidens, alicujus eſſe prudentiæ, majorem veri apparentiam ſequi, præ minore, & minus errandi periculum ſubire præ majore: atqui in majore pluralitate ſuffragiorum major ferè eſt apparentia veri, & minus errandi periculum: ergo evidens eſt, prudenter & honeſtè facere, qui majorem ſuffragiorum pluralitatem ſequitur in judicando; non facturus prudenter & honeſtè, ſi minorem pluralitatem ſequeretur relictâ majore; jam enim & minorem ſequeretur apparentiam veri, & majus errandi periculum ſubiret, quod eſt alicujus imprudentiæ. Quamvis autem regula ſequendi majorem pluralitatem non ſit infallibilis, ut ſupra dictum eſt, quoad aſſecutionem veri, non propterea minùs divina cenſeri debet: Deus nimirùm, providentiam ſuam infirmitati humanæ attemperans, rationabiliter voluit, & velle debuit, ut homines quibus non omnia clara ſunt & evidentia, in rebus obſcuris eam regulam ſequerentur, in quâ ſequendâ, & major ſpes veri inveniendi, & minus errandi periculum appareret: nam hæc providentia Dei gubernatoris, ſummæ ſapientiæ, non minùs quàm bonitati optimè congruit.

veri, ſed quoad judicii prudentiam & honeſtatē.

Inſtabis 1. Si regula ſequendi majorem pluralitatem ſuffragiorum, non eſt infallibilis, quoad aſſecutionem veri, jam non poteſt eſſe regula Eccleſiæ directiva: Eccleſia enim ſequi debet in judicando regulam quandam infallibilem: nam ſi regulam infallibilem non ſequeretur, jam ipſa non eſſet infallibilis in ſuis deciſionibus, etiam conciliaribus. Reſpondeo. Regula ſequendi pluralitatem majorem ſuffragiorum, in Conciliis Eccleſiæ generalibus, legitimè congregatis, & legitimè procedentibus, circa quæſtiones fidei & morum infallibilis eſt; non ex ſe quidem præciſè ſpectatâ, ſed ex adjunctâ promiſſione Chriſti, qui cûm Eccleſiæ ſuæ promiſerit ſpiritum directorem ne in materiâ fidei & morum errare poſſit, promiſit quoque facturum ſe, ne in Concilio Eccleſiæ generali legitimè congregato, & legitimè procedente, major pluralitas Patrum in errorem conveniret; promiſſio enim unius, eſt virtualis aliqua promiſſio alterius: nam ſi fortè contingeret, in errorem convenire & perſeverare majorem pluralitatem Patrum, jam Eccleſia, majorem pluralitatem ſequens, erraret. Ratio nimirùm eſt. Quia Concilium Eccleſiæ generale, legitimè congregatum, & legitimè procedens, totam Eccleſiam repræſentat, ac proindè ſenſus Concilii generalis, legitimè congregati, & legitimè procedentis, totius Eccleſiæ ſenſus eſt: ergo ſi Concilium generale, legitimè congregatum, & legitimè procedens erraret in materiâ fidei, erraret continuò tota Eccleſia, de quâ tamen ſcriptum eſt. *Et portæ Inferi non*

Regula majoris probabilitatis in Cōciliis generalibus uſurpata, infallibilis eſt non ex ſe, ſed ex promiſſione Chriſti.

Si erraret Concilium generale œcumenicum, erraret Eccleſia.

prævalebunt adversus eam. Atqui sensus majoris partis Concilii habetur pro sensu Concilii totius; seu quia in Conciliis generalibus legitimè congregatis, & legitimè procedentibus, major pars communitatis censetur esse tota communitas; seu quia, ex ordinatione Dei debet minor pars consentire majori: ergo si major pars Concilii generalis, legitimè congregati, & legitimè procedentis erraret, jam erraret Ecclesia tota, seu quia erraret totum Concilium, quod repræsentativè est tota Ecclesia; seu quia error Concilii generalis traheret necessariò errorem totius Ecclesiæ per orbem diffusæ, quæ Concilii generalis definitionibus acquiescere tenetur.

Discrimē inter Concilium generale, & particulare.

Instabis iterum. Ergo neque Concilium particulare errabit eandem pluralitatis regulam sequens: nam si respectu Concilii generalis regula infallibilis est; non apparet cur non sit eadem infallibilis, respectu Concilii particularis: Concilium tamen particulare errare potest, etiam cùm sequitur regulam pluralitatis, ut fatentur omnes. Respondeo. Nego consequentiam. Ad probationem autem dico, Concilium inter generale & particulare immensum esse discrimen: Concilium enim generale totam repræsentat Ecclesiam, cui promissa est infallibilitas: Concilium verò particulare totam Ecclesiam non repræsentat, sed aliquam Ecclesiæ partem, cui infallibilitas non est promissa: ergo &c. Atque hinc est, quod Concilium generale, in quæstionibus fidei & morum decidendis, nunquàm erret, sequendo regulam pluralitatis; non ex conditione quidem regulæ, quæ secundùm se fallibilis est, sed ex adjunctâ promissione Christi, non permittentis, ut major pars Concilii generalis errori unquàm suffragetur.

Regula majoris probabilitatis tam est regula singulorum fidelium quam totius Ecclesiæ.

Objicies 2. Regula directiva Ecclesiæ in Conciliis, seu generalibus, seu particularibus, non est regula directiva Fidelium singulorum, ad privatam ipsorum directionem: ergo ex regulâ Conciliorum directivâ ineptè colligimus, obligari singulos Fideles ad majorem probabilitatem sequendam: potuit enim Deus obligare, velle Ecclesiam aliquâ lege in directione Conciliorum, & simul nolle, singulos Fideles eâdem lege obligari in privatâ directione suâ; quia legitima directio Conciliorum longè majoris momenti est, quàm privatorum Fidelium directio. Sed contra 1. Quam regulam dedit Deus Ecclesiæ suæ, pro legitimâ directione Conciliorum, eandem dedisse credendus est singulis Fidelibus, pro directione ipsorum privatâ: quia omninò congruit unius corporis membra eodem spiritu vivere & regi, quo totum corpus regitur & vivit. Contra 2. Eadem videtur esse ratio totius communitatis & Fidelium singulorum, quoad obligationem regulæ datæ: neque enim minùs obligantur Fideles singuli ad majorem veri apparentiam sequendam, quàm tota Ecclesia obligetur: nam ea lex, quæ Communitatem ligat, non video, cur membra Communitatis non ligaret. Nimirùm obligatio sequendi majorem apparentiam veri, competit naturæ rationali, ut rationalis est: natura autem rationalis singulis hominibus, etiam privatis inest: ergo obligatio sequendi majorem veri apparentiam cadit in singulos homines, etiam privatos, quicumque naturam habent rationalem, & usum rationis expeditum. Contra 3. Si rem altiùs, & ab ipsâ origine repetamus, ut priùs esse intelliguntur

liguntur privata hominum individua, quàm intelligatur esse Communitas hominum, prius quoque intelliguntur obligari individua lege majoris apparentiæ veri sequendæ, quàm intelligatur obligari Communitas. Nimirùm ea lex, de individuis ad Communitatem ascendere videtur, non de Communitate ad individua descendere: nam ideò obligatur Communitas ad majorem apparentiam veri sequendam, quia obligantur singula individua, ex quibus Communitas coalescit. Quod verò additur in objectione, majoris esse momenti legitimam directionem Ecclesiæ in Concilio congregatæ, quàm directionem unius privati Fidelis, verum quidem est, si comparatio inter istos terminos præcisè consistat; quia uni privato Fideli præstat Ecclesia in Concilio congregata, & bonum publicum præferri debet privato: sed si propiùs rem inspiciamus, ex perversâ privatorum Fidelium directione sequi potest aliqua perversitas in directione totius Communitatis: nam si liceat Fidelibus singulis sequi minorem apparentiam veri, stantem pro libertate contra legem probabiliorem, idem licebit toti Ecclesiæ per orbem diffusæ: ex quâ licentiâ quanta, Deus bone! sequetur in totâ Ecclesiâ directionis perversitas: quare ne malum serpat, totumque corpus sensim contagione pervadat, negari debuit ea licentia singulis Fidelibus, & fieri singulis obligatio sequendi majorem apparentiam veri stantem pro lege contra libertatem minùs probabilem.

Ex perversâ privatorum directione perversitas in ipsam communitatem redundaret.

Instabis. Concilium Ecclesiasticùm pluralitatem suffragiorum in se habet; non habet unusquisque Fidelis: ergo Fidelis unusquisque teneri non potest lege pluralitatis sequendæ, quâ lege tenetur Concilium Ecclesiasticum. Sed contra 1. Unusquisque Fidelis non habet quidem in se pluralitatem suffragiorum, pro unâ parte contradictionis; habet tamen, aut habere potest unusquisque pluralitatem rationum, uni parti suffragantium: pluralitas autem rationum in judicio privato æquivalet pluralitati suffragiorum in judicio publico: nam sicut in judicio publico pluralitas suffragiorum majorem facit apparentiam veri sequendam judicibus publicis; ita pluralitas rationum in judicio privato majorem facit veri apparentiam, unicuique privato judici sequendam. Contra 2. Concilium Ecclesiasticum ideò tenetur lege sequendæ pluralitatis; quia ex pluralitate suffragiorum fit major probabilitas ejus partis pro quâ stant plura suffragia. Ratio autem, cur sit obligatio sequendi pluralitatem suffragiorum non alia videtur esse, nisi quia est obligatio sequendi probabilitatem majorem, quam facit suffragiorum pluralitas: ergo unusquisque Fidelis tenetur lege probabilitatis majoris sequendæ; undecumque veniat major illa probabilitas, sive ex pluralitate suffragiorum, sive ex pluralitate rationum. Contra 3. Habet unusquisque Fidelis, etiam privatus, tribunal suum, in quo sedet intellectus judex: litigant duæ partes contradictionis, & habent se rationes utrique parti faventes, ut vota suffragantium: ergo ubi rationes unius partis, seu plures, seu graviores majorem probabilitatem faciunt, tenetur intellectus judex eam partem sequi quæ probabilior apparet, nec potest sequi minùs probabilem; quia in eum finem à Deo constitutus est judex, ut secundùm majorem ap-

Quilibet fidelis non habet in se pluralitatẽ suffragiorum, sed habet cumvul pluralitatem rationum.

parentiam veri conſtanter pronuntiet, à recto judicii fine aliter declinaturus.

Regula ſequendæ pluralitatis ſuffragiorum nō ſolum ad bonum pacis, ſed etiā ad majorem apparentiam veri conſtituta.

Objicies 3. Regula ſequendi pluralitatem ſuffragiorum, in Concilio Eccleſiaſtico, videtur eſſe præſtituta in bonum pacis: nimirùm cùm in ipsâ Eccleſiâ, & inter ipſa Eccleſiæ membra, oriantur identidem controverſiæ; ſapienter conſtitutum eſt, ut eædem terminentur ad pluralitatem ſuffragiorum, & pro deciſo habeatur, quod in Concilio legitimo majori parti viſum fuerit: ergo ex regulâ ſequendi pluralitatem ſuffragiorum malè infertur obligatio ſequendi probabilitatem majorem, quam obligationem nullatenus facit, aut præſupponit regula pluralitatis ſuffragiorum. Reſpondeo. Regula pluralitatis ſuffragiorum ſequenda juvat quidem plurimùm ad bonum pacis: ſed bonum pacis nec ſola eſt, nec præcipua ratio regulæ: nam ſi bonum pacis ſolùm attendebatur à Legiſlatore, poterat conſtitui pro regulâ conciliari, ut haberetur pro deciſo, quod duobus, aut tribus Concilii Patribus antiquioribus viſum fuiſſet, neglecto ſenſu cæterorum, & contemptâ ſuffragiorum pluralitate; cui conſtitutioni acquieſcentes fideles, pacem viâ Concilii quæſitam habuiſſent. Sed non ita fuit conſtitutum, nec ad vota duorum aut trium antiquiorum, ſed ex ſenſu majoris partis Concilii, juxta regulam conciliarem controverſiæ finiuntur. Cur autem ita finiuntur? non alia ratio occurrit, niſi quia in ſenſu majoris partis Concilii major eſt apparentia veri, quàm in ſenſu partis minoris. Et verò cùm omnis controverſia de aliquâ veritate ſit, & partium litigantium unaquæque pro ſe veritatem prætendat; neceſſe fuit, pro controverſiâ finiendâ, præſcribi à ſapientiſſimo Legiſlatore eam regulam, ex quâ fieret major apparentia veri pro unâ parte quam pro alterâ; cujuſmodi regula eſt pluralitas ſuffragiorum, in qua poſſunt, & debent ambæ partes, ſi rationabiles, & pacis ac veritatis amantes ſunt, continuò acquieſcere: nam ubi deficit evidentia veritatis, locum evidentiæ tenet major apparentia veri.

Suffragia omnia inter ſe æqui ponderant omnibus perpenſis. Quare major apparētia veri ſtat in pluralitate ſuffragiorum.

Inſtabis. In pluralitate ſuffragiorum non eſt ſemper major apparentia veri: interdùm enim in Concilio authoritas unius viri excellentis, authoritati plurium præponderat: atqui in Concilio non ponderantur ſuffragia, ſed numerantur; quæ tamen ponderari deberent, non numerari, ut ex illis major apparentia veri haberetur. Reſpondeo. In pluralitate ſuffragiorum æquiponderantium ſemper eſt major veri apparentia. Suffragia autem in Concilio legitimo, & legitimè procedente, habentur pro æquiponderantibus, & quidem meritò: quare in Concilio non debent ponderari ſuffragia, ſed numerari, uti reipſa numerantur, non ponderantur; cujuſmodi uſûs legitimi triplex ratio occurrit. Prima. Quia ponderatio, ſeu examen meriti reſpectivi ſuffragantium, res eſſet invidioſa nimis, & moraliter impoſſibilis, quæ novas ferè & interminabiles controverſias moveret: undè pro bono pacis longè præſtat ſupponere in omnibus judicibus æquale meritum, quàm examinare merita ſingulorum, & exceſſum unius ſupra alterum ſcrupulosè metiri. Altera. Quia in Concilio, ubi cauſa diligenter & palam diſcutitur, judices mediocres, quod deeſt ſibi luminis ad cognitionem cauſæ, ab aliis haurire poſſunt,

& mutuari, capaces & ipsi videre, aut sentire veritatem ultro oblatam, & virorum excellentium industriâ evolutam; quàm fortè abstrusam & involutam, satis penetrare, & evolvere suopte ingenio non potuissent: quare mediocres aliorum luminibus instructi in ordine ad sententiam ferendam excellentibus ferè æquivalent; adeò ut suffragia utrorumque æquiponderare censeantur. Tertia demum ratio est. Quia in Concilio etsi suffragium viri excellentis non ponderetur magis, quàm suffragium viri mediocris; reipsâ tamen longè præponderat; quia pondere suo ad se trahere potest suffragia multorum: plerique enim non tam de sensu suo, quàm de sensu virorum excellentium suffragantur; id verò non habet suffragium viri mediocris, quod ferè solitarium est, & non habet sequaces. Nimirùm viris magnis idem contingit in judicando, quod viris principibus in gradiendo; quamcumque enim viam sequantur, suum ubique comitatum circumferunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Secundũ argumentum ex regulà Canonica electionum.

Ex Regulà canonicà Electionum.

Regula Electionum canonica, dicitur regula Canonibus Conciliorum, & Decretis Pontificum sancita: Est autem ea Regula. *Eligendum esse in concursu, quod apparet Electori dignius eligi:* in hanc quippe regulam omnes Electionum regulæ conveniunt: unusquisque verò in concursu duarum opinionum probabilium Elector est: ergo unicuique in concursu præscribitur, ut eligat digniorem, ac proindè probabiliorem, quæ dignior est eligi.

Jus Canonicum id quod dignius est eligendum jubet.

Major Argumenti Propositio patet enumeratione Electionum canonicarum: nam multiplex est species Electionis, pro multiplicitate rerum, quæ sub electionem cadunt. Alia est Electio doctrinæ sequendæ in materiâ fidei; Alia Electio principii directivi in materiâ morum; Alia Electio determinativa juris inter partes litigantes; Alia Electio determinativa facti obscuri, ex quo plerumque pendet determinatio juris; Alia denique Electio personæ ad officia, aut Beneficia Ecclesiastica idoneæ: atqui in singulis ejusmodi Electionibus, secundùm Canones Conciliorum & Decreta Pontificum, præscribitur Electori, ut eligat, quod ei apparet dignius eligi. Ac 1. Quidem de Electione doctrinæ in materiâ fidei res apertè habetur in Clementinâ: ubi Clemens V. in Concilio Viennensi, ex duabus opinionibus, quarum prima negabat, gratiam informantem & virtutes conferri parvulis; altera asserebat: secundam elegit, quia probabiliorem. *Tanquàm probabiliorem*, inquit, *sacro approbante Concilio duximus eligendam:* quo exemplo suo præscripsit Doctoribus & Magistris, inter opiniones in materiâ fidei controversas, probabiliores eligendas esse. Ratio nimirùm est. Quia, ex quo fit probabilius Deum aliquid esse lo-

1. In electione doctrinæ.

cutum, Reverentia Deo debita postulat, ut creatura rationalis probabiliorem Dei locutionem amplectatur. 2. De Electione principii directivi in materiâ morum, exstat in aliâ Clementinâ insigne responsum ejusdem Clementis. Interrogatus enim à Fratribus Minoribus, an ex præcepto obligarentur ad ea omnia, quæ in ipsorum Regulâ verbis imperativi modi continentur: sic respondet. *Nos itaque, qui in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes, quòd in iis, quæ ad salutem animæ respiciunt, tenenda est pars securior*, seu, quod idem est, *probabilior*, de cujus scilicèt veritate major securitas est. In quâ responsione sapientissimus Pontifex statuit pro generali principio morum, in iis quæ ad salutem animæ respiciunt, tenendam esse partem securiorem, seu probabiliorem, idque propter graves conscientiæ stimulos vitandos, necessariò secuturos, si pars securior non teneretur, ut solidè ratiocinatur Pontifex. Ex hoc autem principio quæstionem decidit: scilicèt quæ verbis imperativi modi ponuntur in Regulâ Minorum præcepta sint, aut æquipollentia præceptis: expedire tamen, ut Fratres Minores ea tanquàm præcepta habeant, aut præceptis æquipollentia, idque ad puritatem regulæ & rigorem. Nimirùm præceptum illud manifestè verisimilius est & securius, in ordine ad Regulam in suo rigore, & puritate suâ conservandam: quod autem Pontifex respondit Minoribus, omnibus respondet in simili causâ. 3. De Electione determinativâ juris inter partes litigantes, habetur Regula illa Juris 45. in sexto. *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est.* Juxta quam Regulam, si Beneficium litigiosum sit, inspiciendum est utri litigantium competat jus probabilius, ad Beneficium ei adjudicandum qui jus probabilius habuerit. 4. De Electione determinativâ facti idem obtinet, juxta eandem Regulam: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit:* nam hæc postrema pars disjuncti factum respicit, nec immeritò: cùm enim ex determinatione facti plerumque pendeat ipsa juris determinatio quæ semper fieri debet secundùm majorem verisimilitudinem, ut fert prima illa Regulæ pars; *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est*; sequitur quoque debere fieri determinationem facti, secundùm verisimilitudinem majorem; id quod indicat pars ista Regulæ postrema: *vel quod plerumque fieri consuevit.* Regula autem tota, secundùm utramque partem, & Juris Civilis est, & Canonici, de Civili traslatâ in Canonicum. 5. Demum quod spectat Electionem personæ ad officia, aut Beneficia Ecclesiastica habetur forma canonica Electionis ad Ecclesias Parochiales, in Concilio Tridentino præscripta Sess. 24. c. 18. de Reformatione. *Peracto deindè examine, renuntientur quotcumque ab his*, supple, Examinatoribus, *idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit; atque illi, & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre: si verò juris Patronatûs Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur; cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus*

2. In electione principii directivi morũ.

Clementis responsum ad fratres minores.

3. In electione determinativa juris.

4. In electione determinativa facti.

5. In electione determinativa personæ ad officia ecclesiastica, aut beneficia.

solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. In quâ formâ, ut vides, institutio & præsentatio variatur; sed manet fixum ratumque, ut qui jus eligendi habet, digniorem eligat. Stet ergo veritas Majoris Propositionis: eligendum esse in omni Electione canonicâ, quod Electori apparet dignius eligi.

Minorem verò Propositionem Argumenti nostri facile est demonstrare. Nimirùm in concursu duarum opinionum, quarum una legi favet, altera libertati, unusquisque Elector est; quia jus habet eligendi alterutram, quam sequatur ut regulam directivam conscientiæ suæ: ergo eligere debet digniorem, ac proindè probabiliorem legi faventem: nam quæ probabilior est, & legi favens, eadem dignior est quæ eligatur & quidem titulo duplici. 1. Quidem Titulo legis divinę, quę in pari causâ videtur habere jus prælationis supra libertatem humanam, & multò etiam magis in causâ meliore. 2. Titulo majoris verisimilitudinis, quæ magis meretur assensum intellectûs, quàm verisimilitudo minor. Confirmari potest ex singulis Electionum canonicarum speciebus supra memoratis, in quibus Elector debet eligere quod ei apparet dignius eligi: ex singulis enim duci potest consequentia pro obligatione eligendi partem probabiliorem legi faventem, ut patebit inductione. Nam 1. Si in materia fidei eligi debet sententia probabilior, ut declaravit Clemens V. approbante Concilio Viennensi; non video, cur eligi non debeat opinio probabilior in materiâ obedientiæ? neque enim minor debetur reverentia authoritati Dei præcipientis, quàm authoritati Dei revelantis: ergo si ex quo fit probabilius, Deum aliquid revelasse, tenetur homo illud provisoriè amplecti, propter reverentiam debitam summæ authoritati Dei revelantis; similiter ex quo fit probabilius Deum aliquid præcepisse, tenetur idem ei se submittere, propter reverentiam debitam summę authoritati Dei præcipientis. 2. Ex Electione determinativâ juris inter partes litigantes habetur obligatio eligendi partem probabiliorem legi faventem: nam in concursu duarum opinionum, quarum una legi favet, altera libertati; habent se lex divina & libertas humana ut partes litigantes: ergo pro decisione litis inspicere oportet, utri duarum competat jus probabilius; & si quidem competit legi, facienda est Electio in favorem legis, uti ferè fit electio in favorem competitoris, qui jus habet probabilius in Beneficium litigiosum, 3. Ex Electione determinativâ facti obscuri & minimè evidentis arguitur eadem veritas: nam si factum obscurum. V. G. An Sempronius Caïæ matrimonium promiserit; deciditur secundùm majorem verisimilitudinem, juxta regulam supradictam. *Inspicimus in obscuris, quod verisimilius est:* ita ut ex quo verisimilius fit, Sempronium Caïæ matrimonium promisisse, continuò determinetur matrimonium fuisse à Sempronio Caïæ promissum: cur non idem fieret in determinatione facti istius obscuri, an Deus reipsa certum aliquid homini præceperit? cur non haberetur pro præcepto, quod verisimilius est fuisse à Deo præceptum? 4, Ex Electione principii directivi in materiâ morum, valet consequentia ad electionem opinionis probabilioris legi faventis: nam opinio probabilior, quæ legi favet est principium aliquod

Ab electionibus prædictis valet consequentia ad electionem opinionum.

directivum in materiâ morum : ergo debet eligi opinio probabilior legi favens; quia in iis, quæ ad salutem animæ pertinent, tenenda est pars securior, ex responsione Clementis : quare quod Fratribus Minoribus præscripsit consultissimus Pontifex præsumendus est singulis fidelibus præscripsisse in ordine ad electionem opinionis probabilioris legi faventis: Et verò si propter puritatem & rigorem regulæ, Fratres Minores habere debent tanquàm pręcepta, aut æquiponderantia præceptis, etiam illa quæ fortè præcepta non sunt; non apparet, quomodò Fideles non debeant pro præceptis habere, quæ probabilius est esse pręcepta, etsi fortè præcepta non sint. An fideli Christiano minus cordi esse debet puritas & rigor Evangelii Christi, quàm Fratri Minori puritas & rigor Regulæ?

5. Ex Electione personæ ad officium, aut Beneficium Ecclesiasticum, idem omninò conficitur: nam si secundùm Canones eligi debet in concursu dignior, ita ut minùs dignus, in concursu dignioris, habeatur pro indigno; quia & ratio æquitatis, & bonum Ecclesiæ postulat, ut dignior præferatur minùs digno; videtur quoque opinio probabilior legi favens, in concursu minùs probabilis libertati faventis, eligenda esse; quia & dignior est eligi, & bonum publicum postulat, ut eligatur.

Regula de eligendo eo quod dignius est eligi obligatoria est.

Objicies. Regula de eligendo, quod dignius est eligi, regula consilii est non præcepti : ergo nihil indè confici potest, pro obligatione eligendi partem probabiliorem legi faventem, in concursu minùs probabilis faventis libertati. Antecedens patet ex ipsis terminis : est enim evidens, posse eligi, quicumque dignus est eligi: nam si eligi non posset, jam eligi dignus non esset: dignus est autem eligi etiam ille, qui minùs dignus est: ergo eligi potest idem, in concursu dignioris; consequens est, ut possit item eligi pars minùs probabilis libertati favens, etiam in concursu probabilioris legi faventis; quia & ipsa, quamvis minùs probabilis, verè tamen probabilis est, ac proindè digna, quæ eligatur. Respondeo. Nego Antecedens, quod est apertè falsum, ut convincitur, tum ex ipsis Electionum regulis supra memoratis, obligationem præseferentibus, tum ex sensu Canonistarum, veram obligationem in iis agnoscentium. Nam quod additur ad probationem, laborat æquivocatione satis levi : nimirùm minùs dignus reipsâ dignus non est qui eligatur, in concursu dignioris; ut enim verè dignus esset, deberet esse dignus, qui præferretur digniori : est autem evidens, qui minùs dignus est, non esse dignum, qui digniori præferatur : ergo in concursu dignioris planè indignus est, qui eligatur; esto, sit idem dignus extra concursum; sed in concursu dignus non est. Dico igitur similiter, partem minùs probabilem libertati faventem, in concursu probabilioris legi faventis, reipsâ non esse probabilem; quia ut esset probabilis in tali concursu, deberet probari posse, & acceptari prudenter: in concursu autem probabilioris probari & acceptari prudenter non potest : est enim evidens, indignam esse, quæ probabiliori præferatur : ergo in concursu probabilioris, nec probabilitatem habet, nec dignitatem, ut prudenter approbetur, & acceptetur : aut si quam habet, habet impeditam, majore alterius partis probabilitate concurrente. Quo ferè modo, ut supra dicebamus, minùs dignus in

Minùs dignus non est dignus qui præferatur digniori, ac proinde indignus est in concursu.

concursu dignioris dignus non est; quia dignitatem non habet nisi impeditam ob majorem alterius dignitatem concurrentem, quæ dignitas impedita nihil operari potest, in ordine ad electionem sui, operatura fortè aliquid, extra concursum majoris dignitatis impedientis.

Instabis. Non obstantibus quibuscumque Electionum regulis, eligi potest sine culpâ minus bonum in concursu melioris: ergo eligi potest pars minùs probabilis, in concursu probabilioris. Antecedens negari non potest: nam quis sapiens neget, eligi posse sine culpâ matrimonium, quod est minùs bonum, præ cælibatu qui melior est? Respondeo 1. Nego Antecedens universaliter sumptum. Et statuo pro principio generali, non posse eligi sine culpâ minus bonum simpliciter, in concursu boni simpliciter melioris; quia nimirùm ea electio foret imprudens & inordinata, contra determinationem voluntatis in bonum, ab ipso naturæ authore inditam: voluntas enim ab eâ lege deflecteret, si bonum simpliciter minus eligeret, præ bono simpliciter meliore. Ex quo principio sequitur 1. In concursu summi boni, non posse eligi sine culpâ, quodcumque aliud bonum, summo bonô inferius: quia summum bonum est melius simpliciter, tam absolutè, quàm respectivè ad eligentem, juxta illam Christi sententiam. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ.* Sequitur 2. In concursu boni alicujus ad salutem necessarii, eligi non posse sine culpâ quodcumque aliud bonum, ad salutem non necessarium; quia bonum ad salutem necessarium simpliciter melius est eligenti, respectivè ad summum bonum, omni alteri bono ex obligatione præferendum. Sequitur 3. Eligi non posse sine culpâ, aut imperfectione aliquâ morali bonum ad salutem inutile, in concursu boni utilis ad salutem; quia bonum utile ad salutem est simpliciter melius bono ad salutem inutili, respectu scilicèt habito ad consecutionem summi boni, quod omni alteri bono præferri meretur. Quia tamen contingere potest, ut bonum, quod absolutè & in se minus est, minusque ad salutem utile, sit idem melius simpliciter respectivè ad eligentem, eique ad salutem utilius; indè fit, ut quandoque eligi possit sine culpâ & imperfectione morali, bonum aliquod secundùm se, & absolutè minus, in concursu alterius absolutè & in se melioris. Ita potest aliquando eligi sine culpâ & imperfectione morali matrimonium præ cœlibatu, quamvis absolutè & secundum se minus bonum sit matrimonium, quàm cœlibatus; quia scilicèt matrimonium interdùm homini melius est, & ad salutem utilius ipso cœlibatu. Sequitur 4. Secluso etiam respectu ad salutem, bonum privatum eligi non posse sine culpâ, in concursu boni publici ejusdem ordinis; quia bonum publicum est simpliciter melius bono privato. Atque hinc est, quod miles vitam suam exponere debeat, pro conservatione totius exercitûs; nec possit pro conservatione vitæ suæ totius Exercitûs cladem permittere: hinc item est, quod teneatur subditus caput & latus suum objicere pro incolumitate Principis, cujus incolumitas bonum publicum est, privato bono anteferendum: hinc denique est, quòd Gubernatores Reipublicæ uni

Demonstratur inductione generalis hujus principii veritas. Non potest eligi sine culpa bonũ simpliciter minus, in cõcursu boni simpliciter melioris.

cuipiam privato studere, aut favere non possint contra bonum publicum. *Dixi, bonum publicum præferendum esse bono privato ejusdem ordinis*; quia fieri potest, ut bonum privatum superioritatem ordinis habeat talem ac tantam, respectu boni publici concurrentis, ex quâ præferri mereatur bono publico: ita pluris facere debet homo vitam suam privatam, quàm publicam quandam, & inanem populi voluptatem, ex suâ ipsius morte venturam; nec potest velle occidi, ut gratum populo spectaculum exhibeat, quæ Gladiatorum insania fuit, apud Gentiles familiaris, quam graviter reprehendit Cyprianus in Epistolâ ad Donatum. *Ecce*, inquit, *in mediis urbibus occiditur homo, in hominis voluptatem: ut quis possit occidere peritia est; usus est: scelus non tantum geritur, sed docetur*. Sequitur 5. Secluso etiam respectu ad bonum publicum, non posse eligi sine culpâ bonum simpliciter minus, & ordine inferius in concursu boni simpliciter melioris, & ordine superioris; istiusmodi enim electio aliquid imprudentiæ haberet, ne dicam stultitiæ: ita non licet homini, propter gulæ voluptatem, valetudinem perdere; quia valetudo plus aliquid est, quam voluptas gulæ, & in ordine superiori: non licet propter amorem pecuniæ bonam famam contemnere; quia *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Sequitur 6. Non posse eligi sine culpâ bonum simpliciter minus, in concursu melioris, etiam intra eundem ordinem, & secluso omni respectu. Ejusmodi enim electio & ipsa imprudens esset: ita non potest eligi denarius præ nummo; quia denarius nummo præferri non meretur. Non nego tamen, quin bonum in se minus; si fortè melius sit eligenti, possit sine culpâ eligi, præ bono in se meliore. Ita potest conviva de cibis mensæ appositis, eligere cibum in se minùs bonum, præ cibo secundùm se meliore; quia fortè cibus in se minùs bonus, ipsius palato magis sapit. Potest item, honestatis & temperantiæ causâ, meliores cibos aliis dare, deteriores sibi reservare: sed deteriores illi cibi quos eligit, meliores sunt, respectivè ad eligentem, cui deserviunt ad honestatem & temperantiam exercendam. Stet igitur, bonum simpliciter minus, tam absolutè quàm respectivè, non posse eligi sine culpâ, aut imperfectione morali, in concursu melioris. Respondeo 2. Transeat Antecedens, cum eâ, quam apposui limitatione intellectum. Nego consequentiam & paritatem. Disparitas est. Quia pars minùs probabilis libertati favens manet semper minùs probabilis, ita ut ex nullo respectu probabilior fiat. Undè enim fieret probabilior? An ex respectu ad libertatem humanam cui favet? Sed libertas humana non est præferenda legi divinæ. An ex respectu ad salutem? Sed negotium salutis non magis promovet pars minùs probabilis libertati favens, quàm probabilior favens legi. An ex respectu ad bonum publicum? Sed boni publici, & gloriæ Dei est; ut lex divina servetur; minùs servanda, si pars minùs probabilis libertati favens eligatur. An ex respectu ad eligentem, cui fortè magis placet? Sed ex eâ partè nihilò plùs verisimilitudinis accipit pars minùs probabilis. Nam quòd approbetur falsum aliquid, non ei propterea ratio veri, aut major veri apparentia accedit. At verò bonum quod in se minus est, ex multiplici respectu accipere

Pars minus probabilis ex nullo respectu potest fieri probabilior operanti.

pere potest, ut fiat melius. Puta, ex respectu ad salutem; ex respectu ad bonum publicum; ex respectu ad eligentem, cui fortè antecedenter ad electionem magis sapit, vel ipsâ electione fit magis placens; nam in ipsâ ratione placentis est aliqua ratio boni. Sed falsum, etiam approbatum, & acceptatum, ex ipsâ approbatione & acceptatione nullam habet, aut accipit boni rationem.

ARTICULUS TERTIUS.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Ex Regulâ Canonicâ determinativâ dubiorum.

Tertium Argumentum ex regulâ canonicâ dubiorum.

Regula canonica determinativa dubiorum hæc est; *ut dubia secundùm partem tutiorem & securiorem determinentur.* Ex quâ regula sic argumentor. In dubiis sequenda est pars tutior & securior, ut passim dicitur in Jure Canonico: atqui in concursu majoris probabilitatis legi faventis, cum probabilitate minore libertati favente, dubium est aliquod, sitne lex, an libertas à lege: ergo in tali dubio ut determinatio fiat canonicè, fieri debet in favorem legis; hæc enim est pars evidenter tutior & securior. Nimirùm ea pars dicitur tutior & securior esse, in quâ & minùs periculi est, & plùs securitatis. In parte autem probabiliore & minùs periculi, & plùs securitatis inest. Nam qui determinat se ad judicandam existentiam legis probabilioris, longè minùs periculum subit, aberrandi à veritate, quàm qui judicat libertatem à lege minùs probabilem: rariùs enim contingit, errorem latere sub majore probabilitate, quàm sub minore; ut satis liquet.

Pars probabilior minus habet periculi & plus securitatis ergo ex jure sequenda.

Objicies 1. Regula, quæ præscribit sequendam esse in dubiis partem tutiorem, non est præcepti, sed consilii. Ergo ineptè adducitur ad probandam obligationem partis probabilioris legi faventis. Antecedens vel ex eo patet, quòd potest quis sine culpâ manere in dubio, si velit, inter utramque partem suspensus, tutiorem & minùs tutam. Ergo nulla est obligatio sequendi partem tutiorem. Respondeo 1. Regula ista non videtur esse præcepti, nisi ex hypothesi determinationis in partem alterutram: virtualiter enim conditionata est, obligationem faciens eligendi partem tutiorem, ex suppositione duntaxat quòd aliqua pars eligatur. Contingere autem potest, ut nulla sit necessitas alterutram eligendi, sed plena libertas manendi in statu dubii & suspensionis; in quâ hypothesi non est obligatio absoluta eligendi partem tutiorem, cùm non sit obligatio ullam eligendi. Nihilominùs tamen remanet semper obligatio conditionata eligendi tutiorem ex hypothesi determinationis. Quod ut clariùs intelligatur, observa, considerari posse electionem unius partis dupliciter; vel in ordine ad judicium; vel in ordine ad praxim. Quocumque autem modo consideretur electio, si facienda est, fieri debet necessariò necessitate præcepti secundùm partem probabiliorem legi fa-

Regula sequendi tutius interdum non obligat nisi conditionatè.

ventem. Nam ſi qua pars per judicium amplectenda eſt, ea certè quæ meretur alteri præferri: pars autem probabilior præferri meretur parti minùs probabili: quare imprudentia eſſet aliqua, & perverſitas aliqua voluntatis, intellectum determinare ad partem minùs probabilem. Quòd ſi ſemel judicetur vera eſſe pars probabilior legi favens, ex tali judicio ſequitur indiſpenſabilis obligatio operandi ſecundùm eandem partem. Eſt enim evidens inobedientiæ peccatum, operari contra legem quæ non tantùm apparet probabilior, ſed & vera eſſe prudenter judicatur.

Interdum obligat abſolutè, ſcilicet ubi dubiū tolli debet.

Reſpondeo tamen 2. Obligationem partis tutioris ſequendæ, quam diximus eſſe ſaltem conditionatam, eandem eſſe multoties abſolutam; quia multoties eſt obligatio tollendi dubium, in favorem partis probabilioris; ut breviter oſtendo. Lex, cui major probabilitas favet, vel eſt affirmativa, ſeu jubens aliquid fieri; vel eſt negativa, ſeu aliquid fieri prohibens. Si affirmativa ſit, & urgeat executio legis, jam eſt obligatio abſoluta determinandi ſe ad urgentem legis executionem: ergo eſt obligatio partis tutioris ſequendæ, ſaltem in operando, &, quod eſt conſequens, etiam in judicando. Quia ubi urget executio legis, eſt obligatio obediendi legi: obediri autem legi non poteſt, niſi credatur eſſe lex. Ergo ad obedientiam legi probabiliori præſtandam, neceſſe eſt, ut credatur eſſe lex probabilior; ac proindè urgente legis probabilioris executione, neceſſe eſt, ut judicetur exiſtentia legis probabilioris. Nam ſi legis exiſtentia non judicabitur, vel retinebitur ſtatus dubii, & ſuſpenſionis, vel determinatio fiet ſecundùm libertatem minùs probabilem: ſed ſtatus dubii & ſuſpenſionis retineri non poteſt, ne committatur inobedientia adversùs legem probabiliorem urgentem. Nec poteſt fieri determinatio quæ faveat libertati minùs probabili, ne imprudentia committatur: ergo in caſu legis probabilioris urgentis, eſt obligatio determinandi ſe ad exiſtentiam legis judicandam. Quòd ſi fortè non urgeat executio legis probabilioris, nihil vetat tandiu retineri ſtatum dubii, quandiu executio non urgebit; quia in tali ſtatu dubii nullum periculum eſt, ſed magna ſecuritas. Si autem lex probabilior negativa ſit, ſeu prohibens aliquid fieri; tandiu eſt obligatio abſtinendi à re quæ probabilius eſt per legem prohibita, quandiu eſt major probabilitas legis prohibentis: nam in ſtatu dubii nihil fieri poteſt contra legem prohibentem. Dubium autem tolli non poteſt in gratiam libertatis minùs probabilis: ſed planè nil vetat, ſtatum dubii retineri, dummodò à re prohibitâ abſtineatur; quia ſtatus ille dubii, ſtatus eſt omnium maximè ſecurus; in quo ſcilicèt nullum eſt, ſeu errandi, ſeu peccandi periculum, ſed ſpes aliqua veritatis per inquiſitionem ulteriorem certiùs obtinendæ.

Regula de ſequendâ parte ſecuriore generalis eſt neque reſtringi debet ad caſus in jure expreſſos.

Objicies 1. Regula quæ præcipit ſequendam in dubiis partem tutiorem, regula quædam eſt odioſa; quippe quæ libertatem ita ligat ut ad unam partem eligendam teneri libertas videatur. Ergo reſtringenda eſt ad eos ſolum caſus Jure deſcriptos. Odia enim reſtringenda ſunt, non amplianda: Eſto igitur valeat regula in dubio homicidii, & habeat ſe pro irregulari Presbyter qui dubitat an homicidium commiſerit; idemque verè peccet, niſi in tali dubio à ſacris officiis abſtinuerit, quia ita dicitur in Ca-

pite *Ad audientiam.* Valeat in dubio impedimenti matrimonium dirimentis; & peccare dicatur conjugatus, si in tali dubio debitum petat: sic enim deciditur in Capite *significasti.* Valeat in dubio sponsalium; & peccare credatur, qui dubitans an sit sponsus uni, spondet se alteri, aut cum alterâ contrahit; ita enim habetur in Capite *Juvenis de sponsalibus.* Sed planè non valet in aliis casibus, quorum nulla fit mentio in Jure: Ergo non valet in dubio legis, ac proindè non debet habere se pro obligato, qui dubitat an sit lex obligans. Respondeo. Regula præcipiens sequendam in dubiis partem tutiorem, videtur esse regula generalis; neque restringi debet ad solos casus in Jure expressos; quia in Jure ad eos casus non restringitur, sed adhibetur ut ratio decidendi. Neque enim dicitur in Jure, tutiorem partem esse eligendam, in iis solùm casibus; sed ii casus sic deciduntur, quia *in dubiis tutior pars est eligenda:* quod principium ipso naturæ lumine manifestum apparet. Quare decisio certorum casuum, quæ fit ex tali principio, exemplum est decisionis similiter faciendæ in omni alio casû, cui principium idem congruere reperitur. Regula ergo generalis est, ac proindè locum habet in dubio legis. Pro obligato enim habere se debet, quicumque dubitat an sit lex obligans; præsertim si existentia legis ei probabilior appareat; quia *in dubiis tutior pars est eligenda.* Cæterum regula ista non tam odiosa dici debet, quàm favorabilis, quippe quæ favet securitati eligentis, & in ejus bonum cedit: quòd si odiosa cuipiam videtur, odiosa dicatur, sed ita ut ei restringendæ tamen locus non sit; tum quia de universalitate illius satis constat respectu omnium casuum, quibus congruit; tum quia illius universalitas habetur in jure satis expressa, Clementinâ supra citatâ, ubi Clemens V. sacro approbante Concilio Viennensi, generatim statuit pro regulâ; in iis, quæ ad animæ salutem respiciunt, securiorem partem esse tenendam.

Instabis 1. Plerique casus excipiuntur à regulâ supra dictâ: ergo non est regula adeò universalis, ut ad omnes casus extendi debeat: quòd si semel detur non esse universalem, nihil est undè satis probari possit ad casum de dubio legis pertinere. Antecedens autem probatur evidenter. Nam in dubio vocationis religiosæ, nulla est obligatio sequendi partem tutiorem: ex quo enim quis dubitat, an ad Religionem vocatus sit, non tenetur statum religiosum suscipere. Respondeo. Nego Antecedens. In dubio enim supra obligationem cadente, de quo solo agitur, semper sequenda est pars tutior, eaque regula exceptionem non habet. Dubium autem, an sit lex obligans, est dubium supra obligationem cadens: ergo in tali dubio sequenda est pars tutior. Sed dubium vocationis ad statum religiosum non est dubium cadens supra obligationem. Cùm enim status religiosus consilii sit, non præcepti, vocatio ad statum religiosum, est inspiratio ad consilium sequendum, non ad præceptum implendum: quare inspiratio divina, quâ quis ad Religionem vocari se sentit, obligationem non facit ei qui vocatur, saltem communiter: undè nihil mirum est, si in dubio vocationis ad Religionem, non continuò obligetur quis ad Religionem ingrediendam, cùm ne ipsa quidem

Semper sequenda est pars tutior in dubio supra obligationem cadente; quale non est dubium de vocatione ad statû religiosum.

certitudo vocationis religiosæ talem obligationem pariat. Dixi, *saltem communiter*; quia fieri potest absolutè, ut Deus homini præcipiat Religionem ingredi, non tantùm cùm de præcepto certus est, sed etiam in dubio præcepti; quia jam dubium supra obligationem cadit, ut supponitur, in quo dubio tenetur homo sequi partem tutiorem: verùm ea hypothesis satis extraordinaria est; quia secundùm providentiam & voluntatem Dei ordinariam, status religiosus non est præcepti, sed consilii.

An in dubio occasionis peccandi, sit semper obligatio tutiorem partem sequêdi.

Instabis iterum. In dubio occasionis peccandi non tenetur homo partem tutiorem sequi: quandoque enim fit, ut occasionem peccandi vitare non teneatur; sed ei exponere se possit: semper tamen tutius est, occasionem peccandi vitare, quàm ei se exponere. Respondeo. Occasio peccandi, de quâ agitur, vel talis est, ut ex obligatione vitari debeat si certa sit; vel talis, ut non sit obligatio illam vitandi etiam cùm certa est. Si primum: in dubio occasionis peccandi tenetur homo tutiorem partem sequi, & occasionem vitare, juxta principium positum, & nunquàm dimittendum; quia scilicèt dubium supra obligationem cadit: si secundum, hoc est, si occasio talis sit, ut nulla sit obligatio illam vitandi, etiam cùm certa est; jam in dubio non tenetur homo illam vitare; quia jam dubium non supra obligationem cadit, sed supra merum consilium; in quo genere dubii tutiorem partem sequi, præcepti non est, sed consilii. Quænam autem occasio peccandi ex obligatione vitanda sit, non est quidem hujus loci definire: placet tamen indicare obiter, quæ nobis in hac materiâ videntur certa esse. 1. Igitur ex obligatione vitanda est occasio peccandi proxima, ac proindè in dubio, an sit occasio proxima peccandi, obligatio est vitandi illam, & sequendi partem tutiorem. 2. Occasio peccandi probabilior, seu in quâ probabilius est, peccaturum hominem, quàm non peccaturum, vitari debet ex obligatione, ac proindè in dubio, an aliqua occasio peccandi sit probabilior, ex obligatione vitanda est, & pars tutior sequenda. 3. Occasio talis ac tanta, ut ex æquo tam prababile sit, in eâ peccaturum hominem, quàm non peccaturum, videtur quoque ex præcepto vitanda, ac proindè in dubio, an aliqua occasio talis ac tanta sit, præceptum est illam vitandi, & tutiorem partem sequendi. 4. Occasio peccandi minùs probabilis, seu talis, in quâ probabilius est, non peccaturum hominem; quam peccaturum, non videtur nobis adeò vitanda ex præcepto, ubi præsertim intervenit causa aliqua rationabilis illam subeundi; ac proindè in dubio an aliqua occasio peccandi sit minùs probabilis, non videtur esse tanta obligatio sequendi partem tutiorem; dummodo certum sit eandem occasionem peccandi, de cujus minore probabilitate dubitatur, non esse probabiliorem, aut æquè probabilem. 5. Demum occasio adeò levis, ut possit in eâ facillimè non peccari, ex obligatione vitanda non est; ac proindè in dubio talis occasionis, dummodò certum sit non esse nisi levem, consilii esse potest tutiorem partem sequi, sed non præcepti. Ex quibus omnibus intelliges, quod ante dixi, & iterum dico, quia magni momenti est pro resolutione multorum ca-

suum, regulam de tutiore parte in dubio sequendâ, toties esse præcepti, quoties dubium supra obligationem cadit; toties verò præcepti non esse, sed consilii, quoties non supra præceptum cadit, sed supra consilium.

Objicies 3. In dubio *melior est conditio possidentis* ut fert Regula Juris; famosa regula, apertè, ut videtur, pugnans cum obligatione sequendi partem probabiliorem legi faventem: sic enim ex datâ Regulâ argui potest. Est homo in possessione suæ libertatis respectu omnium actuum suorum, quorum dominus est, & quidem ante legem latam, quippe qui libertatem accepit ipso munere creationis. Nam libertas naturæ rationali concreata est; creationi autem legislatio supervenit; & prius est libertatem esse, quàm lege obligari. Ergo de possessione libertatis deturbari homo non potest, per legem incertam: lex autem probabilior, lex incerta est. Ac proindè contra legem etiam probabiliorem prævalere debet possessio libertatis. *Quia melior esse debet conditio possidentis.* Respondeo. Hoc Argumentum specie me suâ aliquando decepit; credidi enim illi inesse magnam vim, quæ reipsa non inest: nam si quid roboris habet, totum ei venit, non à verâ regula Juris, sed à falso regulæ intellectu. In dubio quidem melior est conditio possidentis, si certò, si bonâ fide, si in pari causâ possideat; quia certa & bonæ fidei possessio facit aliquam præsumptionem juris in possidente: ergo in pari causâ, seu in æquilibrio rationum suffragantium, præsumi debet esse plus juris penes certò, & bonâ fide possidentem: sed ubi possessio incerta est, & malæ fidei, aut in causâ dispari; jam in dubio non est melior conditio possidentis. Nam ex possessione incertâ nihil solidi argui potest pro possidente: possessio autem malæ fidei habetur pro nullâ. In causâ verò dispari, ne ipsa quidem certa, & bonæ fidei possessio causam adjudicat possessori. Nam si is qui non possidet, jus habeat longè probabilius jure possessoris, jam prævalere debet possessoriis qui non possidet, & deturbari possessor de suâ possessione. Esto igitur sit homo in qualicumque possessione suæ libertatis, ei tamen favere non debet sua possessio contra legem probabiliorem. 1. Quia non est par causa utriusque. Hominis enim libertatem possidentis jus apparet minùs probabile; jus autem legis divinæ apparet probabilius: Ergo in dispari causâ, per legem probabiliorem deturbari debet homo de possessione libertatis minùs probabilis. 2. Quia possessio quæ competit homini respectu libertatis, est possessio incerta. Nam quod est bene advertendum, libertas de quâ agitur non est libertas illa Physica, quâ fit, ut possit homo actus aliquos suos physicè ponere, aut non ponere pro arbitrio; sed libertas quædam moralis, quâ fit ut possit homo eosdem actus suos ponere, aut non ponere, irreprehensibiliter & sine peccato. Possidet quidem homo, & certò possidet libertatem physicam, respectu suorum actuum; etiam in concursu legis probabilioris; quia lex libertatem physicam nec tollit, nec minuit. Sed possessio libertatis moralis non potest homini certa esse, in concursu legis probabilioris: libertas enim moralis est libertas à lege, importans essentialiter negationem legis hominem ligantis: atqui in concursu legis probabilioris, non potest esse certa homini negatio legis

Hæc refamosa regula juris melior est conditio possidentis, non fvaet probabilioris. Quia homo libertatem à lege nec certò possidet, nec bona fide, nec in pari causâ.

hominem ligantis, ut ex terminis patet. Neque enim poteſt homini certum eſſe, non eſſe legem, quando eidem probabilius eſt legem eſſe: ergo in concurſu legis probabilioris non poteſt eſſe certa homini poſſeſſio libertatis moralis; quia ex quo probabilius eſt eſſe legem, probabilius eſt non eſſe libertatem à lege. Stet igitur hominem ex poſſeſſione ſuæ libertatis arguere non poſſe contra legem probabiliorem. Nam poſſeſſio libertatis Phyſicæ, quæ certa eſt homini, ſtare poteſt cum exiſtentiâ legis. Libertas autem moralis quæ legem excludit in quæſtione eſt, & ita eſt in quæſtione, ut probabilius ſit non eſſe ejuſmodi libertatem; quia probabilius eſt eſſe legem. 3. Favere non debet homini poſſeſſio ſuæ libertatis, non modò quia incerta eſt; ſed quia eſt poſſeſſio quædam malæ fidei: neque enim bonâ fide poſſideri dicitur quod quis habet pro ſuo, in circumſtantiis in quibus ipſi probabilius eſt ſuum non eſſe. Atqui homo in concurſu legis probabilioris, ſi libertatem moralem ſibi arrogat, jam habet libertatem pro ſuâ, in circumſtantiis in quibus probabilius eſt ipſam non eſſe ſuam: Ergo jam non eſt dicendus poſſeſſor bonæ fidei reſpectu libertatis moralis quam non ſine aliquâ malâ fide arrogat ſibi, ut ſuam.

Inſtabis. Prius eſt eſſe libertatem creaturæ rationalis, quàm ligari; libertas enim creaturæ rationali ineſt ipſo munere creationis: creationi autem ſupervenit legiſlatio: ergo ante legem latam competit homini certa poſſeſſio ſuæ libertatis, quâ poſſeſſione tueri ſe poteſt adversùs legem incertam, cujuſmodi eſt lex etiam probabilior. Reſpondeo. Nego conſequentiam. In causâ enim diſpari non eſt ſemper melior conditio poſſidentis; & contra poſſeſſionem etiam certam, prævalere poteſt jus probabilius alterius non poſſidentis. Sed quæ fit in Antecedente comparatio libertatis cum lege, quoad prioritatem, ſatis ſubtilis & intricata res eſt: pro quâ utiliter extricanda, diſtinguere oportet ſpeciem legis multiplicem; Divinam, & Humanam; Naturalem, & Poſitivam; Eccleſiaſticam, & Civilem. Fortè enim, pro diversâ ſpecie legum diverſimodè ratiocinandum erit. 1. Igitur Alia eſt lex divina naturalis, unicuique ferè hominum ipſo naturæ lumine cognita, veniens de aliquâ voluntate Dei neceſſariâ, creaturam rationalem & liberam, ſtrictè obligantis ad aliquid ſeu faciendum, ſeu non faciendum. Quæ lex & libertatem creaturæ præcedit, in ſtatu conditionato ſpectata, & abſolutè libertatem eligat, cùm primùm eſt creatura libera. Quare reſpectu legis naturalis dici non poteſt priorem eſſe libertatem, quàm legem; quia in nullo inſtanti reali concipi poteſt, eſſe libertas creaturæ, in quo eodem non concipiatur ligata per legem naturalem; ac proindè reſpectu legis naturalis, nunquam fuit creatura in poſſeſſione ſuæ libertatis ante legem, quocumque ſenſu accipiatur libertas, ſeu phyſicè, ſeu moraliter. Nam libertas moralis nulla fuit reſpectivè ad legem, libertatem enim creaturæ ſemper obligavit lex naturalis. Libertas autem phyſica prior non fuit lege naturali, ſaltem prioritate temporis; quia nunquàm fuit libertas phyſica creaturæ, niſi ligata moraliter per legem naturalem. Non nego tamen, quin libertas creaturæ aliquam prioritatem habeat reſpectu legis etiam naturalis; ſed prioritatem duntaxat

Moralis libertas creaturæ rationalis non eſt prior lege naturali.

formalem, & meræ conditionis. Exiſtentia nimirùm libertatis in creatura eſt conditio, ſine quâ lex naturalis creaturam obligare non poteſt: neque enim obligare poteſt creaturam non exiſtentem. Voluntas igitur Dei neceſſaria, quâ vult creaturam obligare ad aliquid, conditionata eſt, & ſuſpenſa ex hypotheſi creaturæ liberæ exiſtentis: quare non intelligitur obligare abſolutè, niſi poſitâ creaturæ liberæ exiſtentiâ; quia priùs intelligitur eſſe poſita conditio, quàm intelligatur voluntas conditionata tranſire in abſolutam: ſed ea creaturæ libertas, quæ conditio eſt ad legem naturalem abſolutam, libertas eſt duntaxat phyſica non moralis. Nam libertas moralis, ut ante diximus, importat excluſionem legis ligantis. In ſigno autem, in quo primùm intelligitur eſſe libertas phyſica creaturæ, non intelligitur excluſio legis naturalis; ſed à tali lege, & ab excluſione talis legis præſcinditur. 2. Alia eſt lex divina poſitiva veniens de liberâ Dei voluntate; eáque lex libertate creaturæ anterior eſſe poteſt, & poſterior. Anterior quidem, ſi legiſlatio libertatem & exiſtentiam creaturæ præcedat. Poſterior verò, ſi ſubſequatur: utrumlibet enim poteſt facere Deus, pro ſuâ liberrimâ voluntate; vel ferendo legem antè creaturam conditam; vel condendo creaturam antè legem latam; & utrumque videtur reipſa feciſſe, ſed reſpectu diverſorum. Nam primos homines creavit Deus ante legiſlationem; poſteros verò nonniſi poſt lationem legis. Undè ſequitur poſteros qui nonniſi poſt legem latam venerunt, non poſſe tueri ſe adversùs legem poſſeſſione libertatis, quam nunquàm habuerunt, reſpectu legis ante ipſorum libertatem latæ: neque jam ipſi dici poſſunt in poſſeſſione ſuæ libertatis; ſed potiùs Deus Legiſlator in poſſeſſione ſuæ legis, & juris per legem acquiſiti. De primis hominibus, qui ante legem latam aliquandiu vixerunt, poteſt eſſe aliqua difficultas: nam reſpectu illorum videtur locum habere aliquem regula illa Juris: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Quia nimirùm illi libertatem moralem à lege poſitivâ certò & bonâ fide aliquandiu poſſederunt; à quâ poſſeſſione non videntur deturbari poſſe per exceptionem legis incertam; cujuſmodi eſt exceptio legis probabilioris, quæ tandiu incerta manet, quandiu manet intra terminos meræ probabilitatis. Sed contra eſt. Quia regula illa Juris locum non habet, niſi in pari causâ utriuſque contendentis. In noſtra autem hypotheſi, non eſt par cauſa utriuſque contendentis: libertas enim ita eſt in poſſeſſione, ut lex ſit probabilior libertate: poſſeſſor autem deturbari poteſt à ſuâ poſſeſſione per exceptionem juris probabilioris alterius non poſſidentis. Accedit, quòd in pari causâ ideò tantùm melior eſt conditio poſſidentis; quia poſſeſſio certa & bonæ fidei præſumptionem facit aliquam juris in poſſeſſore, qui non præſumitur certò & bonâ fide fuiſſe poſſeſſurus, niſi bonum aliquem titulum habuiſſet: ex hoc autem titulo rationabiliter præſumpto, in causâ alioquin pari, fit quædam juris acceſſio, aut major aliqua præſumptio in favorem poſſidentis. At verò poſſeſſio libertatis ante legem latam nullam facit præſumptionem juris in favorem libertatis pro tempore legem conſequente: nam quòd lex ante lata non fuerit, non ſequitur non fuiſſe poſtmodùm latam, præſertim à

Lex poſitiva divina, & humana poteſt eſſe vel prior vel poſterior libertate.

Ne primi quidem homines ante legem latã viventes fuerunt in poſſeſſione ſuæ libertatis, contra legem ſuperveniẽtem.

Legislatore summè libero à quo pendet legis suæ lationem anticipare, & differre pro arbitrio. Ex quo autem probabilius est, legem fuisse latam, probabilius est, non esse libertatem à lege, quæcumque tandem fuerit possessio libertatis antecedens. 3. Alia est lex humana, seu ecclesiastica, seu civilis, de quâ idem planè dicendum est, quod jam diximus de lege divinâ positivâ: nam lex humana subditorum libertatem quandoque antecedit, & quandoque subsequitur: sed sive antecedat, sive subsequatur; si probabilior est, prævalere debet libertati minùs probabili; nec libertati favere potest quæcumque possessio antecedens.

Lex illa moraliter certa censeri debet cujus non existentia asseri prudenter non potest, aut existentia negari.

Instabis iterum. De possessione libertatis, quam se habere certus est homo, deturbari non potest nisi per sufficientem notificationem legis. Nam quòd præcisè fuerit lata lex, non obligatur libertas hominis, nisi constiterit homini legem fuisse latam. Lex enim ignorata non obligat: non constat autem legem fuisse latam, quandiu probabile est, latam non fuisse: stare enim non potest certitudo obligationis cum probabilitate libertatis. Respondeo. Satis constare de lege eo ipso quòd lex probabilior est: major enim probabilitas moralem quandam certitudinem facit; eique certitudini morali nihil obstat probabilitas libertatis; quia probabilitas minor libertati favens perinde se habet, ac si non esset, in ordine ad assensum libertati præstandum. Neque enim negari potest lex probabilior, aut asseri libertas à lege probabiliore, nisi imprudenter. Undè ulteriùs sequitur, legem probabiliorem habendam esse pro moraliter certâ. In usu enim communi hominum, dicitur moraliter certum, quod negari non potest sine imprudentiâ, aut cujus contrarium nonnisi imprudenter asseri potest.

Sententia benignior non potest benignitate sua præferri rationabiliter probabiliori.

Objicies 4. Opinio benignior & suavior præferri debet, ex Capite *de Transactionibus:* Opinio autem minùs probabilis libertati favens, est opinio benignior & suavior. Ergo præferri debet opinioni probabiliori, quæ legi favet; cùm hęc opinio rigidior & durior sit. Respondeo. Opinio benignior & suavior præferri debet, ubicumque rationabiliter præferri potest: sed opinio minùs probabilis libertati favens rationabiliter præferri non potest probabiliori, quæ legi favet; neque enim rationabile est, ut minor verisimilitudo majori præferatur.

Instabis 1. Opinio libertati favens, etsi minùs probabilis, habet nihilominùs ut benignior & suavior sit: ergo habet sufficientem titulum prælationis: nam si ut præferatur, expectari debet probabilitas major; jam non titulo benignitatis & suavitatis præferetur, sed solo titulo majoris probabilitatis. Benignitas tamen & suavitas titulus aliquis prælationis est, in Jure expressus. Respondeo. Nego Consequentiam. Quia minor probabilitas præferri non potest rationabiliter majori: quare ut opinio benignior præferri possit rationabiliter, debet ei accedere probabilitas major, quâ accedente præferri poterit, & debebit; idque non rationè tantùm probabilitatis majoris, pro judicio ferendo quod ex regulis prudentiæ sequi debet majorem verisimilitudinem; sed etiam ratione benignitatis pro re executioni mandanda. Benignitas enim postulat, ne puniatur,

tur, aut oneretur reus, ubi poteſt rationabiliter abſolvi. Poteſt autem abſolvi rationabiliter, ubi probabilius eſt eſſe innocentem: quòd ſi multò probabilius eſt crimen, quàm innocentia, aut onus legis, quàm libertas à lege, pars benignior præferri non debet. Quis enim non videat, ex viginti Judicibus, ſi ſtent omninò duodecim pro crimine, & octo duntaxat pro innocentiâ, reum fore damnandum, non abſolvendum? Opinio igitur benignior præferri non debet, niſi ſit eadem conjuncta cum majori veriſimilitudine, aut certè non minori.

Inſtabis 2. Ex Lege. *Semper:* Paragrapho de Regulis Juris: Regula 55. *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt:* Benignius autem eſt liberari hominem à lege, quàm lege obligari: ergo in dubiis præferenda eſt libertas obligationi legis. Reſpondeo 1. Regula illa Juris, ut interpretatur Gloſſa, locum habet in dubiis facti ſolùm, & ubicumque agitur de pœnis infligendis; ſed in dubiis juris locum non habet. Dubium autem legis habetur pro dubio juris, non pro dubio facti. Reſpondeo 2. Ne in dubiis quidem facti benigniora præferenda ſunt, quando minùs ſunt probabilia. Nam ſi crimen ſit longè probabilius quàm innocentia quis non putet pro crimine potius quam pro innocentiâ ſtandum? Reſpondeo 3. Quando lex probabilior eſt, quàm libertas à lege, jam non eſt dubium morale legis, ſed moralis quædam certitudo. Lex enim longè probabilior habetur pro moraliter certâ; quia major veriſimilitudo, in uſu communi hominum; eſt certitudo quædam moralis, certitudini phyſicæ æquivalens, ad actiones humanas dirigendas: quare Regula illa Juris; *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt;* non videtur tangere hypotheſim noſtram, in quâ ſupponitur lex eſſe longè probabilior, in concurſu libertatis minus probabilis. Eſto, locum habere poſſit ea regula in hypotheſi in quâ lex minùs probabilis eſt, aut non probabilior libertate. De quo tamen quidquam decidere nondùm velim; quia nondùm tempus eſt decidendi. Reſpondeo 4. Etiamſi daremus legem probabiliorem eſſe moraliter dubiam, ac proindè hypotheſim noſtram obnoxiam eſſe Regulæ de benignioribus ſemper in dubio præferendis: aliundè tamen ſuâ ipſius benignitate, dici poſſet Regulam habere ſibi faventem magis quàm contrariam; quia nimirùm pars benignior eſt, quæ legi favet, non quæ libertati. Cùm enim lex, præſertim divina, data ſit homini ad directionem, pro magno hominis beneficio reputanda eſt. Quare melior eſt homini lex, quàm libertas à lege; favet enim bono hominis, & directioni libertatis humanæ. Eſto, non faveat cupiditati, quam ut malum eſt homini foveri, ita bonum eſt per legem refrænari. Undè ſequitur, partem legi faventem, ſemper in dubiis præferendam, & ab unoquoque ſapiente libenter, & cum gaudio amplectendam, juxta illud Pſalmiſtæ. *Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

Verus ſenſus iſtius regulæ juris. Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.

Inſtabis 3. *Benigniùs leges interpretandæ ſunt, quò voluntas earum conſervetur.* Lege *Benigniùs.* Paragr. de Legibus. Rationabilis nimirùm Legiſlatorum voluntas eſt, ut benignior legum ſuarum interpretatio præferatur duriori: ergo interpretatio legum fieri debet, ſecundùm partem

ff. l. 1. tit. 3. l. 18.

minùs probabilem libertati faventem; hæc eſt enim pars benignior: nam ſi fieret interpretatio ſecundùm partem probabiliorem faventem legi, jam non benigniùs fieret, ſed rigidiùs; quia pars probabilior legi, favens rigidior eſt. Lex autem interpretatione opus habere intelligitur, præſertim in dubio rationabili, an certus aliquis caſus lege comprehendatur, necne: in quo dubio, ſecundùm regulam Juris, ſtandum videtur, non pro extenſione legis ad certum illum caſum, de quo dubium eſt an lege comprehendatur, ſed pro exceptione caſûs à lege: quia nimirùm exceptio caſûs à lege benignior eſt, & favorabilior libertati, quàm extenſio libertatis ad caſum illum dubium. Quòd ſi interpretatio legum facienda eſt benigniùs, hoc eſt, ſecundùm exceptionem à lege etiam minùs probabilem; non apparet, cur in dubio de exiſtentiâ legis, aut libertatis à lege, non liceat determinare dubium in favorem partis minùs probabilis libertati faventis: nam exceptio, quâ caſus aliquis particularis legi ſubtrahitur, pars eſt aliqua libertatis à lege, eaque pars determinatur ex probabilitate etiam minore. Quidni igitur libertas integra ex minore probabilitate ſimiliter determinetur? Reſpondeo 1. Nego Conſequentiam. Nam leges quidem benigniùs interpretandæ ſunt, ubi interpretatio benignior poteſt eſſe rationabilis: ſed interpretatio ſecundùm partem minùs probabilem rationabilis eſſe non poteſt; quia non eſt rationabile, minorem veriſimilitudinem præferre majori. In dubio igitur, an certus aliquis caſus lege comprehendatur, necne, ubi probabilius eſt non comprehendi, ſemper lex interpretanda eſt benigniùs, & ſtandum eſt pro exceptione caſûs à lege. Quia exceptio, pars eſt benignior: ſed ubi probabilius eſt, caſum comprehendi lege quàm non comprehendi, debet fieri interpretatio, non ſecundùm exceptionem caſus à lege, ſed ſecundùm extenſionem legis ad caſum; quia rationabile eſt ut major veriſimilitudo minori præferatur. Atque hæc eſt rationabilis voluntas Legiſlatorum, qui profectò in interpretatione legum ſuarum excipi nolunt à lege eos caſus, quos probabilius eſt lege comprehendi, ſed eos duntaxat quos comprehendi minùs probabile eſt, idque ex benignâ & rationabili voluntate. Hic eſt verus ſenſus legis iſtius: *Benigniùs leges interpretandæ ſunt, quò voluntas earum conſervetur:* Sed ex iſto legis ſenſu, ut vides, argui non poteſt in dubio de exiſtentiâ legis determinationem faciendam eſſe ſecundùm partem minùs probabilem libertati faventem. Nam ſi Legiſlatores volunt determinationem fieri ſecundùm partem probabiliorem, ubi agitur tantùm de lege limitandâ, quantò magis idem velle præſumendi ſunt, ubi agitur de lege prorſus tollendâ. Reſpondeo 2. Leges interpretandas eſſe benigniùs, reſpectivè ad juſtitiam legis & Legiſlatoris, cujus famæ benignâ interpretatione conſulatur; non verò reſpectivè ad libertatem, aut cupiditatem ſubditorum cui faveatur. Quandoque enim eæ circumſtantiæ contingunt, in quibus lex apparet injuſta & intolerabilis, ſi in rigore & literaliter acciperetur. In iis autem circumſtantiis datur locus benignæ interpretationi. Nimirum eo modo lex interpretanda eſt, ut & diffamatio legis apud ſubditos impediatur, & ſubditorum ſeu infirmitati, ſeu juri proſpiciatur. Undè ad legem *Benigniùs*,

pro ratione legis & benignioris interpretationis, quam præſcribit, ſapienter additur; *quò voluntas earum conſervetur.* Tum quia lex omnis, cùm debeat eſſe juſta, & voluntatem aliquam Legiſlatoris juſtam eſſentialiter importet; eo ipſo voluntas legum conſervatur, quod cavetur benignâ interpretatione, ne leges injuſtæ ſint, aut eſſe appareant; tum ut in ſubditis foveatur voluntas, ſeu ſtudium ſervandi leges, quarum jugum continuò excuterent, ſi putarent eſſe injuſtas. Lex ergo *benigniùs* non pertinet ad hypotheſim noſtram, in quâ non injuſtitia legis ſed exiſtentia controvertitur. Et verò ſi ubi certa eſt lex, & probabilior juſtitia legis, benignæ interpretationi locus non datur contra minorem injuſtitiæ probabilitatem, ſed præſumitur in favorem legis; non video, cur, ubi exiſtentia legis probabilior eſt, & juſtitia certa, non debeat præſumi pro exiſtentiâ legis contra minorem probabilitatem libertatis. Reſpondeo 3. Leges interpretandas eſſe *benigniùs*, hoc eſt, non ſecundùm literam, quæ interdùm occidit, & durior eſt; ſed ſecundùm ſpiritum literæ, ſuaviorem ferè & benigniorem: nam leges ſi quando literaliter acceptę iniquitatem continent, aut manifeſtam abſurditatem, jam non literaliter & durè nimis, ſed ſpiritualiter & benignè accipiendæ ſunt: quam interpretandi rationem ignorabant cæci Phariſæi, indignantes contra Dominum, quaſi prævaricatorem legis, quòd in die Sabbathi ægros curaret: ignorabant furioſi illi, qui, ut notat Auguſtinus, aquis ſe ſuffocabant; præcipitio ſe collidebant; violentas manus ſibi ipſi inferebant; literaliter & durè nimis accipientes illud Chriſti edictum. *Qui amat animam ſuam perdet eam; & qui perdiderit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Ratio autem iſtius benignæ interpretationis legum hæc eſt. Quia leges præſumendæ ſunt eſſe juſtæ & rationabiles: ergo ſi verba legum in ſenſu proprio & literali accepta aliquid injuſti & irrationalis præſeferant, ad ſenſum aliquem rationabilem, quamvis minùs proprium, debent benignè detorqueri; ita enim conſervabitur voluntas legis, ſeu ipſa lex, quæ deſineret eſſe juſta & rationabilis. Huc quoque pertinet, quod dicitur Lege 19. *In ambiguâ voce legis eam potiùs interpretationem eſſe accipiendam, quæ vitio caret, præſertim cùm ex hoc colligi poſſit voluntas legis*, quæ præſumi debet carere vitio, ac proindè ita intelligi, ne vitium habere videatur. Sed iſtæ regulæ de benignâ interpretatione legum planè ineptæ ſunt, ad deciſionem noſtræ Quæſtionis, ubi lex, cujus exiſtentia controvertitur, ſupponitur eſſe juſta & rationabilis, ac proindè benignâ interpretatione non indigens: neque tam in favorem libertatis, aut ſubditorum conſtitutæ ſunt iſtiuſmodi regulæ proviſoriæ, quàm in favorem legis, & honorem Legiſlatoris, ut ſupra obſervavimus.

Vera interpretatio regulæ illius juris.

Objicies 5. *Cùm ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt, potiùs quàm Actori.* Hæc eſt Regula Juris 11. in Sexto. In noſtra autem hypotheſi legis probabilioris, cum libertate minùs probabili concurrentis partium jura obſcura ſunt; & lex habet ſe ut Actor, libertas verò ut Reus: ergo libertati potiùs favendum eſt, quàm legi. Reſpondeo 1. Neque libertas habet ſe ut reus, ſed ut debitor; debet enim ſervare legem. Neque lex habet ſe ut Actor, ſed ut Creditor, aut exactor obedientiæ. Homo

Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius quam actori.

enim liber legem accepit, & debitor est legis acceptæ. Legislator autem legem dedit, & veluti creditor exigere potest observationem legis quam dedit: Atqui debitori non est potiùs favendum, quàm Creditori. Nam si creditor jus habeat probabilius, adjudicatur ei debitum suum, & solvere debitor compellitur. Ergo similiter libertati non est potiùs favendum, quàm legi. Sed si probabilior est lex, ei adjudicandum est debitum obedientiæ, & tenetur libertas reddere obedientiam, quam debet. Respondeo 2. Esto tamen, homo qui liber est, dicatur esse Reus legis, & Legislator, qui legem dedit, dicatur esse Actor; atque ut Reo favendum est potius quàm Actori, quando sunt obscura jura partium, ita dicatur favendum esse libertati potiùs quàm legi, quid indè? An propterea erit homo ab observatione legis probabilioris absolvendus? Cùm in judicio ne ipse quidem Reus à crimine probabiliore absolvatur. Ratio nimirùm est. Quia jus probabilius non habetur pro obscuro. Ergo quemadmodùm in judicio non sic favetur Reo, ut absolvatur à crimine probabiliore ita neque sic favendum est homini libero in foro conscientiæ, ut à lege etiam probabiliore absolvatur. In pari fortè causâ, aut meliore, libertati faveretur; sed in causâ deteriore, aut minùs probabili, non est quòd faveatur; cùm ne ipsi quidem Reo contra Actorem in causâ simili, favendum esse præscribat Regula Juris supra citata. Respondeo 3. supra dictam Regulam pertinere solùm ad causam criminalem, in quâ Actor actione suâ id agere nititur, ut damnetur & puniatur ille, quem reum esse contendit. Favendum est autem Reo potiùs quàm Actori; quia tandiu quis præsumi debet innocens, quandiu non convincitur malus. Atqui malus non convincitur ex quâlibet probabilitate criminis, nisi fortè probabilitas talis ac tanta sit, ut ad moralem quandam certitudinem accedat: Ergo in minore, aut æquali probabilitate criminis præsumi debet innocens; ac proindè cùm sunt obscura jura partium, *Reo potius quàm Actori favendum est.* Sed non idem contingit in causâ legis & libertatis: nam ut quis præsumatur ligari lege, non est opus tantâ convictione & certitudine legis ligantis; quia scilicèt ex præsumptione legis hominem ligantis, nulla fit injuria homini, qui præsumitur ligatus. At verò injuria homini fieret, si ante convictionem criminis reus esse præsumeretur; quia tandiu jus habet, ne præsumatur reus esse, donec reus esse convincatur. Confirmari potest Responsio ex altiore illâ & universaliore Juris Regulâ, quæ præscribit, *in dubiis tutiorem partem sequendam esse.* Nam ex tali Regulâ sequitur, favendum esse reo potiùs quàm Actori; quia scilicèt si faveatur Actori, periculum est damnandi & puniendi innocentem: si autem Reo faveatur, periculum est absolvendi & relinquendi Reum impunitum; minus autem malum est, absolvere & relinquere nocentem impunitum, quàm damnare & punire innocentem. Ergo tutius est favere Reo, quàm Actori; quia in tali favore minoris mali periculum subitur. Quæ ratio cessat in causâ legis & libertatis: nam si legi favebitur, erit, fateor, periculum ligandi hominem lege; sed si favebitur libertati, periculum erit relinquendi legem inobservatam: minus verò malum est, ligari hominem lege, quæ fortè

non est, quàm legem, quæ fortè est, inobservatam relinquere: ergo favendum videtur legi potiùs quàm libertati.

Instabis 1. Commune Juris effatum est: *Dubia interpretanda esse in meliorem partem.* Fundatum in illo Pauli loco Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non judicet*, seu non spernat, vel condemnet. Pars autem melior est pars benignior libertati favens: ergo dubium an sit lex, aut libertas à lege, interpretandum est in favorem libertatis. Respondeo cum S. Thoma. Distinguenda esse duo genera dubiorum: alia enim sunt dubia de personis; alia de rebus. Dubia quidem de personis interpretanda sunt in meliorem partem, ut rectè colligit Glossa ex monitione Apostoli. *Qui non manducat, manducantem non judicet.* Cujus regulæ rationem hanc affert S. Thomas. *Quia ex hoc ipso quòd aliquis habet malam opinionem de alio, absque sufficienti causâ, injuriatur ei, & contemnit ipsum: nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque afferre, absque causâ cogente: & ideò ubi non apparent manifesta indicia de malitiâ alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Nec quidquam obstat, frequenter eum falli, qui in meliorem partem interpretatur. *Quia*, inquit S. Doctor, *melius est, quòd aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* Ex quâ doctrinâ sequitur, non esse licitum damnare quemquam, aut judicando contemnere ex minore probabilitate. Quia minor probabilitas non est causa cogens, ac proindè nec sufficiens, sive in judiciis privatis, sive in publicis. Quod non satis, advertunt levis ingenii & præceptis judicii homines, aliorum contemptores perpetui, in suo de aliis judicio ferè peccantes, non contra prudentiam solùm, aut charitatem, sed etiam contra justitiam. Nam contra prudentiam quidem peccant; quia judicant sine causâ sufficiente: contra charitatem quia *charitas benigna est, non cogitat malum:* Denique contra justitiam; quia tandiu jus habet homo ne malus credatur, aut contemnatur, donec manifestis indiciis probetur malus esse, aut contemptibilis. Sed dubia de rebus longè alio modo determinanda sunt, ut docet idem S. Thomas, cujus hîc doctrinam exscribere velim. *In judicio*, inquit, *in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum ipsius rei, de quâ judicamus, cui nihil nocet, qualitercumque judicemus de ipsâ; sed attenditur ibi solum bonum judicantis, si verè judicet; vel malum si falsò: quia verum, est bonum intellectûs: falsum autem, est malum ipsius, ut dicitur in 6. Ethic. & ideò unusquisque dici debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet secundùm quod sunt. Sed in judicio, quo judicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum & malum ex parte ejus, de quo judicatur; qui ex hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus judicatur; & contemptibilis, si judicetur malus: & ideò ad hoc potiùs tendere debemus in tali judicio, quòd hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat: ipsi autem homini judicanti falsum judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius, sicut nec ad ejus perfectionem pertinet, secundùm se cognoscere veritatem singulorum contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum.* Hæc est

Quo sensu dubia in meliorem partem ex jure interpretanda.

22. q 60. art. 4

Doctrina sanctæ Thomæ circa interpretationem dubiorum.

doctrina Angelica, ex quâ patet nobis facilis responsio ad objectionem propositam. Dubium enim, de quo agimus, an sit lex, aut libertas à lege, non est dubium de personis, ac proindè non spectat ea dubia quæ interpretanda sunt in meliorem partem, sed est dubium de rebus; ac proindè determinandum secundùm majorem, aut minorem apparentiam veritatis, juxta illam Augustini regulam L. 1. de Doctrina Christiana c. 27. *Ille piè & justè vivit, qui rerum integer est æstimator, in neutram partem declinando.* Ergo quando libertas minùs probabilis concurrit cum lege probabiliore, dubium, si quod est, determinari debet in favorem legis, non libertatis. Quia integer rerum æstimator majorem apparentiam veritatis minori apparentiæ præferre debet; satis integer non futurus, si in partem minùs verisimilem, pro libertate suâ, non pro rei merito declinaret.

Judicium partis minus probabilis non est prudens; quia est prælativum minoris majori.

Instabis 2. Semper licet judicare prudenter, judicium enim prudens non potest esse illicitum. Judicare autem libertatem etiam ex minore probabilitate, prudenter est judicare: Ergo licet judicare libertatem minùs probabilem. Respondeo. Prudentiæ non est, præferre minorem probabilitatem majori; nam judicium, quo judicatur libertas minùs probabilis in concursu legis probabilioris judicium quoddam est prælativum, quo præfertur majori id quod minus est. Tale autem judicium habet aliquid injustitiæ. Ac proindè non est prudens: quare qui format judicium ejusmodi, non est integer rerum æstimator, sed in unam partem, non pro merito partis quam amplectitur; scit enim esse minùs probabilem, sed pro suâ voluntate declinans. Distingue igitur in tali judicio rationem duplicem. Prima est ratio judicii fundati in motivis gravibus secundùm se, & præcisè à concursu graviorum legi faventium. Altera est ratio prælationis, seu judicii prælativi, quo minùs gravia motiva præferuntur gravioribus, & judicatur secundùm libertatem minùs probabilem, relictâ lege probabiliore. In primâ quidem ratione judicii, nec imprudentia apparet, nec injustitia. Non imprudentia; quia judicium supponitur fundatum in motivis idoneis movere virum prudentem, nisi cum gravioribus concurrerent. Non injustitia; quia præscinditur à concursu, & postpositione graviorum; nec intelligitur præferri minus aliquod meritum majori: quare prima ista ratio judicii, si, ut per mentem præscinditur à ratione prælativi, ita realiter separaretur, jam nec injustitiæ, nec imprudentiæ quidquam haberet judicium libertati favens. Sed in hâc ratione prælativi videtur esse imprudentia simul & injustitia: imprudentia quidem; quia imprudentiæ est, minùs gravia motiva præferre gravioribus: injustitia verò; quia injustum est, minus meritum præferre majori: atqui judicium favens libertati minùs probabili in concursu legis probabilioris, verè prælativum est; præfert enim minùs gravia motiva gravioribus, & minus meritum quod inest libertati minùs probabili, præfert majori merito quod competit legi probabiliori.

In concursu legis probabilioris

Instabis 3. In concursu legis probabilioris libertas manet verè probabilis. Motiva enim, quæ libertati favent, retinent totam gravitatem suam, etiam in concursu graviorum, ac proindè si extra concursum gravia sunt,

quis de eorum gravitate etiam in concursu dubitaverit. Respondeo. Libertas minùs probabilis, etiam in concursu legis probabilioris, manere potest probabilis verâ aliquâ probabilitate; sed probabilitate duntaxat fundamentali, incompletâ, & sic impeditâ, ut in statu impedimenti sui exire in actum prudentem non possit. Verùm non manet probabilis, probabilitate practicâ, completâ, & ad actum prudentem expeditâ. Nam probabilitas practica, completa, & expedita ad actum prudentem, est talis quædam probabilitas, vi cujus dubitans, respectu habito ad statum suum præsentem, & ad circumstantias omnes in quibus reperitur, possit determinare dubium suum in favorem libertatis: atqui minor probabilitas libertati favens, in concursu legis probabilioris ea profectò non est, ut vi illius possit dubitans moveri prudenter ad determinandum dubium suum in gratiam libertatis; quia secundùm statum suum præsentem, & in circumstantiâ legis sibi probabilioris, judicare non potest pro libertate, nisi majori apparentię veritatis præferat apparentiam libertatis minorem. Præferre autem minorem apparentiam majori: num aliquid imprudentiæ habet? Ergo probabilitas, si quâ superest libertati minùs probabili, nequit esse probabilitas practica, completa, & ad actum prudentem, quo judicetur in favorem libertatis, expedita. Dici tamen potest eadem, & reipsâ est, vera aliqua probabilitas, sed fundamentalis duntaxat, & incompleta, quatenus desunt eæ circumstantiæ, quibus fiat proximè & completè potens fundare assensum prudentem; probabilitas impedita ne in actum exire possit; impedita inquam, per circumstantiam majoris apparentiæ legis. Nam major illa legis apparentia si fortè non esset, jam in actum prudentem, quo libertas judicaretur, eadem ipsa probabilitas exiret, ut exit in mente aliorum dubitantium, in quibus, cum eâdem apparentiâ libertatis, non est tanta apparentia legis. Probabilitas denique, per me licet, etiam practica, non proximè quidem & simpliciter, sed remotè tantùm & secundùm quid; quatenus non potest simpliciter & proximè ad praxim conducere, propter obicem majoris apparentiæ legis, ad praxim tamen conductura, si fortè talis obex removeretur. Quod autem additur ad probationem; motiva minùs gravia quæ libertati favent, retinere totam gravitatem suam in concursu graviorum legi faventium, ita verum est in uno sensu, ut sit falsum in alio. Nam ea motiva retinent quidem totam gravitatem suam physicè & absolutè, in ordine ad assensum aliquem physicè obtinendum; potest enim quis physicè determinare se ex illis motivis minoribus ad libertatem minùs probabilem judicandam: non retinent tamen totam suam gravitatem moraliter & respectivè ad assensum prudentem libertati exhibendum; quem assensum motiva minùs gravia fundare non possunt, in concursu graviorum legi faventium. Quare motiva minùs gravia, quæ libertati favent in concursu graviorum legi faventium, habent quidem vim aliquam physicam absolutam obtinendi assensum aliquem, quo libertas esse judicetur, sed assensum duntaxat imprudentem; vim enim moralem absolutam obtinendi prudentem assensum nullam habent, sed conditionatam tantùm, ex suppositione concursum destruente; in quâ

Libertas retinet probabilitatem tantum fundamentalē remotam & impeditam; Non autem proximam & expeditam ad assensū prudentem causandū.

Probabilitas minor cum majore concurrens habet se sicut pondus minus, & sicut meritum minus in concursu cum majore.

ſuppoſitione valerent & ipſa ad aſſenſum prudentem. Reſponſionis noſtræ, cujus intelligentia magni momenti eſt, innoteſcet veritas ſimilitudine duplici. Primam duco ex ponderibus. Habent ſe nimirùm motiva ſicut pondera: ſicut autem pondera minùs gravia, bilanci appenſa cum gravioribus, ex lege naturali gravitatis elevantur per graviora, & impediuntur, ne lancem deprimant, quam deprimerent, ſi ſola appenderentur; ita motiva minùs gravia, in mente hominis ſapientis veluti appenſa gravitatem ſuam, ſeu vim movendi retinent, & reipſa moverent, ſi ſola attenderentur; ſed à gravioribus ſimul apparentibus impediri debent, ne moveant ſapientem ad aſſenſum libertati minùs probabili præſtandum; idque ex lege morali prudentiæ, quæ poſtulat, ne majori probabilitati minor præferatur. Alteram ſimilitudinem duco ex Competitoribus inæqualis meriti aut ad Beneficium, aut ad Cathedram vacantem aſpirantibus. Sit uterque Beneficio; aut Cathedrâ dignus; ſed unus dignior altero: qui minùs dignus eſt, non perdit propriè meritum ſuum, ſed per meritum dignioris impeditur, ne Beneficium, aut Cathedram obtineat; obtenturus fortè & quidem legitimè, ſi cum digniore non concurreret: nimirùm cùm ex lege concursûs debeatur Cathedra digniori, nonniſi illegitimè donaretur minùs digno, eidem donanda legitimè extra concurſum dignioris, Dico ergo ſimiliter, in concurſu minoris probabilitatis cum majore, minorem quæ libertati favet, non tolli quidem per majorem, quæ favet præcepto; ſed impediri ne habeat effectum ſuum ex lege concursûs, quæ prohibet, ne, præcepto probabiliore concurrente, præſtetur aſſenſus libertati minùs probabili, eidem alioqui legitimè præſtandus extra concurſum.

An innocens judicari poſſit & debeat is cujus innocentia eſt minus probabilis quā malitia.

Inſtabis 4. In dubio, ſit ne homo nocens, an innocens, ubi minor eſt probabilitas innocentiæ, poteſt & debet innocens judicari, potiùs quàm nocens. Ergo in dubio ſit ne lex an libertas à lege, poteſt & debet homo judicari liber à lege potiùs quàm lege obligatus. Antecedens eſt ipſa doctrina S. Thomæ: Ratio doctrinæ ſatis patet: quia ſcilicèt nec poteſt, nec debet homo judicari nocens, quandiu nocens eſſe non convincitur: non convincitur autem eſſe nocens, quandiu eſt ejus innocentia probabilis; nequit enim ſtare convictio unius partis cum probabilitate alterius: Conſequentia verò videtur manifeſta, propter paritatem rationis. Reſpondeo, quod ſupra reſponſum fuit, ex doctrinâ S. Thomæ. Dubia de rebus non eodem modo determinanda eſſe, quo dubia de perſonis: nam dubia de perſonis, juxta regulam auream charitatis, in meliorem partem determinanda ſunt, ne, ſi fortè in deteriorem acciperentur, fieret injuria proximo, quæ cavenda eſt diligentiùs quàm error aliquis favorabilis de proximi innocentiâ: quare præſtat ſubire periculum majus errandi favorabiliter, quàm periculum minus injuriam faciendi. Nimirùm ubi duę iſtæ leges concurrunt, una de vitando errore favorabili, altera de injuriâ non faciendâ, præferri debet lex charitatis, & juſtitiæ, quæ potior eſt. Dicamus rem meliùs & accuratiùs: ubi periculum eſt, aut errandi favorabiliter, aut injuriam faciendi proximo; lex eſt de ſubeundo periculo erroris favorabilis, ſi caveri aliter injuria non poſſit.

Ad

Ad quam legem charitatis & justitiæ intendens S. Thomas 2ª. 2æ. Quæst. 60. Art. 4. ad 1. solidè decidit, meliùs esse, seu minus malum, quòd aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de malo aliquo homine, quàm quòd rariùs fallatur habens malam opinionem de homine bono; quia ex hoc injuria fit alicui; non autem ex primo. Sed dubia de rebus determinanda sunt secundùm majorem, aut minorem veri apparentiam; quia in ejusmodi dubiis urget lex de errore vitando; neque per aliam legem prævalentem impeditur: quare in iis judicari debet res, secundùm majorem apparentiam veri; ita ut sine aliquâ imprudentiâ judicari non possit secundùm minorem. Undè sequitur, in dubio sit-ne lex, an libertas à lege, judicari non posse libertatem minùs probabilem, in concursu legis probabilioris; imò nec fortè legem minùs probabilem judicari posse in concursu libertatis probabilioris; quia ex lege veri sequendi, & cavendi erroris, major veri apparentia minori præferenda est, nisi ab eâ lege alia quædam prævalens & superior lex absolvat, quod infra examinabitur: hìc nobis satis erit, obiter duo aut tria advertere.

Primum est. In dubio de personis esse aliquando probabilitatem malitiæ tantam, quæ probabilitatem innocentiæ planè destruat. In quâ hypothesi potest quis etiam privatus determinare dubium in partem deteriorem, & malitiam hominis judicare: ita nimirùm judicari solet in foro publico; nec quidquam obstat, quin similiter judicetur in foro privato; neque enim fit injuria proximo, quòd judicetur malus, ubi malus esse convincitur. Sed ita potest judicari malus ex majore illâ malitiæ probabilitate, ut nihil tamen necesse sit judicari positivè malum; quia potest respectu illius judicium omne suspendi, ex quâdam abundantiâ & perfectione charitatis, *malum non cogitantis*; nam eâ suspensione satisfit legi de cavendo errore. Cum enim error sit quoddam judicium, ibi non erratur, ubi judicium omne suspenditur. Neque istiusmodi suspensio repugnat legi de sequendâ majore veri apparentiâ: quia ea lex non obligat ad judicandum absolutè & positivè secundum majorem veri apparentiam; sed ad summum obligat, ne minor apparentia majori præferatur: non præfertur autem minor apparentia majori, ubi secundùm apparentiam minorem non judicatur. Adde, quòd actus ille voluntatis, quo quis abstinet à judicandâ malitiâ proximi, quantumvis probabiliore, ex perfectione charitatis judicium omne suspendens, majus est aliquod bonum, quam actus verus, quo judicaretur malitia probabilior. Neque tamen hinc putes, ad majorem perfectionem charitatis pertinere, ut positivè judicetur bonus esse, contra quem stat convictio malitiæ. Perfectio enim charitatis postulat solùm, ne positivè judicetur malus. Sed Deo scrutatori cordium judicandus relinquatur. Judicium ergo, quo bonus esse judicaretur, qui malus esse convincitur, non perfectæ charitatis esset, sed imprudentis simplicitatis.

Alterum. Si major quędam sit innocentiæ probabilitas, quàm criminis, non modò potest, sed etiam debet innocentia positivè judicari: neque enim tunc licet suspendere judicium; quia illa judicii suspensio est

quædam hæſitatio injurioſa proximo habenti verum aliquod jus, ne dubitetur de innocentiâ ſuâ, quandiu magis probabilis eſt. Sed aliud planè obtinet in judicio de rebus, in quo poteſt quis, non obſtante majore probabilitate unius partis, judicium omne ſuſpendere; quia nec lege charitatis, aut juſtitiæ; nec lege veritatis tenetur ad aliquam partem judicandam; ſatis enim ipsâ judicii ſuſpenſione cavetur error, & quidem ſecuriùs, quam determinatione partis probabilioris. Nam errare non poteſt ſuſpendens omne judicium. Poteſt autem errare partem probabiliorem judicans. Quòd ſi judicium ſuum determinare quis velit in unam partem ex duabus inæqualiter probabilibus, determinare profectò debet in favorem partis probabilioris, idque ex lege ſequendæ veritatis; quæ lex obligat, in dubio de rebus, ne minor veriſimilitudo majori præferatur.

Tertium eſt. Ubi minor apparet innocentiæ probabilitas, impediens convictionem criminis, judicari quidem poteſt innocentia, etiam poſitivè, ſed citra obligationem judicandi; quia nihil vetat retineri ſtatum dubii & ſuſpenſionis: neque enim hæſitatio illa dici poteſt injurioſa proximo, ubi ſe offert cauſa rationabilis hęſitandi, cujuſmodi profectò eſt, quando probabilius eſt crimen, quàm innocentia: in quo tamen caſu ſi exponeretur hæſitans, per illam ſuam ſuſpenſionem, periculo evidenti determinandi ſe in partem deteriorem, teneretur idem tollere ſe de ſtatu dubii, & judicare in favorem innocentiæ; quia minus malum eſt exponere ſe periculo errandi, quàm periculo injuriæ proximo faciendæ: lex enim de injuriâ proximo non faciendâ prævalet legi de cavendo errore. Hæc obiter notare volui ad illuſtrandam Doctoris Angelici mentem circa interpretationem dubiorum, tam de perſonis, quàm de rebus, & verum utrorumque diſcrimen explicandum.

CAPUT QUINTUM.

ARGUMENTATIO QUINTA.

Ex ſenſu & guſtu Eccleſiæ.

Argumentum ex ſenſu Eccleſiæ penes quã eſt perfecta moralium legum intelligentia.

ECcleſia, beatus ille grex, cui dedit Dominus de paſcuis judicare, quamvis & unitatem, & univerſalitatem, & perpetuitatem habeat, eademque moraliter quocumque tempore conſideretur, phyſicè tamen diverſa eſt, pro temporum diverſitate. Nam alia eſt ſecundum quid Eccleſia Antiqua, ſeu temporum antecedentium; alia Nova, ſeu noſtrorum ferè temporum. Utriuſque autem Eccleſiæ, ſeu Antiquæ, ſeu Novæ, ſenſum & guſtum ſupereſt ut inveſtigemus, ad plenum perfectumque præſentis Quæſtionis examen. Cùm enim Eccleſia veram habeat ideam Dei, & perfectionum divinarum: primas prudentiæ regulas apprimè calleat & ſequatur: veræ Scripturæ, & divinæ Traditionis legitima ſit interpres:

ſacram Canonum diſciplinam, quam ipſa condidit & diſpoſuit, optimè intelligat. Doctrina noſtra tota, quam ſupra tradidimus, & omnis noſtra argumentatio, quamcumque fecimus, ſatiſne proba & ſolida ſit, an infirma & falſa, placet ad ſenſum & guſtum Eccleſiæ, ſeu antiquæ, ſeu novæ, appellare.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM,

Diverſæ ætates Eccleſiæ.

Ex ſenſu & guſtu Eccleſiæ antiquæ, ſeu antecedentium temporum.

ECcleſia antiqua, ſeu antecedentium temporum diſtribui poteſt & debet in diverſas ætates, quò diſtinctiùs explorari poſſit ſenſus illius guſtuſque. 1. Igitur ætas ſit à temporibus Apoſtolorum ad Concilium uſque generale & œcumenicum Primum, quod eſt Nicænum Magnum. 2. A Concilio Nicæno Magno, uſque ad Concilium generale Quartum, quod eſt Chalcedonenſe. 3. A Concilio Chalcedonenſi ad Concilium uſque Conſtantinopolitanum Quartum, quod eſt generale Octavum. 4. A Concilio generali Octavo, uſque ad Concilium Lateranenſe Quartum ſub Innocentio III. 5. A Concilio Lateranenſi Quarto, uſque ad Tridentinum. Nam Eccleſia nova, ſeu noſtrorum temporum numerari poteſt à Tridentino, uſque in diem hodiernam. Eccleſia verò, in quâcumque ætate conſideretur, intelligi poteſt habere ſtatum triplicem: ſtatum congregationis; ſtatum diffuſionis; & ſtatum adunationis. Status congregationis eſt, ſtatus Eccleſiæ in Concilio congregatæ, & per Concilium repræſentatæ. Status diffuſionis eſt, ſtatus Eccleſiæ per orbem diffuſæ & non congregatæ. Status adunationis, eſt ſtatus Eccleſiæ in Capite ſuo ſummo Pontifice adunatæ, & per Pontificem repræſentatæ. Quicumque verò ſit aut fuerit ſtatus Eccleſiæ, utilis eſſe poteſt ad explorandum illius ſenſum & guſtum de dogmate aliquo controverſo. Nam 1. ſi Concilium generale legitimum, aut etiam particulare, ab Eccleſiâ receptum dogmatis veritatem definierit, aut declaraverit; in ipsâ definitione, aut declaratione Concilii habetur totius Eccleſiæ ſenſus. 2. Si extra Concilium præcipui Eccleſiæ Paſtores & Doctores dogma tradiderint audiente Eccleſiâ & non contradicente; ſi chriſtiana plebs dogma crediderit, aut uſu receperit; ejuſmodi dogma à Paſtoribus & Doctoribus pacificè traditum, & à Fidelibus receptum, rationabiliter creditur ſenſui & guſtui Eccleſiæ congruere. 3. Si ſummi Pontifices dogma propoſuerint Eccleſiæ per orbem diffuſæ, deciſionem Pontificiam reverenter acceptanti & recipienti, jam ſenſus Pontificius haberi poteſt pro ſenſu Eccleſiæ in Capite adunatæ & Capiti ſuo cohærenti. Hæc diligenter notare oportuit ut ſenſum & guſtum Eccleſiæ per ſingulas ætates de veritate quam quærimus certò exploremus.

Triplex Eccleſiæ ſtatus. Congregationis, diffuſionis, & adunationis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Sensus Ecclesiæ primæ ætatis.

De sensu Ecclesiæ primæ ætatis.

ECclesia primæ ætatis à temporibus Apostolorum ad Concilium usque Nicænum Magnum videtur agnovisse obligationem sequendi partem probabiliorem legi faventem.

1. Ex silentio circa probabilismum.

Colligitur autem 1. Ex alto illo silentio primæ ætatis circa istam de Probabilismo controversiam, cujus-ne vestigium quidem ullum apparet, aut rumor ullus in primis illis Ecclesiæ sæculis; quod silentium indicare videtur, doctrinam de obligatione sequendi partem probabiliorem legi faventem fuisse apud Fideles in pacificâ quadam, & imperturbatâ possessione. Nam in eâ ætate satis longâ, tercentum ferè annorum, in quâ tam multa fuere controversa, dubitari non potest, quin frequenter contigerit legis probabilioris cum libertate minùs probabili concursus: neque tamen reperitur quisquam in Ecclesiâ docuisse, licere sequi libertatem minùs probabilem, contra legem probabiliorem: ergo præsumendum est, neminem ita in Ecclesiâ docuisse. Nam si fortè quis talis doctrinæ author, vel defensor prodiisset; quis credat, viros Apostolicorum temporum, & primos Fideles legis observantissimos, nihil fuisse contradicturos; cùm nostris ipsis temporibus, videamus contra istiusmodi dogma à magnis Ecclesiæ Doctoribus reclamari, audiente Ecclesiâ, & clamores istos non improbante. Rationabilis igitur præsumptio est, benigni Probabilismi doctrinam primis Fidelibus fuisse inauditam, ac proindè non pertinere ad eam doctrinam, quam Christus docuit, & tradiderunt Apostoli, præcepto Domini obedientes, & docentes *servare omnia, quæcumque ipse mandasset.* Nimirùm in primâ illâ & aureâ ætate, quando & major erat lux divinarum Traditionum & major Fidelium diligentia, in iis non modò sincerè excipiendis, sed etiam fideliter custodiendis, nemo dubitabat de obligatione servandi leges probabiliores, seu exequendi quidquid à Deo præceptum esse probabilius appareret.

2. Ex principiis Patrum antiquiorum.

Colligitur 2. Ex quibusdam principiis generalibus, quæ Patres primæ illius ætatis perpetuò Fidelibus inculcabant. Unum Principium fuit, vanam & sophisticam Philosophiam esse fugiendam. Nam *quid Athenis & Hierosolymis?* Exclamabat Tertullianus, tunc probè Catholicus, *quid Academiæ & Ecclesiæ? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate quærendum.* Timebat Tertullianus, ne Academia misceretur Ecclesiæ: nam in simplicitate Dominus quærendus est. At vero qui minorem probabilitatem sequitur libertati faventem contra legem probabiliorem, jam nec Dominum, nec legem Domini simpliciter quærit, sed aliud quidpiam à lege, aliud à Domino; libertatem nimirum suam, non legem Domini, quippe quam, etsi probabiliorem, libertati suæ minùs probabili postponit. Alterum Principium est. In inquisitione & determinatione legis divinæ, non verisimilitudinem sectandam esse, sed veritatem. Quod Principium S. Cle-

Tertulliani

mentis est, aut certè dignum Clemente, tanto Petri Discipulo & successore: sed ei Principio non congruit doctrina libertati favens quæ in inquisitione & determinatione legis, jam non veritate ducitur, sed verisimilitudine: nam si veritate duceretur, eò tenderet determinatione suâ, quò trahit major & solidior apparentia veritatis. Sed ipsum Clementem audiamus, aut quicumque ille est, quem Ecclesia reverenter audit, nomine Clementis insignitum. Sic autem ille in Capite *Relatum*. Distinctione 37. *Relatum*, inquit, *nobis est, quòd quidam, in vestris partibus commorantes, adversantur sacris doctrinis, & prout eis videtur, non secundùm Traditionem Patrum, sed juxta sensum suum docere videntur: multas enim quidam, ut audivimus, vestrarum partium ingeniosi homines, ex iis quæ leguntur, verisimilitudines capiunt: & ideò diligenter observandum est, ut lex Dei, cùm legitur, non secundùm propriam ingenii virtutem, vel intelligentiam legatur, vel doceatur: sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpserit: sed non oportet: non enim sensum extrinsecus alienum & extraneum debetis quærere, ut quoquo modo ipsum ex Scripturarum authoritate confirmetis, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis oportet.* In quo Textu, ut vides, declarat primùm Clemens, delatas ad se querelas de nonnullis, qui quod sibi videretur docerent, non quod scriptum foret, aut traditum; verisimilitudinem amantes, non veritatem. Id verò negat debere fieri. Deindè ad inquisitionem & determinationem legis, non tam proprias humani ingenii ratiocinationes adhiberi oportere, quàm sensum & traditionem Patrum. Tum cavendum monet, ne ad divinæ legis intelligentiam aliquid præjudicati, aut voluntarii afferatur, sed veritatis sensus in Scripturis sincerè quæratur. Denique ubi dubius est Scripturæ & Traditionis sensus, ad Pontificem recurrendum esse, veluti custodem traditæ, & sibi depositæ veritatis. Et ideò oportet, inquit, scientiam ab eo discere Scripturarum, qui eam à majoribus secundùm veritatem sibi traditam servat, ut & ipse possit eam, quam rectè susceperit, competenter asserere. Tertium principium est. Christianæ simplicitatis & religionis esse, fugere diligenter errorem, & sectari unicè veritatem: cui principio non cohæret licentia sequendi libertatem minùs probabilem, contra legem probabiliorem: nam qui deserit majorem probabilitatem legi faventem, ut sequatur minorem faventem libertati, profectò nec errorem fugit diligenter, nec sectatur unicè veritatem. Principium autem tradit Cyprianus, primæ illius ætatis magnum decus. *In compendio est*, inquit, *apud religiosas mentes & simplices, & errorem deponere, & invenire atque eruere veritatem.* Nec principium tradidisse contentus, viam aperit regiam, quâ & ad deponendum errorem, & ad veritatem inveniendam, atque eruendam perveniatur. *Nam si*, inquit, *ad divinæ Traditionis originem & caput itur, cessat error humanus, & sacramentorum cœlestium ratione perspectâ quidquid sub caligine, ac nube tenebrarum latebat, luce veritatis aperitur.* Quam viam quicumque inire negligunt, aut detrectant, nec deponere errorem, nec invenire, aut eruere veritatem satis volunt. Nam si quæramus, quid Christus Dominus, caput & origo divinæ Traditionis, Apostolis tradiderit; quid

Sancti Clementis, in cap. *Relatum.*

S. Cypriani.

Apoſtoli docuerint; quid Diſcipuli Apoſtolorum ſenſerint; quid exiſtimaverint Patres ab his eruditi; ac denique priſcorum ſæculorum ſenſum de uſu benigni Probabiliſmi inveſtigemus, inveniemus, Chriſtum Dominum Apoſtolis mandata ſua dediſſe, iiſdemque præcepiſſe, ut docerent Diſcipulos ſuos ſervare omnia, quæcumque ipſe mandaſſet; Apoſtolos vero prædicaſſe ubique, & docuiſſe fideliter obſervationem omnium mandatorum Chriſti: nullibi autem excepiſſe ab obſervatione mandata probabiliora, in concurſu libertatis minùs probabilis: ergo ejuſmodi exceptio non videtur à nobis facienda: nam ei ſolùm competit à lege excipere, cui competit legem ferre: quod autem Chriſtus mandata probabiliora non exceperit, patet; tum quia præſumi non debet ea exceptio, niſi probetur poſitivè, non probatur autem; tum quia ſi Chriſtus talem exceptionem feciſſet, tradidiſſet Apoſtolis; Apoſtoli Diſcipulos ſuos docuiſſent; Diſcipuli Apoſtolorum communicaſſent Patribus; Patres ſuis Eccleſiis ſignificaſſent; Eccleſia univerſis Fidelibus declaraſſet, ne Fideles relinqueret implicatos multiplici obligatione legum, quas ipſe Chriſtus imponere noluiſſet: atqui nihil tale factum videmus.

Objicies. Silentium primæ ætatis de iſtâ controverſiâ argumentum eſt ſatis æquivocum; nec minùs favet licentiæ ſequendi partem minùs probabilem libertati faventem, quàm obligationi ſequendi partem probabiliorem faventem legi. Nam incredibile eſt, non fuiſſe neglectas leges probabiliores, in eâ ætate, in quâ certum eſt, leges etiam manifeſtas fuiſſe violatas. Eſt item incredibile, non fuiſſe Doctores in eâ ætate libertati minùs probabili faventes. Nuſquàm tamen leguntur Patres reprehendiſſe Fideles ſuos, quòd libertatem minùs probabilem ſequerentur: nuſquàm leguntur clamaſſe contra Doctores illos quòd docerent ita licere: Ergo Probabiliſmum, & uſum Probabiliſmi pro licito & legitimo habuerunt; reprehenſuri, ſi pro illicito & illegitimo habuiſſent. Reſpondeo. Silentium primæ ætatis totum favet obligationi ſequendi partem probabiliorem legi faventem, contra libertatem minùs probabilem. Nam fateor quidem, fuiſſe in primâ illa ætate, etiam inter Fideles, aliquos non ſatis acuratos obſervatores legum, etiam manifeſtarum; eoſdemque ſine dubio legum probabiliorum tranſgreſſores: ſed iſtiuſmodi negligentiam, & contemptum legum non ferebant Patres, aut diſſimulabant; vehementer inculcantes obſervationem legis totius. In obſervatione autem totius legis comprehendebant leges probabiliores, & libertatem eas tranſgrediendi, Diſciplinæ laxitatem interpretabantur; niſi fortè interdum tranſgreſſionem excuſarent eo nomine, quòd leges reipſa probabiliores tranſgreſſoribus apparerent minùs probabiles; in quâ hypotheſi poterat eſſe legitima quædam excuſatio. Nego tamen omninò fuiſſe in eâ ætate Fideles qui docerent licitam eſſe tranſgreſſionem legum probabiliorum, etiam iis quibus apparent probabiliores. Ratio negandi duplex eſt. Prima. Quia nullo argumento ſatis probatur fuiſſe Doctores ejuſmodi. Timuerunt quidem Patres Dogma olim venturum, timorem ſuum indicarunt, & ſolidis ſuis morum principiis, quantùm in ipſis fuit, avertere conati ſunt; ſed nuſquàm, ſub ortum ſuis temporibus tale Dogma, vel

leviter insinuarunt. Altera ratio est. Quia si tale Dogma prodiisset, aliqui saltem primorum temporum Patres ei pro suo zelo contradixissent, uti contradicunt Doctores aliqui nostrorum temporum. Contradictionis autem Patrum in primâ illâ ætate nullum vestigium est; quod Patrum silentium clamosum est, & vehementem suspicionem movet de Dogmate, priscis temporibus inaudito. Contra verò credibile omninò est, non defuisse in primâ illâ ætate plerosque Doctores, qui apertè declararent obligationem sequendæ legis probabilioris in concursu libertatis minùs probabilis; contra quos tamen nusquàm Ecclesia reclamavit, reclamatura, si vidisset, novum onus imponi Fidelibus, quod Christus non imposuisset. Reclamavit enim contra Judaïzantes, & onus legis Mosaïcæ, quo Christus nos liberavit, iterum invehentes. Reclamavit contra Montanistas, nova Paracleti sui jejunia inducere volentes. Reclamavit contra Novatianos, lapsis verè pœnitentibus reconciliationem negantes. Quidni ergo pariter reclamasset contra Doctores ad observationem legum probabiliorum obligantes? Non reclamavit autem, & ideò non reclamavit, quia credebat eam obligationem esse à Christo & Apostolis traditam.

Instabis. Ipsi Patres & Magni Viri primæ illius ætatis cujusmodi erant Agrippinus Carthaginensis Episcopus, Firmilianus Cæsaræ in Cappadociâ Primas, Cyprianus Ecclesiæ Doctor, & Martyr egregius, sequebantur partem minùs probabilem, rebaptizando, quos Hæretici baptizassent, & docendo rebaptizandos esse; quod erat sine dubio minùs probabile: ergo in primâ illâ ætate irreprehensibilis erat, non modò usus, sed etiam Doctrina minoris probabilitatis. Neque dici potest, insignes illos viros, ut errarunt in quæstione de Rebaptismo, ita errasse eosdem in quæstione de Probabilismo: nam Stephanus Pontifex, cui longè probabilius erat, non esse rebaptizandos, qui ab Hæreticis baptizati ad Ecclesiam venirent, non damnavit tamen, aut reprehendit adversarios suos, quantumvis minùs probabiliter contra sentientes: nam si reprehendisset, ipsâ suâ reprehensione visus fuisset rem definire: definire autem noluit; sed intelligens quantam Sacramenti profunditatem Ecclesia versaret, plenario Concilio definitionem reservavit, & unumquemque in suo sensu abundare permisit, donec fuisset perplexę Quæstionis obscuritas Concilii plenarii examine eliquata. Quod autem fecit Stephanus, fecit & Cyprianus, omnibus relinquens in materiâ utrimque probabili, libertatem sentiendi quod liberet. Ergo primis illis temporibus Stephanus & Cyprianus ita de Rebaptismo dissentiebant, ut convenirent ambo de Prababilismo, agnoscentes in concursu duarum partium probabilium, licere sequi alterutram, seu probabiliorem, seu minùs probabilem. Respondeo 1. Controversia de Rebaptismo Hęreticorum, longè diversa est à controversiâ nostrâ. In primâ duæ leges adversæ concurrere videbantur. Una de Hæreticis rebaptizandis. Altera de non rebaptizandis. Cum enim Cyprianus Baptismum ab Hæreticis datum haberet pro nullo, credebat idem, legem esse de rebaptizandis, seu verè baptizandis, qui non fuerant verè baptizati. Contra verò Stephanus, quòd crederet,

Stephanus, Cyprianus non faverunt probabilismo in suâ de hæreticis rebaptizandis dissentione.

verum esse Baptismum Hæreticorum, credebat consequenter legem esse de non rebaptizandis, seu de vero Baptismo non iterando. Utrimque periculum apparebat violandi aliquam legem. In his autem angustiis ponderanda erat, & gravitas legum concurrentium, & periculi utrimque imminentis magnitudo: nam in æquali periculo legum inæqualium, sine dubio præferenda erat lex gravior minùs gravi; & in periculo inæquali legum inæqualium concurrentium, vitandum erat periculum majus præ minore; quod attendens Stephanus Pontifex sapienter inculcabat: *Nihil innovetur: quod traditum est, servetur.* Quia scilicèt majus periculum videbat esse in inducendâ novitate; quod modicum aut nullum apparebat in traditione observandâ. Sed in præsenti controversiâ nec concurrunt duæ leges adversæ, nec periculum violandi unam concurrit cum periculo violandi alteram: concurrit enim lex probabilior cum libertate minùs probabili; in quo concursu & causa legis probabilioris melior est, causâ libertatis minùs probabilis; & in sequendâ parte libertatis periculum est gravius violandi legem, quod nullum est in sequendâ parte legis. Standum ergo pro lege, pronuntiasset haud dubiè Stephanus; neque Stephano contradixisset Cyprianus. Respondeo 2. Cyprianus, quod erat minùs probabile, fortè irreprehensibiliter sequebatur; quia quod erat in se minùs probabile videbatur ei probabiliùs: fortè etiam aliis contra sentientibus necessitatem non faciebat secum sentiendi; quia præsumebat rationabiliter, alios eam partem sequi, quæ ipsis probabilior videretur. Id verò licere, in confesso erat apud omnes: sed si partem Rebaptismo faventem secutus est Cyprianus, credens eam esse minùs probabilem, reprehensibilis fuit. Reprehensurus ipse Stephanum, si vidisset eum partem Rebaptismo adversam sequi, quàm tamen minùs esse probabilem reputaret. Neque ea de re crediderim controversiam ullam fuisse Stephanum inter & Cyprianum, sed perfectam utriusque consensionem. Non dissimulo tamen, aut nego, quin à Stephano Cyprianus reprehensus sit, & reprehendi potuerit, vel quod decernenti Stephano, ne quis rebaptizaret, & comminanti Excommunicationem, si secus faceret, acquiescere detrectavit; vel quod Pontificem verbis amaris, nec satis modestis, excepit. Quorum tamen peccatorum *veluti nævos in candore sanctæ animæ ubera charitatis contegebant*, ut loquitur Augustinus. Non dissimulo item, quin à Cypriano & Firmiliano reprehensus sit Stephanus, & reprehensioni causam aliquam, vel occasionem dederit; tum propter comminationem Excommunicationis, fortè intempestivam; tum propter repulsam Legatorum Concilii Iconiensis, quos ne audire quidem dignatus est: sed neuter sive Stephanus, sive Cyprianus legitur fuisse reprehensus, quòd partem minùs probabilem sequeretur, relictâ probabiliore; unicuique enim ea quam sequebatur pars videbatur esse probabilior.

PARAGRAPHUS

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De ſenſu Eccleſiæ ſecundæ ætatis.

Eccleſia ſecundæ ætatis à Concilio Magno Nicæno producta uſque ad Concilium Chalcedonenſe incluſivè, videtur agnoviſſe eandem obligationem: cujus rei aliundè, ut creditur, ſatis obſcuræ, duplex tamen nobis occurrit Conjectura non contemnenda.

Senſus Eccleſiæ ſecundæ ætatis.

Prima ex eo duci poteſt; quòd in illâ Eccleſiæ ætate, in quâ fuere celebrata quatuor prima Concilia generalia, eaque tanti nominis, ut Gregorius Magnus cum quatuor Evangeliis comparare non dubitaverit. In illâ ætate, in quâ tot habita ſunt Concilia, ſeu Provincialia, ſeu Nationalia pro emendandis moribus. In illâ ætate, in qua ſederunt tot ſummi Pontifices. Sylveſter, ſub quo celebratum fuit Nicænum Magnum in causâ Arii. Damaſus ſub quo primum Conſtantinopolitanum in causâ Macedonii. Cœleſtinus ſub quo Epheſinum in causâ Neſtorii. Leo Magnus ſub quo Chalcedonenſe in causâ Eutychetis. Innocentius I. ſub quo Milevitanum & Carthaginenſe in causâ Pelagii & Cœleſtii. In illâ ætate eruditâ, in qua floruerunt primarii Eccleſiæ Doctores, ſeu Latini, ſeu Græci, Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, &c. In illâ ætate, in quâ tot exortæ controverſiæ, tot agitatæ Queſtiones, De Conſubſtantialitate Filii cum Patre; de Divinitate Spiritûs ſancti; de unicâ Chriſti perſonâ; de duabus in Chriſto naturis; de Peccato Originali; de Gratiâ Salvatoris; eædemque tam ſapienter & feliciter deciſę. In illâ inquam ætate omnium florentiſſimâ, nulla tamen legitur fuiſſe Controverſia de Probabiliſmo; nullum uſpiam talis Controverſiæ veſtigium apparet; nullus eâ de re Concilii Canon; nullum Decretum Pontificium; nulla apud Eccleſiæ Doctores, ſeu approbatio, ſeu refutatio expreſſa; nulla in immenſis Patrum voluminibus mentio Probabiliſmi, inter Fideles ſeu recepti, ſeu controverſi. Inde enim ſic argui poteſt.

Nullum probabiliſmi veſtigium in illa ætate magnis Conciliis & magnis patribus florentiſſima.

In ætate illâ, ſi qua fuiſſet de Probabiliſmo Controverſia, quis credat, non aliquid exſtiturum ſive in Actis & Canonibus Conciliorum; ſive in Decretis & Reſcriptis Pontificum; ſive in Libris Patrum, in quibus tam multa alia minoris interdùm momenti exſtare videmus. Ergo nulla fuit eâ de re controverſia: ideoque non fuiſſe credenda eſt, quia in eâ ætate obligatio ſtandi pro lege probabiliore tam publica erat, ut videretur ab omnibus & unanimiter nemine contradicente reciperetur. Confirmari poteſt 1. Quia in eâ ætate legimus quidem, commendatam ab Eccleſiæ Doctoribus, & paſſim inculcatam fuiſſe Fidelibus obſervationem totius Legis; ſed nullibi legimus factam fuiſſe exceptionem legis probabilioris, quæ tamen exceptio facienda erat, ſi judicabatur eſſe legitima; ne ſcilicèt imponeretur populo chriſtiano onus grave, quod ei Chriſtus imponi noluiſſet. Confirmari poteſt 2. Præcepiſſe legitur Chriſtus Apoſtolis ſuis, & quidem præcepiſſe generatim, ut docerent gentes ſervare omnia,

quæcumque ipſe mandaſſet; nec dubium eſt, quin Apoſtoli docuerint, quæ, & quomodò Chriſtus docere præcepit. Inter omnia autem quæ Chriſtus Apoſtolis mandavit, & Apoſtoli ſervanda eſſe docuerunt, aliqua erant ſine dubio, quæ prævidebantur apparitura venturis temporibus probabiliora duntaxat, nec omninò certa & evidentia: ea tamen nec Chriſtus nec Apoſtoli à generali obligatione exceperunt.

Dices fortè 1. Eccleſiam ſecundæ ætatis gravioribus controverſiis ita animum applicuiſſe, ut quæſtionem de Probabiliſmo neglexerit quaſi levem. Et ſanè quis eam non levem dixerit ſi comparetur cum illis quæſtionibus, quas ſupra indicavimus, de gratiâ Salvatoris; de Peccato Originis; de duabus in Chriſto naturis in unitate Perſonæ; de Divinitate & Conſubſtantialitate Verbi cum Patre, &c. in quibus ſumma Religionis vertebatur, & commovebatur Orbis univerſus? Sed contra. Eccleſia illius temporis licet ferè tota in graviſſimis controverſiis, nuſquàm tamen Doctrinam morum neglexit; nuſquàm diligentius procuravit. Id quod ſatis apparet ex Canonibus Conciliorum, ſeu Generalium, ſeu Particularium, circa diſciplinam conſtitutis ad minores etiam abuſus tollendos; non diſſimulatura majores, ſi ſerpere alicubi vidiſſet. Apparet item ex monumentis Patrum illius ætatis, Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini, aliorumque, omnia & ſingula Ethicæ chriſtianæ capita accuratè explicantium.

Probabiliſmi in illâ ætate Eccleſiæ eruditâ uſus fuit, dogma non fuit.

Dices 2. Leges probabiliores, etiam in illâ ætate eruditâ negligebantur à Fidelibus, libertatem minus probabilem, prout lubebat ſequentibus; idque, ut videtur, impunè. Neque enim uſpiam leguntur à Patribus eo nomine reprehenſi. Ergo licentia ſequendi libertatem minùs probabilem, ipſis etiam Patribus nihil habere mali videbatur. Sed contra. Quid mirum eſt, fuiſſe identidem neglectas à Fidelibus leges probabiliores, cùm ipſæ etiam leges manifeſtæ interdùm violarentur? Fateor igitur, in ſecundâ illâ ætate, non minùs quàm in primâ fuiſſe aliquem uſum Probabiliſmi: ſed nego omninò, in ætate illâ eruditâ Dogma Probabiliſmi fuiſſe in Eccleſiâ auditum. Nam Fideles ita negligebant leges probabiliores, ut non docerent eſſe negligendas, aut ſine peccato negligi poſſe; excuſantes duntaxat in neglectu illarum infirmitatem ſuam, aut prævaricationem humiliter confitentes. Reprehendebantur ergo Fideles à Patribus de contemptu, aut tranſgreſſione legum, ſeu manifeſtarum, ſeu probabiliorum; nec quiſquam ita reprehenſus, oppoſuiſſe legitur minorem probabilitatem ſuæ libertatis contra legem probabiliorem; talem ſine dubio excuſationem oppoſiturus, ſi legitimam credidiſſet. Commendabant nimirùm Patres Fidelibus accuratam totius legis obſervationem, legem certam à probabiliore non diſtinguentes in ordine ad obligandum; quam diſtinctionem facere debuiſſent, ſi legem probabiliorem in concurſu minùs probabilis inanem judicaſſent.

Dices 3. Quòd nulla fuerit Controverſia de Probabiliſmo, nihil hoc magis favet legi probabiliori contra libertatem minùs probabilem, quàm libertati minùs probabili contra legem probabiliorem. Dici enim poteſt, Controverſiam de Probabiliſmo in ſecundâ Eccleſiæ ætate ideò non

fuisse, quia sententia favens libertati minùs probabili habebatur pro sententiâ catholicâ. Sed contra. Ita non fuit Controversia de Probabilismo, ut apud Fideles audiretur & unanimiter crederetur Traditio Divina & Apostolica de obligatione servandi totam legem, nullâ factâ exceptione legis probabilioris, juxta illud Christi Domini ad Apostolos. *Docete omnes gentes servare omnia, quæcumque mandavi vobis*: Nam exceptio legis probabilioris si facta fuisset, vestigium aliquod talis exceptionis in ætate illâ alicubi appareret. Nullibi autem apparet: undè fit gravis. Conjectura, eruditis illis temporibus viguisse Doctrinam de obligatione servandi legem probabiliorem; Doctrinam verò de licentiâ sequendi libertatem minùs probabilem, ne auditam quidem in Eccesiâ fuisse.

In observatione divinæ legis nulla antiquitus facta exceptio legis minus probabilis.

Altera conjectura ex eo petitur, quòd in illâ secundâ ætate primarii Ecclesiæ Doctores, sive in suis ad populum Homiliis, sive in Libris adversùs Hæreticos, sive in Scripturarum Commentariis & interpretationibus, ea Doctrinæ moralis fundamenta jecerunt, quę videntur omninò favere doctrinæ nostræ, nec minùs apertè contrariæ adversari. Pauca de multis fundamenta subjicio.

Varia à patribus jacta fundamenta antiprobabilismo favent.

Ac primò quidem tale fundamentum est, quod jecit Chrysostomus Hom. 44. in Math. *Non minore curâ & sollicitudine procedendum esse homini in negotio salutis, quàm in negotiis humanis.* Atqui in negotiis humanis eligi solet, præ deteriore, id quod melius est. Nam, Exempli causâ, ubi corpus vestiendum est, præfertur vestimentum melius viliori: ergo in negotio salutis doctrina verior, seu verisimilior præferri debet minùs veræ, seu minùs verisimili. *Annon oportet*, inquit Chrysostomus, *veriorem eligere, plùs quàm vestimentum?*

Chrysostomi.

Dices. Fundamentum Chrysostomi satis videtur congruere Probabilismo. Num in negotiis humanis satis prudens est, qui eligit quod est bonum, relicto etiam meliore? Neque enim obligat lex prudentiæ, ad eligendum semper id quod est optimum. Atqui in Probabilismo sequitur operans partem libertatis, quæ bona est & rationabilis, relictâ parte legis meliore & magis rationabili. Ergo satis prudens est; futurus quidem fortè prudentior, si partem legis meliorem & magis rationabilem sequeretur; sed non continuò dicendus imprudens, eo præcisè quòd sequatur partem libertatis, dummodò certò constet, eam partem bonam esse, & rationabilem. Sed contra. In electione de quâ agimus, non bonum minùs cum bono meliore, sed malum cum bono concurrit: nam pars libertatis quæ dicitur minùs bona, quia minùs probabilis est, mala simpliciter dicenda est, & satis certò mala, eo ipso quòd probabilius est malam esse. In negotiis quidem humanis, quando concurrit minus bonum cum bono meliorè, potest quis sine notâ imprudentiæ relinquere, quod melius est, & bono minore quandoque contentus esse: sed ubi bonum cum malo concurrit, jam nonnisi imprudenter malum præ bono eligitur. Nam quis nisi imprudens nummum oblatum, quem probabilius est adulterinum esse, ultrò accipiat, prę nummo notoriè probo? Quis sine imprudentiâ, ex duobus cibis appositis eum sumat, quem probabilius est, esse venenatum & mortiferum, dimisso altero notoriè salutari?

Atqui certum eſt partem legis probabiliorem probam eſſe & ſalutarem, quam qui ſequitur, certus eſt ſe non peccare, ſed Deo placere: partem verò libertatis minùs probabilis probabilius eſt falſam eſſe, quam qui ſequitur probabilius eſt facere rem à Deo prohibitam, & legem Dei violare: ergo videtur imprudens eſſe, qui, relictâ parte legis probabiliore, ſequitur partem libertatis.

Baſilii. Secundò. Tale item eſt illud, quod ſtatuit Baſilius Magnus, in illum Pſalmi 61. verſiculum. *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Pro examine ſcilicèt boni & mali adhibendam eſſe ſtateram juſtam & fidelem, qualis adhibetur ad examen metallorum auri vel argenti: non eſt autem ſtatera juſta & fidelis, in quâ quod levius eſt, graviori præponderat. Opinio autem minus probabilis libertati favens præponderat opinioni probabiliori, ſtanti pro lege. Ac proindè legi divinæ graviori præponderat libertas humana, quæ levior eſt. *Nam*, inquit Baſilius, *corporea pondera in Libræ lancibus comprobamus; quæ vero ad inſtitutionem vitæ eligenda veniunt, per liberum arbitrium, ratione ſcilicèt regulatum, diſcernimus.* Non videtur autem liberum arbitrium ſatis eſſe ratione regulatum, quoties in id quod minùs apparet bonum, minuſque probabile inclinatur, relicto meliore & probabiliore.

Dices. Fundamento Baſilii ſatis cohæret Probabiliſmus, ſiquidem in Probabiliſmo liberum arbitrium, ſtatera homini data ad diſcretionem boni & mali, videtur ſatis ratione regulatum, eo ipſo quòd in partem libertatis nonniſi bonâ aliquâ & gravi ratione inclinatur. Sed contra. Statera juſta & fidelis dici non debet, in quâ præponderat graviori, quod levius eſt. Libertas autem minùs probabilis eſt quid levius, reſpectu legis probabilioris: ergo liberum arbitrium in quo libertas minùs probabilis legi probabiliori præponderat, dici non debet ſtatera juſta & fidelis, ſed potius injuſta & infidelis, quippe quæ ratione minùs quam voluntate,

L. 2. de Bapt. c. 6. dirigitur: *Non afferamus*, inquit Auguſtinus, *ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quo modo volumus; pro arbitrio noſtro docentes, hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, tanquàm de theſauris dominicis; & in illâ quid ſit gravius, quid levius appendamus, aut potiùs à Domino appenſa recognoſcamus.*

C. 3. Tale denique fundamentum eſt, quod ponit Auguſtinus, l. 1. De Baptiſmo contra Donatiſtas. Scilicèt hominem in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus vel eo ſolo peccare, quòd certis incerta præponat: atqui in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, Probabiliſmum ſequens certis incerta præponit: partem enim libertatis incertam & minùs probabilem præponit parti legis probabiliori & moraliter certæ: ergo peccare dicendus eſt, ſi ſolidum eſt Auguſtini fundamentum, quod planè ita ſolidum putabat S. Doctor, ut eo ſolo nixus reprehenderet communionem cum Donatiſtis, quam nonnulli excuſabant eo titulo, quòd non conſtaret eſſe illicitam.

Auguſtini Principium contra Donatiſtas eſt ipſum antiprobabiliſmi principium.

C. 5. *Accipere*, inquit, *in parte Donati ſi incertum eſt, eſſe peccatum; quis dubitet eſſe peccatum non ibi accipere, ubi certum eſt, non eſſe peccatum?* Ergo fundamentum Auguſtini, Donatiſmum reprehendentis, eſt ipſummet fundamentum Antiprobabiliſmi, reprehendentis Probabi-

lismum eo titulo, quòd certis incerta præponat; accipiens in parte libertatis minùs probabilis, ubi incertum est, esse peccatum; & non accipiens in parte legis probabilioris, ubi certum est, nullum esse peccatum.

Dices. Supra fundamentum Augustini æquè stare potest Probabilismus, ut Antiprobabilismus: agnoscunt enim veri Probabilistæ, non licere operari, nisi habeatur certitudo licentiæ operationis; & contendunt iidem, certam esse operandi licentiam, eo ipso quòd non est certa lex prohibens operari. Non est autem certa lex prohibens operari, quandiu probabile est legem non esse: est autem probabile legem non esse, quandiu probabilis est libertas à lege. Sed contra 1. Peccat ex Augustino, quicumque certis incerta præponit, in rebus ad salutem animæ pertinentibus. Sed quicumque judicando sequitur minorem probabilitatem libertati faventem, certis incerta præponit: præponit enim libertatem minùs probabilem & incertam legi probabiliori, ac proindè moraliter certæ. Nam probabilitas notabiliter & sensibiliter major, moralis quædam certitudo est. Contra 2. Peccat ex Augustino, quicumque aliquid facit, quod incertum est, an sit peccatum, necne. Atqui sequens in operando probabilitatem minorem libertati faventem, facit aliquid quod incertum est an sit peccatum, necne; siquidem facit quod incertum est, an sit prohibitum; prohibitum autem confundit Augustinus cum peccato, scilicèt materiali: ergo ex sensu Augustini peccat operando secundùm libertatem minùs probabilem. Contra 3. Secundùm Augustinum peccat, & certò peccat, quicumque in eâ parte accipit, ubi incertum est esse peccatum, & non in eâ potius parte, ubi certum est, nullum esse peccatum: atqui Probabilista accipit in parte libertatis, ubi incertum est esse peccatum; & non accipit in parte legis probabilioris, ubi certum est nullum peccatum esse. Stet igitur, Probabilismum ædificari non posse supra fundamentum Augustini; sed ipsum Augustini fundamentum Probabilismo ferè everti. Nam quæ fingitur subtilitas, ad Probabilismum Augustini fundamento utcumque aptandum, vanitate lucet, sed frangitur veritate; siquidem si certa est licentia operandi eo ipso quòd non est certa lex prohibens operari, jam certa erit operandi licentia eo ipso quòd incertum erit, aliquid esse peccatum. Neque enim potest esse certa lex prohibens aliquid, & simul incertum esse peccatum id quod per legem certò prohibetur. Quod si ita est, ruit omninò fundamentum Augustini contra Donatistas. Nam si accipere in parte Donati incertum est esse peccatum, certa non est lex prohibens accipere in parte Donati: atqui ubi certa non est lex prohibens operari, certa est licentia operandi, ut Probabilistæ contendunt: ergo si incertum est esse peccatum accipere in parte Donati, jam certa est licentia accipiendi in parte Donati; quæ conclusio apertè pugnat cum Augustinianâ conclusione. Undè sequitur, Probabilismum fundamento Augustini tam bellè coaptari, ut vel ipsum Augustini fundamentum convellat, aut ut meliùs dicam, ab ipso Augustini fundamento reluctante & contranitente excutiatur. Nimirùm Augustinus duo certa habuit, Proba-

Hoc probabilistarū principiū, *Certa est licentia operandi eo ipso quod non est certa lex prohibens operari*, stare non potest, cum doctrina Augustini.

bilismi placitis contradictoria. Primum quidem. Ex quo incertum est esse peccatum accipere in parte Donati, vi legis directæ prohibentis accipere in eâ parte (quæ lex prohibens supponitur esse incerta) ex hoc, certam esse legem reflexam quæ prohibet accipere in parte Donati; legem scilicèt de non subeundo temerè periculo violandæ legis incertæ. Alterum verò. Ex quo incertum est esse peccatum accipere in parte Donati, & simul certum non esse peccatum accipere in parte oppositâ; ex hoc esse legem certam & indubitatam de non accipiendo in parte Donati; legem scilicèt de parte incertâ parti certæ non præponendâ. Sed quàm malè aptatur Probabilismo istud Augustini fundamentum, tam bene cohæret regulæ illi Augustinianæ de Scripturarum delectu; quam regulam supra demonstravimus ad delectum quoque opinionum moralium esse transferendam. Nec minùs bene cohæret idem Augustini principium, traditis olim ab Augustino principiis contra Academicos; quibus principiis S. Doctor non modò veterem Academicorum Probabilismum, sed etiam hodiernum videri potest radicitus extirpasse. Supradicta verò illa morum fundamenta ita jaciebant memorati Ecclesiæ Doctores, Chrysostomus, Basilius, Augustinus, ut aliorum Doctorum neminem, neminem Fidelium contradicentem haberent.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De sensu tertiæ ætatis Ecclesiæ.

Sensus Ecclesiæ tertiæ ætatis.

Ecclesia tertiæ ætatis à Concilio Chalcedonensi ad Concilium Constantinopolitanum Quartum inclusivè, per annos fere quadringentos protensa, videtur agnovisse obligationem sequendi probabilitatem majorem legi faventem, in concursu probabilitatis minoris faventis libertati. Rem credibilem facient, si non evidentem, vehementes aliquot conjecturæ.

Prima Conjectura. Conformitas hujus ætatis cum prioribus in re morali.

Prima Conjectura duci potest ex conformitate tertiæ ætatis cum duabus prioribus: neque enim præsumenda est tertia ætas aliud sensisse circa regulam morum, quàm quod senserunt duæ priores ætates: senserunt autem duæ priores ætates esse obligationem sequendi majorem probabilitatem legi faventē: erog & idem sensisse tertia ætas credenda est. Minorem Propositionem jam satis superque ostendimus: Majorem verò nemo sapiens negaverit; quia præsumi non debet dissensisse, nisi probetur dissensus: nullum autem est dissensus istius vestigium. Confirmatur ex Concilio generali Quinto, quod est Constantinopolitanum secundum, ad tertiam ætatem pertinens. Nam hujus Concilii Patres Collatione tertiâ profitentur, se per omnia sentire cum Patribus priorum ætatum antecessoribus suis, in quorum satis longa serie numerant Joannem Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, aliosque, quos stare vidimus pro lege probabiliore contra libertatem minùs probabilem.

Professio quintæ Sy-

Dices 1. Quinta Synodus professionem illam suam de sequendis Patribus priorum ætatum, limitavit ad ea solùm dogmata quæ secundùm

Scripturam, Traditionem, & Definitionem Conciliorum; venerabiles illi antecessores tenuissent; cujusmodi profectò non erat obligatio servandi leges probabiliores in concursu libertatis minùs probabilis. Sed contra. Esto, sancta Synodus professionem suam limitaverit; ea tamen limitatio non evertit conjecturam nostram: sciebat enim sancta Synodus, quando ita profitebatur, obligationem totius legis christianæ in Scripturâ expressam, ab Apostolis traditam, in Conciliis generalibus approbatam, & in universâ Ecclesiâ receptam, ac proindè à Patribus antecessoribus agnitam, quos sciebat in summâ legis obligantis comprehendisse leges probabiliores; nec respexisse unquàm libertatem minùs probabilem: ergo professio sanctæ Synodi de sequendis Patribus antecessoribus extendebat se, si non explicitè & distinctè, saltem implicitè & confusè ad dogma obligationis legum probabiliorum, nihil obstante libertate minùs probabili.

nodi de sequendis patribus antecessor bus extendit se saltem confusè addogma omniũ legum probabiliorum observandarum.

Dices 2. sancta Synodus in suâ illa professione de sequendis priorum ætatum Patribus, quos enumerat, præstituit sibi pro regulâ sensum unanimem omnium, sensum utique infallibilem; sed non præstituit sibi sensum privatum singulorum, quippe qui faillibilis est: dogmati autem obligationis legum probabiliorum non favet sensus unanimis Patrum, sed ad summum sensus privatus aliquorum, quos supra citavimus. Sed contra. Paucos, fateor, aliquos Patres citavimus; nihilominùs tamen sensus ille paucorum haberi potest pro sensu unanimi cæterorum non contradicentium: nam eo ipso quòd nemo cæterorum dogmati contradixit, prudenter præsumuntur omnes dogma approbasse; contradicturi si non approbassent: ergo sensus ille paucorum dogma proponentium, audiente & non contradicente Ecclesiâ priorum temporum fuit interpretativè sensus omnium, ac proindè videri potuit Quintæ Synodo rationabiliter sequendus.

Dices 3. Quos enumerat Patres Quinta Synodus & proponit sibi sequendos, eosdem post Quintam Synodum enumerat Martinus V. in Bulla Concilii Constantiensis, & appellat insigni Elogio Patres probabiles; quo Elogio significare videtur eosdem Patres fuisse Probabilistas, aut Probabilismi sectatores. Sed contra. Nugari hoc est; nec tam canonicè, quam pueriliter dictum Pontificis interpretari: nam Magni illi Patres dicuntur à Martino Probabiles, non quòd fuerint Probabilistæ, aut sectatores Probabilismi, qui necdùm fuerat in Ecclesia auditus, temporibus Martini & Concilii Constantiensis; sed quòd essent viri probati, & notoriæ authoritatis, idonei ad fidem faciendam in judicio, & legitimam probationem. Hic est sensus Elogii Patrum probabilium.

Secunda Conjectura.

Altera Conjectura ex eo petitur, quòd Ecclesia tertiæ ætatis obligationem totius legis christianæ ita universalem agnovit, ut leges probabiliores de summâ legis obligantis non exceperit; exceptura sine dubio, si de summâ non esse credidisset: non excepit autem; si enim excepisset, exstaret aliqua mentio talis exceptionis: sed nullibi exstat: nam sicubi exstet; proferatur locus.

Ecclesia obligationẽ legum probabiliorum vel hincag-

Dices. Legum probabiliorum obligationem non agnovit Ecclesia ter-

novit quod illas ex summa legis christianæ obligantis nusquam excepit.

tiæ ætatis: nam si agnovisset, tradidisset: non tradidit autem; nullibi enim exstat vestigium traditionis: ergo non agnovit. Et verò si exceptionem legum probabiliorum ideò dicitur non fecisse; quia nullam fecit mentionem exceptionis: dici pariter debet, non agnovisse obligationem legum probabiliorum, quia mentionem nullam fecit talis obligationis. Sed contra. Conjecturam nostram nec ista Objectio, nec Paritas illa, quâ firmatur, infringit: siquidem Ecclesia tertiæ ætatis agnovit obligationem legum probabiliorum contentam in summâ legis christianæ obligantis: legebatur enim in tertiâ illa Ecclesiæ ætate, & reverenter audiebatur præceptum Christi factum Apostolis, ut docerent omnes gentes servare omnia, quæcumque ipse mandasset: leges autem probabiliores in summâ omnium comprehenduntur: ergo & illas quoque ex obligatione servandas esse agnovit Ecclesia tertiæ ætatis, ut vel hinc patere credo quòd easdem de summâ legis obligantis nusquàm excepit; exceptura, si illarum obligationem non agnovisset. Quòd si quis excepisse contendat, proferat locum, ubi exceperit: onus enim probandæ exceptionis incumbit ei, qui exceptionem opponit. Firmari potest conjectura nostra. Quia Ecclesia tertiæ ætatis leges invincibiliter ignoratas de summâ legis obligantis sapienter excepit, ideò scilicèt, quòd ejusmodi leges judicaret non obligare, in statu ignorantiæ invincibilis: ergo si judicasset, leges probabiliores non obligare, etiam in statu majoris suæ probabilitatis, leges quoque probabiliores de summâ legis obligantis excepisset: nusquàm verò excepit, sed in summâ legis obligantis reliquit; quia nimirùm & ipsas obligare judicavit.

Quæ Ecclesia leges invincibiliter ignoratas excepit, excepisset eadem leges probabiliores si credidisset non obligantes.

Instabis. Si Ecclesia tertiæ ætatis de summâ legis obligantis excepit leges invincibiliter ignoratas, excepit quoque leges probabiliores; sunt enim & ipsæ leges aliquæ invincibiliter ignoratæ, quarum nulla habetur scientia, sed obscura duntaxat & incerta probabilitas. Sed contra. Ineptè numerantur leges probabiliores, inter leges invincibiliter ignoratas: satis enim sciuntur eo ipso quòd probabiliores sunt. Nimirùm in usu humano non dicitur ignorari, quod probabilius habetur: nam scientia ferè humana, præsertim in moralibus, non tam scientia est, quàm major apparentia veritatis, ut statim patebit res humanas consideranti. Satis scitur, Exempli causâ, jus Sempronii adversùs Titium, eo ipso quòd probabilius est; ex illo enim jure probabiliore Sempronio lis adjudicatur: satis scitur verus sensus legis, eo ipso quòd est probabilior; nam ex sensu legis probabiliore controversiæ deciduntur: satis scitur reus esse, quem probabilius est, esse reum; ex majore enim criminis probabilitate damnatur: ergo satis sciuntur leges, ex quo probabiliores sunt, ac proindè ex majore illarum probabilitate obligatio inducitur.

Tertia Conjectura. Probabilismus nullo modo apparuit illis

Tertia Conjectura ex eo desumi potest, quòd in Ecclesiâ tertiæ ætatis nulla fuit de Probabilismo Controversia, nullum super eâ re controversiæ vestigium: indè enim conjici potest, necdùm eâ ætate apparuisse Probabilismum: nam si fortè apparuit; quis credat, neminem ei contradixisse? Mirabile prorsus est, & incredibile istud silentium, in ætate

præsertim

præſertim contentioſâ & turbulentâ, in quâ viſus eſt commoveri univerſus orbis: ſed ex eodem ipſo ſilentio longè credibilius fit, Probabiliſmum in eâ ætate nuſquàm apparuiſſe. Confirmatur 1. Quia complectitur ætas iſta tertia quatuor Concilia generalia: Quintum ſcilicèt, quod eſt Conſtantinopolitanum Secundum; Sextum, quod eſt Conſtantinopolitanum Tertium; Septimum, quod eſt Nicænum Secundum; Octavum, quod eſt Conſtantinopolitanum Quartum. In Quinto reprobata legimus Tria famoſa Capitula, quæ fuerant anteà, per centum ferè annos, in Oriente, & Occidente tantis clamoribus ventilata. In ſexto confixum legimus Monotheliſmum, & anathematizatos Monothelitarum Patriarchas quinque, Monotheliſmi fautores, ne excepto quidem Honorio Romano, quem Synodus etſi fortè innocentem, non tam ex ipſius literis, quàm ex gravi præſumptione damnavit. In ſeptimo damnatos legimus Iconomachos, aſſertumque ſacris Imaginibus cultum debitum, & honorariam adorationem ab omni Idololatriæ ſpecie vindicatam. In Octavo legimus extinctum Schiſma fatale, quo Eccleſia Orientalis à Matrice Eccleſiarum dividebatur, expulſumque authorem Schiſmatis Photium; & Ignatium ſuæ Sedi honorificè reſtitutum. Hæc quidem in quatuor illis Conciliis legimus: ſed inter hæc nihil legimus de Probabiliſmo; & ideo non legimus, quia iſtorum Conciliorum temporibus de illo nihil apparuerat. Confirmatur 2. Quia in Conciliis particularibus tertiæ iſtius ætatis, quæ multa ſine numero habita ſunt ubiquè terrarum, in omnibus Orbis Chriſtiani Provinciis, ne dicam angulis, pro reformatione diſciplinæ, & de omni materiâ morali, ne unus quidem apex, aut unum ïota notari poteſt de Probabiliſmo; quod argumento eſſe poteſt nondùm emerſiſſe. Confirmatur 3. Quia apud Authores Eccleſiaſticos, Gregorium Magnum, Facundum Hermianenſem, Joannem Damaſcenum, Sophronium Hieroſolymitanum, alioſque inſignes viros, qui in hac eâdem ætate floruerunt, de Probabiliſmo nec memoratur aliquid, nec leviter indicatur: memoraretur autem, vel ſaltem indicaretur, ſi tunc prodiiſſet. Confirmatur 4. Quia in diuturno illo & acerrimo Orientalium & Occidentalium, Græcorum & Latinorum Schiſmate, ubi tam multa in Græcis Schiſmaticis Latini reprehenderunt; & Græci viciſſim cavillatores tam multa Latinis objecerunt, neutri tamen Probabiliſmum tetigerunt; reprehenſuri profectò aut cavillaturi, ſi in utràvis parte ſe prodidiſſet. Erat nimirùm in pacificâ poſſeſſione obligatio legum probabiliorum; &, quod mirum eſt in utrâque parte inter tot tumultus tranquillè & imperturbatè vigebat.

rerum, temporum & perſonarũ circumſtantiis ubi ſine dubio apparuiſſet, ſi extitiſſet.

Dices. In tertiâ illâ ætate potuit eſſe Probabiliſmus, idemque nec audiri ſatis, nec ſatis obſervari; quia nimirùm inter tot gravium controverſiarum tumultus & clamores, nec audiri poterat, nec diſcerni ſatis, aut obſervari, immensâ quam excitabant continui pugnantium & repugnantium motus, pulveris nube obſcuratus. Ergo inanis eſt conjectura noſtra, qua Probabiliſmum arguimus non fuiſſe, ex eo quòd non fuerit auditus, vel obſervatus. Sed contra inane prorſus eſt tale effugium. Nam 1. ſi fuit Probabiliſmus in tertia illa ætate, inter ipſos gravium

controverſiarum tumultus & clamores audiri potuit à Patribus aures arrigentibus ad quamcumque auram novitatis; alia enim minùs clamoſa audierunt: ergo ſi auditus non fuit ex hoc ipſo rectè arguitur non fuiſſe. Si fuit Probabiliſmus, obſervari potuit à Patribus benè oculatis, & ad novitatem omnem vigilantibus; alia enim minutiora & ſubtiliora obſervavere patres: ergo ſi Probabiliſmum non obſervarunt, rectè conjicitur non fuiſſe Probabiliſmus; obſervandus utique, ſi fuiſſet: nam quâ tandem arte præſtare ſe potuit inviſibilem, & vigilantiam Patrum acutè videntium effugere? Incredibile prorſus eſt, tales ac tantos viros, ad omnia vigiles, omnia ſcrutantes, ad omnia attendentes, ad ſolum Probabiliſmum non reſpexiſſe, aut attendiſſe. Contra 2. In ætate etiam illâ turbulentâ habebatur identidem aliqua tranquillitas; ceſſabant quandoque pugnantium & repugnantium motus; reſidebat interdùm nubes pulveris cœlum obſcurantis; requieſcebant aliquando Patres à laboribus ſuis. Ergo ſi inter illas tranquillitatis, ſerenitatis, ſilentii, aut quietis moras, nullibi tamen auditus, nullibi viſus, nullibi detectus fuit Probabiliſmus, gravis profectò Conjectura eſt, Probabiliſmum nullibi fuiſſe.

Quarta Conjectura.

Eccleſia tertiæ ætatis conſtanter ſecuta eſt pro deciſione quæſtionũ majorem ſuffragiorum pluralitatẽ.

Quarta Conjectura ex eo petitur; quòd Eccleſia tertiæ ætatis in Conciliis ſuis, ſeu generalibus, ſeu particularibus, pro deciſione omnium Quæſtionum, ſeu juris, ſeu facti, ſeu ſpeculativarum, ſeu moralium, regulam tenuit, quam tenuerant priores ætates; regulam ſcilicèt pluralitatis ſuffragiorum. Secuta nimirùm eſt conſtanter majorem ſuffragiorum pluralitatem, & in majore pluralitate ſuffragiorum majorem veriſimilitudinem; nunquam ſecuta minorem: quo exemplo ſuo præmonſtravit Fidelibus, quam regulam ſequi debeant, pro interpretatione & executione legum divinarum. Confirmatur 1. Quia illa eadem regula tam univerſaliter recepta fuit, ut ne ipſi quidem Hæretici aut Schiſmatici, quamvis ex regulâ damnati, regulæ diſſentire auſi ſint; aut unquàm reprehendere, quòd ad majorem ſuffragiorum pluralitatem controverſiæ deciderentur; excuſantes duntaxat, pro damnatione eludendâ, aut Concilium non fuiſſe legitimè congregatum; aut ſuffragia ſatis libera & ſincera non fuiſſe. Confirmatur 2. Quia nemo tam audax & irrationabilis fuit, ut prætenderit, quæſtionem ex paucitate ſuffragiorum, aut, quod idem eſt, ex minore apparentiâ veritatis debuiſſe decidi. Confirmatur 3. Quia quidquid ex pluralitate ſuffragiorum majore in Concilio generali legitimo, & legitimè procedente decidebatur eo ipſo tanquàm ratum & certum tenebat: quidquid verò ex majore pluralitate ſuffragiorum deciſum non fuiſſet, pro caſſo, aut nullo habebatur.

Contra regulam pluralitatis ſuffragiorum in Conciliis ne ipſi quidem unquã reclamarũt qui in Conciliis damnati ſunt.

Dices. Patres in Conciliis ad pluralitatem ſuffragiorum majorem conſtanter & immobiliter Quæſtiones decidebant, quòd ſcirent, majori pluralitati ſuffragiorum, non majorem duntaxat apparentiam veritatis, ſed ipſammet veritatem eſſe alligatam, idque ex aſſiſtentiâ Spiritûs ſancti, non permittentis, ut major ſuffragiorum pluralitas in errorem conveniret: undè nil mirum eſt, quòd Patres majorem probabilitatem, ex majore ſuffragiorum pluralitate apparentem pro regulâ ſequerentur, quam

certò sciebant esse cum veritate conjunctam. Nihil autem tale habent privati Fideles in majore probabilitate legis, quam sciunt posse conjungi cum falsitate: potest enim esse veritas in minore apparentia veritatis. Sed contra 1. In Concilio quidem generali legitimo & legitimè procedente fateor, pluralitati suffragiorum, pro Quæstionibus Juris decidendis, veritatem esse alligatam ex promissione Christi: quia Concilium generale legitimum, & legitimè procedens infallibile est, repræsentans totam Ecclesiam, adversùs quam *portæ Inferi non prævalebunt.* Sed non ita se res habet in Conciliis particularibus quæ infallibilitatem non habent. Concilia tamen particularia, etiam istius ætatis, pluralitatem suffragiorum, & probabilitatem majorem, in suffragiorum pluralitate apparentem, constanter secuta sunt; quia crediderunt sibi sequendam esse, ex obligatione prudentiæ, quamvis non haberent certam veritatem ex majore probabilitate, quam sequebantur: ergo & privatis Fidelibus incumbit eadem obligatio sequendi in foro interno probabilitatem majorem stantem pro lege contra libertatem minùs probabilem: nec à sequendo excusat, quod superest in majore probabilitate, periculum errandi: tale enim periculum minus est, quàm in sequendâ minore probabilitate libertatis. Est autem obligatio prudentiæ, partem, in qua apparet minus errandi periculum, præferre parti oppositæ, in quâ apparet periculum majus. Contra 2. Concilia generalia superiorum ætatum religiosè steterunt in regulâ majoris probabilitatis sequendâ: ideò nimirùm steterunt, quia Deus, seu ipso naturæ lumine, seu lege aliquâ positivâ verisimilitudinem majorem, ex majore suffragiorum pluralitate apparentem, sequendam esse præscripsit, ut eandem pro controversiis fidei decidendis promiserit, futuram esse viam infallibilem inveniendæ veritatis.

Concilia particularia regulam illam sequendam putant & reipsa sequuntur sine speciali assistentia Spiritûs sancti.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

De sensu Ecclesiæ Quartæ ætatis.

Quartam Ecclesiæ ætatem annis ferè quadringentis comprehendimus, & computamus à Concilio generali Octavo exclusivè, ad Concilium usque Lateranense Quartum inclusivè. Et hæc quidem minores fortè & pauciores controversias habuit, quam superior; habuit tamen & suas, easque nec leves, nec paucas. Nimirùm post capitalia fidei dogmata, in prioribus ætatibus ventilata & definita, Ecclesia quartæ ætatis tota ferè fuit in suis juribus à potestate sæculari vindicandis; in sedando Schismate satis frequenti; in componendâ disciplinâ Ecclesiasticâ, moribusque Fidelium regulandis; id quod fecit per quatuor Concilia generalia Romæ habita, & Concilia particularia ubique terrarum celebrata sine numero: ex quo statim in favorem Probabilistarum videtur fieri suspicio, aut nasci spes aliqua, fuisse fortè Probabilismum in eâ ætate alicubi repertum, & pro aliquâ morum regulâ constitutum. Sed profectò nihil minus: nam in quartâ ætate, ne vestigium quidem Probabi-

Sensus Ecclesiæ quartæ ætatis ex variis conjecturis.

lismi ullum fuit, ut facile est demonstrare brevibus aliquot Argumentis.

Ex uniformitate doctrinæ cum prioribus ætatibus.

Primum Argumentum sit, uniformitas doctrinæ cum prioribus ætatibus: nam ætas illa quarta ut reverenter suscepit dogmata speculativa in prioribus ætatibus legitimè definita, ita regulas morum à Majoribus seu scriptas seu traditas fideliter adoptavit: ergo cùm Antiprobabilismus sit regula aliqua morum, de prioribus ætatibus descendens, ut supra ostendimus, præsumi debet quarta ætas Antiprobabilismo manus dedisse.

Ex alto silentio Patrũ de probabilismo.

Alterum Argumentum esse potest, altum de Probabilismo silentium. Nam in totâ istâ ætate nihil de Probabilismo auditum fuit; nihil de Probabilismo Patres in Conciliis suis, seu generalibus, seu particularibus; nihil Pontifices in suis Decisionibus; nihil Ecclesiæ Doctores in scriptis suis: ergo necdùm apparuerat umbra Probabilismi: nam sicubi apparuisset, primâ sui specie plerisque sine dubio displicuisset Fidelibus, uti nunc videtur pluribus displicere.

Ex reformatione abusuum.

Tertium Argumentum duci potest ex reformatione innumerorum abusuum omnis generis; cui reformationi præcipuè intenta fuit Ecclesia quartę ætatis; reformatura Probabilismum, si formatum invenisset: Exstant plerique Ecclesiæ Canones diversis temporibus sanciti contra usum falsæ monetæ: exstat nominatim Canon 15. Concilii generalis Noni, quod ex Lateranense Primum, ad quartam Ecclesiæ ætatem pertinens; quo Canone præcipitur, ut, *quicumque monetam falsam scienter fecerit, aut studiosè expenderit, tanquàm maledictus turbator Fratrum, à Fidelium consortio separetur.* Est autem doctrina falsa, species quædam falsæ monetæ, ut solidè observarunt Patres Concilii Basileensis. Dixerim ego probabilismum habere aliquam cum falsâ monetâ similitudinem; seu quia non ex solido Scripturæ auro, vel argento, sed ex levi humanæ authoritatis metallo videtur esse cusa, vitreisque Rationis humanæ principiis tota constans; seu quia nec Christi principis vultum, nec Ecclesiæ Christi sponsæ imaginem satis præfert, quam præferre debet vera Christi doctrina, ut moneta legitima vultum Principis; seu denique quia justo pondere caret; sententia enim minùs probabilis libertati favens, minùs ponderis habet ad elevandam in staterâ justa probabilitatem majorem legi faventem.

Doctrina falsa instar cujusdam falsæ monetæ.

Ex serie prope infinita sacrorum Canonum.

Quartum Argumentum esse potest, series prope infinita sacrorum Canonum, qui pro Ecclesiasticâ disciplinâ reperiuntur in quartâ ætate sanciti. Nam in tantâ illâ serie nullus omninò reperitur Canon, qui vel leviter Probabilismum tangat. Undè conjici potest, Probabilismum fuisse ea ætate prorsùs incognitum: nam si fuisset cognitus; vel placuisset Patribus; vel displicuisset; vel fuisset habitus pro indifferenti: si placuisset; aliquo Patrum Canone fuisset approbatus, ut valde idoneus ad emolliendum jugum Christi: si displicuisset; fuisset alicubi reprobatus: si fuisset habitus pro indifferenti; reperiretur alicubi permissus, ex rationabili Patrum indulgentiâ, & benigno condescensu imbecillitati fratrum infirmorum: nullibi autem, seu approbatus seu reprobatus, seu permissus fuisse reperitur.

Quintum Argumentum petitur ex gustu dominante quartę ætatis. Nam Ecclesia quartæ ætatis, si gustus illius diligenter attendatur, videtur tota inclinasse in Antiprobabilismum, & à Probabilismo tota abhorruisse. Explorari autem potest iste Ecclesiæ gustus, tum ex specie & conditione negotiorum, quæ tractasse reperitur, tum ex modo tractandi & decidendi, quem secuta est. Grave aliquod, Exempli causâ, negotium Ecclesiæ fuit, procurare, ut Philippus Gallorum Rex Bertradam à se amoveret, Berthamque legitimam conjugem suam revocaret: grave item negotium fuit Cruciata expeditio in Palæstina, pro Christianis à servitute Mahumetanorum liberandis; utrumque in Concilio Claromontano tractatum, Præside Concilii Urbano II. Nec minùs grave negotium Ecclesiæ fuit, cavere, ne per sæcularem potestatem fierent Investituræ Ecclesiarum; in quem finem exstat Canon 16. Concilii Claromontani, quo Canone *interdictum est, ne reges, vel alii Principes aliquam Investituram de Ecclesiasticis honoribus faciant.* Sed gravissimum longumque nimis Ecclesiæ negotium fuit, Mincium Burdinum, Cadaloum Guibertum, Petrum Leonis, seu Anacletum, Octavianum victorem dictum, aliosque ejus generis falsos, aut minùs probabiles Pontifices redigere in ordinem, ut legitimis, aut probabilioribus Pontificibus sua Sedes restitueretur. Quis autem credat, Patres, quibus hæc negotia tantopere cordi erant, Probabilismum, sicubi apparuisset, gustare potuisse, aut æquo animo ferre, ut libertas humana minùs probabilis legi divinæ probabiliori præponeretur? Non erat is animus Patrum quartæ ætatis; non is gustus. Ad istam profectò seu legis divinæ probabilioris postpositionem, seu libertatis humanæ minùs probabilis prælationem omnes uno ore reclamassent. Confirmari potest ex Regulâ, quam in suis decisionibus conciliaribus constanter tenuerunt: constanter enim veritatem, aut certè majorem verisimilitudinem secuti reperiuntur, nihil unquàm ex minori verisimilitudine decidentes; decisuri aliquando si minorem verisimilitudinem pro regulâ legitimâ habuissent.

Ex gustu dominante quartæ ætatis.

Sextum Argumentum habetur ex sensu insignium Ecclesiæ Doctorum, qui in quartâ ætate floruerunt. Insignis planè Clarevallensis Abbas Bernardus, sive in Schismate sedando, sive in Cruciatâ expeditione promovendâ, sive in confutandis Hæreticis Petro Abailardo, Arnaldo Brixiano, Gilberto Porretano, aliisque Novatoribus: talem autem ac tantum virum omni laude majorem vidimus supra, in suo *De simplicitate oculi interioris* Libro, ea posuisse principia, quæ cum Probabilismo stare non possunt. Insignis Alexander III. Dux & anima Concilii Lateranensis Tertii: Magnus enim Pontifex cùm pro suâ electione septemdecim Cardinalium suffragia retulisset, æmulum habuit Octavianum Romanum, duorum duntaxat Cardinalium votis expetitum: nam Octavianus ille, potentiâ Friderici Ænobarbi patroni sui, & qualicumque authoritate duorum Cardinalium sibi suffragantium fretus, non dubitavit per annos duodeviginti ferre se pro Pontifice, quòd in ore duorum testium stare diceret, seu valere electionem suam ex suffragio duorum Electorum, & favore Ænobarbi quæsitam, contra Probabilitatem ma-

Ex sensu insignium doctorum.

Octavianus minore probabilitate confisus frustra pro summo Pontificatu cõtra Alexandrum tertiũ decertavit.

jorem Alexandro faventem ex suffragiis septemdecim ; donec Ænobarbus bello fractus, desertusque à suis Octavianum suum Antipapam ipse deseruit, & Alexandro legitimo Pontifici tandem adhæsit. Tum verò Alexander, pro pastorali suâ solicitudine, Concilium generale trecentorum Episcoporum in Laterano coëgit ; quo nimirùm & Schismati prorsus extinguendo efficaciter provideret, & Catharos, aliasve Manichæorum infames reliquias, in Aquitania, & adjacentibus Tolosæ Provinciis grassantes compesceret. Primus autem Concilii Canon est *Statuimus* ; quem totum exscribere velim, ut appareat, quantum fuerit Alexander cum Patribus Concilii à probabilismo alienus. *Statuimus, ut si fortè, inimico homine superseminante zizania, inter Cardinales de substituendo Pontifice non potuerit concordia plena esse ; & duabus partibus concordantibus, tertia pars noluerit concordare, aut sibi alium præsumpserit ordinare, ille Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus fuerit electus & receptus : si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, quia rem non potest, sibi nomen Episcopi usurpaverit ; tam ipse, quàm qui eum receperint, Excommunicationi subjaceant, & totius Ordinis privatione mulctentur, ita ut viatici eis etiam, nisi tantùm in ultimis, communio denegetur ; & nisi resipuerint, cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit, accipiant portionem. Prætereà si à paucioribus, quàm à duabus partibus aliquis fuerit electus ad Apostolatûs officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & prædictæ pœnæ subjaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum canonicis Constitutionibus, & aliis Ecclesiasticis præjudicium generetur, in quibus majoris & sanioris partis sententia debet prævalere ; quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit judicio definiri : in Romana verò Ecclesia aliquid speciale constituitur ; quia non potest recursus ad superiorem haberi.* Quo Canone, ut vides, totus est Alexander pro majore probabilitate contra minorem. Statuit enim 1. Habendum esse pro Romano Pontifice, qui à duabus partibus fuerit electus & receptus, ac proindè cujus merito suffragatur probabilitas notabiliter major. Statuit 2. Qui à tertiâ tantùm parte fuerit nominatus, non esse habendum pro Pontifice, ac proindè ad legitimam Pontificis electionem non sufficere probabilitatem minorem ex tertiâ parte venientem. Statuit 3. Non habendum esse pro Pontifice, qui à paucioribus, quàm à duabus partibus fuerit electus, nisi major concordia intercesserit ; ac proindè pro legitimâ Pontificis electione non sufficere ipsam probabilitatem majorem qualemcumque, nisi ex duarum saltem partium concordiâ venerit. Statuit 4. Nullum indè præjudicium generari canonicis Constitutionibus & aliis Ecclesiasticis, in quibus debet majoris & sanioris partis sententia prævalere, ac proindè supponit, probabilitatem majorem, ex majoris & sanioris partis sententiâ venientem, debere regulariter prævalere. Insignis fuit eadem quartâ ætate Innocentius III. Pontifex magnorum spirituum, prudentiæ singularis, & immensæ solicitudinis pro re christianâ moderandâ & promovendâ : ille ipse qui Concilium Lateranense Quartum Quadringentorum ferè Episcoporum ex Orbe universo operosè collegit, & sapientissimè direxit, constitutis septuaginta Capitulis, quibus, post damna-

tum Joachimi Abbatis errorem de Trinitate, & explosam Almarici insaniam, totius disciplinæ Ecclesiasticæ partes omnes mirabiliter composuit, addito etiam decreto de Pace inter Christianos faciendâ, aut saltem induciis per Quadriennium sanciendis, pro sacrâ in Palæstinam expeditione. Magnus autem ille Pontifex etsi de probabilismo nihil expresse decreverit, quia circa probabilismum nulla adhuc lis mota, aut dubitatio exorta fuerat; in Capitulis tamen suis conciliaribus ea principia identidem sparsit, ex quibus satis intelligitur, probabilismum ei displicuisse, aut, ut meliùs dicam, displiciturum, si animo occurrisset: nam Capitulo 24. De formâ Electionum pro Ecclesiis Pastore viduatis, præscribit, *Ut is collatione adhibitâ eligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars consentit; vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore; aliter electio facta non valeat, nisi fortè communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem divinam absque vitio celebrata.* Quo Capitulo, ut vides, in electione Pastorum Innocentius manifestè præscribit Electoribus, majorem meriti probabilitatem sequendam esse, seu, quod idem est, eligendum esse, cui favet meritum probabilius, ita ut si fortè electio fieret secundùm meritum minùs probabile, relicto probabiliore, electio non solùm foret illicita, sed etiam invalida. Undè apparet, si fortè fuisset mota quæstio de probabilismo, quid fuisset responsurus Innocentius; responsurus sine dubio, in concursu legis probabilioris cum libertate minùs probabili, standum esse pro lege probabiliore. Capitulo autem 41. de præscriptione loquens. *Quoniam omne*, inquit, *quod non est ex fide peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bonâ fide Præscriptio, tam Canonica, quàm Civilis; cùm sit generaliter omni Constitutioni aut consuetudini derogandum, quæ absque mortali observari non potest peccato: undè oportet, ut qui præscribit, in nullâ temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ.* Quo Capitulo assumit Pontifex pro principio Apostolicum illud. *Omne quod non est ex fide peccatum est*; sive peccatum est, quod non fit ex conscientiâ rectè formatâ honestatis, aut licentiæ faciendi: quod autem probabilius est esse illicitum, quàm licitum, non fit ex conscientiâ rectè formatâ licentiæ faciendi, ut per se patere videtur: ergo ex bonâ fide esse non potest, ac proindè si fiat, peccatum est. Deindè ex principio Apostoli definit Pontifex Synodali judicio, ut nulla valeat absque bonâ fide Præscriptio, tam Canonica, quàm Civilis; quia absque bonâ fide possessoris Præscriptio currere non potest sine peccato: ergo judicio Innocentii non valeret hodie Probabilismus, in quo videtur fieri licentia operandi absque bonâ fide, seu absque conscientiâ rectè formatâ licentiæ operandi: nam si juxta Innocentium oportet, ut qui præscribit, in nullâ temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ; oportet quoque, ut qui rectè operatur, in nulla parte temporis quo operatur habeat conscientiam prohibitionis operandi: atqui operans secundùm libertatem humanam minùs probabilem, in concursu legis divinæ probabilioris, habet conscientiam prohibitionis operandi, ipso tempore quo operatur: major enim probabilitas legis divinæ prohibentis facere potest conscien-

Doctrina innocentii tertii capitul. 41 & 65 Probabilismi inimica.

tiam prohibitionis operandi, longè magis quàm facere possit licentiam conscientiæ minor probabilitas libertatis. Capitulo autem 65. *Audivimus.* Contra illicitam & simoniacam pecuniarum exactionem concludens Pontifex. *Cùm igitur*, inquit, *non solùm à malo, sed ab omni specie mali sit, secundùm Apostolum abstinendum; exactiones hujusmodi penitus inhibemus: quòd si quis transgressor extiterit, exacta displicata restituat; in utilitates locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda.* Ita autem concludit Innocentius ex sensu Apostoli præcipientis, non solùm à malo, sed ab omni specie mali abstinendum esse 1. Thessal. 5. Atqui in sequendâ libertate minùs probabili, contra legem probabiliorem, si non est malum, magna certè species mali est: ergo in eodem Apostoli loco pronuntiasset Innocentius, non esse sequendam libertatem minùs probabilem, contra legem probabiliorem. Floruerunt denique in quartâ ista ætate Egregii ex omni Ordine Doctores, quos effugere non potuit probabilismus, si fortè uspiam apparuit: præcipuos satis erit obiter indicare. Talis fuit S. Antonius cognomento Paduanus, qui primus jussu S. Francisci cujus alumnus erat, Theologiam in conventu Fratrum professus est. Talis S. Raymundus De Pennaforti Barcinonensis Dominicanus, qui & ipse Decretales Pontificum in unum volumen studiosè redegit, & pro rectâ Sacramenti Pœnitentiæ administratione Summam Confessariis valde utilem reliquit. Talis Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui multos Tractatus edidit plenos eruditionis & pietatis. Talis Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, Author Speculi Ecclesiæ, Sanctorum numero adsciptus ab Innocentio III. Talis ipse Innocentius III. qui Pater Juris appellari meruit, tum ex profundâ Juris intelligentiâ, tum ex erudito illo suo super Decretales apparatu. Talis Alexander de Ales, qui pro Discipulis habere legitur Doctorem Seraphicum & Doctorem Angelicum. Talis Vincentius Bellovacensis, Author speculi Moralis, in quo reperitur ferè Primâ secundæ, & secundâ secundæ S. Thomæ; sive S. Thomas ex Vincentio antiquiore Doctore acceperit, & in suam Summam transtulerit, quod tamen est difficile creditu; sive Speculo Vincentii accesserit ea pars Summæ Angelicæ, veluti quoddam Doctrinæ supplementum, ut credibilius est. Talis Albertus Ratisponensis Episcopus, cui meritò Magni cognomen fecit immensa eruditio. Talis Alanus, qui Parisiis Ecclesiasticam Scholam diu tenuit, magno Auditorum concursu & plausu, Doctor universalis appellatus. Tales duo splendida orbis Christiani lumina, ambo sub finem quartæ ætatis cœlum Ecclesiæ collustrantia S. Thomas Doctor Angelicus, & S. Bonaventura Doctor Seraphicus, quorum unus in viâ ad Concilium Lugdunense primum, quò fuerat vocatus, diem sanctissimè obiit, magno bonorum omnium planctu; alter in ejusdem Concilii celebratione mortuus est, funebri laudatus Oratione coram universis Concilii Patribus, funus honestatibus. Tales verò ac tanti Doctores, qui totam antiquitatem lustraverant; nec Probabibilismum in totâ retro antiquitate viderunt; nec de Probabilismo quidquam in Scriptis suis tradiderunt; nec secundùm leges Probabilismi aliquid uspiam determinarunt: contra verò multa identidem principia sparserunt,

Plurimi insignes doctrina, & sanctitate Doctores quartæ ætatis apud quos probabilismi mentio nulla.

ſparſerunt, quæ cum Probabiliſmo ſtare non poſſunt; omnia paſſim ſecundùm majorem probabilitatem decidentes. Stet ergo quod initio dixi, in quartâ iſta ætate, ne veſtigium quidem probabiliſmi extitiſſe.

Objicies. Ambigua ſunt & vaga nimis Argumenta noſtra, quippe quæ ferè omnia adverſus Antiprobabiliſmum torqueri poſſint, non minùs quàm adverſus Probabiliſmum, ut ſtatim apparebit examinanti. Nam Probabiliſmo quid nocet quartæ ætatis cum ætatibus prioribus uniformitas illa doctrinæ, niſi demonſtretur Probabiliſmum in prioribus ætatibus fuiſſe reprobatum? Quid nocet altum illud de Probabiliſmo ſilentium, ſi fuit in quartâ ætate ſilentium non minùs altum de Antiprobabiliſmo? Quo enim jure, aut quâ æquitate ex uno eodemque ſilentio damnabitur unus, alter abſolvetur? Probabiliſmo quid officit ſeries illa infinita Canonum, ſi non exſtet in totâ illa ſerie vel unus Canon, quo Probabiliſmus configatur? Quid facit in quartâ ætate dominans ille guſtus redigendi in ordinem, quæcumque ab ordine deviaſſent, niſi ſimul oſtendatur, probabiliſmum eſſe aliquid ab ordine devians? Quorſum adversùs probabiliſmum producitur ſenſus doctorum Eccleſiæ, apud quos ne ipſum quidem probabiliſmi nomen uſurpatum reperitur? Reſpondeo. Ita ſunt generalia & ambigua argumenta noſtra, ut ex modo quo torquentur à nobis, perdant ambiguitatem ſuam, & probabiliſmum determinatè petant; id quod facilè apparebit ſingula perſequenti. Ac 1. quidem, cùm rationabiliter præſumatur Eccleſia quartæ ætatis cum prioribus ætatibus conſenſiſſe in doctrinâ morali; aliundè verò fuerit à nobis ſuperiùs demonſtratum, probabiliſmum non fuiſſe doctrinam priorum ætatum, rectè concluditur, probabiliſmum non fuiſſe doctrinam quartæ ætatis cum prioribus ætatibus conſentientis. 2. Altum illud ſilentium de probabiliſmo vocale & clamoſum eſt adversùs probabiliſmum: nam ſi doctrina probabiliſmi fuiſſet audita in quartâ ætate, reclamatum haud dubiè fuiſſet adversùs ejuſmodi doctrinam; doctrinam ſcilicèt perturbativam ordinis naturalis; doctrinam prælativam libertatis minùs probabilis; doctrinam legi divinæ probabiliori derogantem. 3. Cum probabiliſmus quidam abuſus ſit, rectè arguimus, Eccleſiam quartæ ætatis, quæ minores etiam abuſus reformavit, probabiliſmum, ſi fortè ſe prodidiſſet, reformaturam: 4. Rectè quoque arguimus ex longâ illa ſerie Canonum, in quibus nulla fit mentio probabiliſmi: nam ſi probabiliſmus in quartâ ætate prodiiſſet, fuiſſet alicubi in ſeriè illa numeroſâ Canonum memoratus: nullibi autem memoratus fuit; 5. Guſtus verò ille dominans quartæ ætatis, redigendi in ordinem, quæ ab ordine deviaſſent, videtur eſſe decretorius adversùs probabiliſmum: cùm enim probabiliſmus ſit prælativus libertatis humanæ minùs probabilis, & poſtpoſitivus legis divinæ probabilioris; in quâ ſeu prælatione, ſeu poſtpoſitione apparet ſtatim magna quædam inordinatio, & ab ordine deviatio; quis non videat, Eccleſiam quartæ ætatis, pro guſtu illo ſuo redigendi in ordinem, quæcumque ab ordine deviaſſent, redacturam fuiſſe in ordinem probabiliſmum ab ordine deviantem? 6. Nec minùs decretorius eſt ſenſus Eccleſiæ Doctorum quartæ ætatis, proba-

Altum & perpetuum de probabiliſmo ſilentium, vocale & clamoſum eſt contra probabiliſmũ. Convincit enim novũ eſſe & in traditione non apparere.

bilismo adversantium multipliciter ; seu quòd ea posuerint principia ; quibus probabilismus apertè convellitur ; seu quòd eas morum regulas tradiderint , quibus probabilismus cohærere non potest ; seu quòd in decidendo nusquàm secuti reperiantur probabilitatem minorem contra majorem ; seu denique quòd probabilismum ita præterierint silentio , ut ne nominarint quidem , aut ullo modo indicarint ; ex quo silentio patet , doctrinam probabilismi de Traditione non esse.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Sensus Ecclesiæ quintæ ætatis.

Sensus Ecclesiæ quintæ ætatis ex iisdem quibus supra capitibus demonstratus.

QUintam Ecclesiæ ætatem , per annos ferè trecentos expansam ; numeramus à Concilio Lugdunensi primo inclusivè ad Concilium usque Tridentinum exclusivè. Sensum verò istius ætatis circa probabilismum eadem ferè omnia demonstrare possunt , quæ sensum superioris ætatis demonstrarunt. Uniformitas scilicèt doctrinæ moralis cum ætatibus superioribus. Uniformitas regulæ decisionum. Uniformitas silentii in materia hodie controversa. Nam 1. quidem Patres istius ætatis apertè professi sunt , sequi se regulas morum ab antecessoribus traditas , & non alias. 2. In Conciliis suis , seu generalibus , seu particularibus ad majorem pluralitatem suffragiorum quæstiones occurrentes decidebant , nusquam verò ad minorem ; constanter secuti in suis decisionibus evidentiam veritatis, aut majorem probabilitatem, ex majore suffragiorum pluralitate venientem ; nusquàm verò probabilitatem minorem, ex minore pluralitate suffragiorum apparentem. 3. Nullibi exstat in monumentis istius ætatis ullum probabilismi vestigium ; exstiturum profectò alicubi , sicubi se probabilismus prodidisset.

Fuit quidem ætas illa quinta magnis , extraordinariis , & clamosis eventibus famosa. Abdicatione Friderici secundi Imperatoris. Extinctione Ordinis Templariorum. Cessione voluntariâ , aut depositione trium Pontificum. Reconciliatione Græcorum & Latinorum ; aliisque ejusmodi revolutionibus. Perseveravit autem altum de ptobabilismo silentium. Celebrata sunt in quintâ ætate septem Concilia generalia ; Lugdunense primum , in causâ Friderici secundi Imperatoris ; Lugdunense secundum , contra errores Græcorum ; Concilium Viennense sub Clemente V. Tercentum & ampliùs Episcoporum , contra Beguardos ; Concilium Constantiense , in causâ longi & periculosi Schismatis à tribus aut quatuor de Papatu contendentibus ; Basileense à Martino V. indictum, continuatum ab Eugenio , ac deindè sub finem ab eodem reprobatum ; Florentinum , centum quadraginta & unius Episcoporum , pro tollendo Græcorum Schismate ; Lateranense V. sub Julio II. & Leone X. pro reformatione & pacificatione Ecclesiæ : sed , quod mirum est , in istorum omnium Conciliorum celebratione nihil fuit de probabilismo tractatum. Sederunt in quintâ ætate Magni Pontifices , Innocentius IV. Gregorius X. Clemens V. Martinus V. Eugenius IV. Julius II. Leo X. iidemque ferè

omnes multa morum Decreta fecerunt; sed in suis Decretis probabilissimum prætermiserunt prorsus intactum. Ecclesiam quintæ ætatis, præter S. Thomam & S. Bonaventuram supra memoratos, illustrarunt plerique ex omni ordine insignes Theologi; sed apud quemquam illorum, ne ulla quidem vel levis mentio probabilismi reperitur: paucos indicare sufficiat. Illustravit Joannes Duns ex patriâ dictus Scotus, ex acumine Doctor subtilis, qui Theologiam primùm Oxonii in Angliâ, deindè Parisiis professus, scriptum edidit, seu Oxoniense, seu Parisiense dictum, in quatuor Sententiarum Libros; aliaque Opera non pauca edidit in lucem, tam Philosophica, quàm Theologica; plura daturus, nisi mors immatura obstitisset: sed de probabilismo nullam quæstionem movit; quæstionem tamen subtilitate hominis dignam. Illustravit Durandus Dominicanus, Episcopus Meldensis, qui, præter suos in Magistrum Sententiarum Commentarios, præclarum de Jurisdictionibus Tractatum fecit, à Doctore Angelico S. Thoma non parum, aut etiam nimis discrepans; non tamen in materia probabilismi, de qua nihil omninò habet. Illustravit Natalis Hervæus, Generalis Magister Ordinis Prædicatorum, egregius S. Thomæ defensor adversùs Durandum; nusquàm tamen probabilismi defensor. Illustravit Franciscus Mayronis Franciscanus, Scoti Discipulus, qui Magistri subtilitatem æmulatus, multa quidem, seu Theologica, seu Philosophica, scripsit; nihil tamen de probabilismo. Illustravit Guillelmus Ockanus Hybernus, famosus ille fautor Ludovici Bavari adversùs Joannem XXII. sed non fautor probabilismi. Illustravit Petrus Paludanus Burgundus, Ordinis S. Dominici, Patriarcha Hierosolymitanus, doctrinâ suâ non minùs quàm dignitate conspicuus, sed non tractatione probabilismi. Illustravit Guido Prior Generalis Carmelitarum, cujus est grande volumen de omnibus Hæresibus; sed de probabilismo nulla quæstio. Illustravit Ludolphus Carthusianus, seu volumine suo de vita Domini nostri Jesu Christi, seu suis in Psalmos Commentariis; sed probabilismum non tetigit. Illustravit Joannes de Bacone, vir apprimè Philosophus & Theologus, cujus est Compendium Legis, & Commentarius in quatuor Libros Magistri sententiarum, cum Quodlibetis, in quibus de probabilismo omninò nihil. Illustravit Thomas Argentinensis, Prior Generalis Ordinis S. Augustini qui ex Scriptura sacra multas Quæstiones proposuit & solvit; sed nullam movit de probabilismo quæstionem. Illustrarunt & alii, diversorum Ordinum, diversarum Sectarum, diversi caracteris Authores, multiformiter inter se difformes; sed omnes in suo de materia probabilismi silentio uniformes: ex quo silentio manifestè convincitur, in quinta istâ, quâ vixerunt Ecclesiæ ætate, nihil adhuc de probabilismo fuisse in Ecclesia auditum.

Objicies 1. Nulla est obligatio sequendi majorem probabilitatem in materiâ speculativâ, ut fert ipsemet sensus quintæ ætatis: ergo neque in materiâ morali. Consequentia videtur esse legitima: nam si lex sequendæ veritatis non obligat ad sequendam majorem verisimilitudinem in unâ materiâ, non est cur obliget in aliâ: Antecedens verò patet ex famoso Dogmate de originali Mariæ innocentiâ: nam pars affirmans in- *Libertas opinandi contra communem de immaculata Mariæ conceptio-*

ne sententiam, defensoribus minoris probabilitatis non favet.

nocentiam Mariæ originalem longè probabilior est parte negante, ut insigniter declarant & definiunt Patres Concilii Basileensis ad quintam ætatem pertinentis. *Nos verò*, inquiunt, *diligenter inspectis authoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus, ex parte utriusque doctrinæ, coram hac sancta Synodo allegatæ sunt; aliisque etiam plurimis super hac re visis, & maturâ consideratione pensatis; doctrinam illam, differentem, gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, perveniente & operante divini numinis gratiâ singulari, nunquàm actualiter subjacuisse peccato originali; sed immunem semper fuisse ab originali & actuali culpa, sanctam & immaculatam; tanquàm piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & sacræ Scripturæ, ab omnibus approbandam fore, tenendam, & amplectendam, & definimus, & declaramus; nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, seu docere.* Ita Patres Basileenses. Ex quorum sensu pars affirmans originalem Mariæ innocentiam manifestè probabilior est parte negante: pars tamen negans, quantumvis minùs probabilis sit, nihilominùs in Ecclesiâ permittitur, & à multis inculpatè tenetur, etiam post Concilium Basileense; adeò ut severè prohibuerint Pontifices, quemquam eo nomine notare censurâ, aut peccati mortalis accusare. Undè sequitur, licitum esse, saltem in materiâ speculativâ, tenere opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore: id verò cur non liceat pariter in materiâ morali? Respondeo 1. Nego Antecedens universaliter sumptum. Ex lege enim sequendæ veritatis fit obligatio sequendæ majoris verisimilitudinis, ac proindè majoris probabilitatis, in quâcumque materiâ versetur. Nec quidquam probat Argumentum ductum ab originali Mariæ Deiparæ innocentiâ: etsi enim pars affirmans originalem Mariæ Deiparæ innocentiam, absolutè probabilior sit parte oppositâ negante, ut profectò est; fieri tamen potest, ut opposita negans probabilior sit respectu aliquorum, ac proindè liceat illis eam tenere, Ecclesiâ adhuc permittente, etiam post Concilium Basileense; quia tale Concilium non habetur generatim & indubitatè pro Concilio omni ex parte legitimo. Negari quidem non potest, quin ille Patrum Basileensium consensus valde faveat dogmati de originali Mariæ innocentiâ: sed non ita favet, ut parti neganti adimat omnem probabilitatem, etiam respectivam: quare sapienter prohibuerunt Pontifices, ne quis partem negantem censurâ notare, aut peccati mortalis accusare audeat: quia nimirùm dogma de originali Mariæ innocentiâ habetur adhuc pro indefinito; & parti neganti superest fortè major aliqua probabilitas respectiva & sufficiens, ne peccetur contra legem sequendæ veritatis. Respondeo 2. Longè graviorem esse obligationem sequendi majorem probabilitatem in materiâ morali, quàm in materia speculativâ; quia obligatio sequendi majorem probabilitatem in materiâ morali venit non solùm ex lege sequendæ veritatis, sed etiam ex lege honestatis, & ex lege obsequii realis Deo præstandi, ut supra demonstravimus: obligatio autem, cæteris paribus, eò debet censeri gravior, quò plures sunt tituli obligationem fundantes.

Lex majoris probabilitatis magis obligat in materia morali, quã in materia speculativa.

Objicies 2. Ex Concilio Constantiensi, videtur demonstrari posse, non

esse obligationem sequendi partem probabiliorem oppositâ minùs probabili: nam tempore Concilii Constantiensis, quo sedebant, magno Ecclesię scandalo, tres simul Pontifices, non erat obligatio sequendi Pontificem probabiliorem; quęlibet enim Obedientia sequebatur inculpatè suum Pontificem: non erat tamen quilibet Pontifex probabilior, ut per se satis patet. Ergo aliqua saltem Obedientia sequebatur Pontificem minùs probabilem, & quidem inculpatè, ut ex eo rectè colligitur, quòd nulli ex tribus Obedientiis ante electionem Martini V. Concilium Constantiense notam schismatis inusserit; præsumens scilicèt singulas ignorantiâ suâ probabili excusari posse, ac proindè non requirens ad illas excusandas probabilitatem majorem Pontificum, quibus adhæserant. Respondeo. Concilium Constantiense non tam examinare habuit jura dubiorum Pontificum (res enim fuisset infiniti laboris) quàm unum aliquem certum & indubitatum Pontificem, in quo Fideles omnes convenirent, Ecclesiæ procurare. Id quod factum est; tum voluntariâ cessione, aut violenta depositione trium contendentium; tum electione Martini V. Supposuit ergo ab initio Concilium Constantiense, singulas Obedientias adhæsisse bonâ fide suo Pontifici, seu probabiliori, seu minùs probabili; quia supposuit, unicuique suum Pontificem videri probabiliorem: nam singuli quidem Pontifices contendentes, etsi non potuerint esse probabiliores absolutè, potuerunt tamen singuli esse probabiliores respectivè ad obedientiam suam. Nimirùm quod uni minùs probabile est, potest esse probabilius alteri: sed post cessionem voluntariam, aut depositionem dubiorum Pontificum, factamque communibus Concilii votis Martini V. electionem, nullus trium contendentium videri potuit obedientiæ suæ probabilior. Atque hinc est, quòd post electum Martinum V. certum & indubitatum Pontificem, quamlibet Obedientiam, nihilominùs adhuc priori suo Pontifici fortè adhærentem, habere potuit, & reipsa habuit Ecclesia pro schismatica; quia nullam ex tribus Obedientiis excusare potuit ignorantia probabilior. Quare, ut vides, ex processu Concilii Constantiensis nihil solidi argui potest in favorem minoris probabilitatis.

Ante electionē Martini V. in Concilio Constantiensi quælibet è tribus obediētia Pontificem suum probabiliorem credebat, aut credere supponebatur.

Objicies 3. Opinio etsi minùs probabilis sit reipsa tamen verè probabilis est: quo ferè modo Nanus, etsi minor aliquis homo sit, quàm Gigas, non est tamen minùs homo, quàm Gigas: atqui ex sensu quintæ ætatis, quæcumque opinio verè probabilis est, sufficiens est eadem ad operandum: ergo & opinio minùs probabilis, cùm & ipsa verè sit probabilis, sufficiens ad operandum videtur. Major Syllogismi Propositio, si non patet ex terminis, habet certè secum probationem suam: sicut enim minor Nani statura non impedit, quominùs Nanus verus homo sit, ita minor probabilitas opinionis non impedit, quominùs opinio minùs probabilis verè sit probabilis. Et vero si Nanus, quamvis homo minor Gigante, servat tamen in conspectu Gigantis majoris hominis totam hominis rationem, non obstante minore statura suæ humanitatis. Quidni pars minùs probabilis in concursu partis probabilioris servet totam probabilitatem suam, non obstante minore probabilitate suâ?

Opinio minus probabilis in concursu probabilioris non est probabilis simpliciter & absolutè, sed tantum secundum quid & respective.

Minor verò Propositio Syllogismi habetur ex Decreto Concilii Lugdunensis primi, in quinta istâ ætate celebrati. Exstat autem Decretum Capite I. De Electionibus. In sexto. Verba Decreti sunt hæc. *Qui verò defecerit in probatione ejus, quod objicit in personam, à Beneficiis Ecclesiasticis triennio se noverit suspensum; ad quæ si intra illud tempus propriâ temeritate se injecerit, eis ipso jure perpetuò sit privatus; nullam super hoc de misericordiâ spem, aut fiduciam habiturus, nisi manifestissimis constiterit documentis, quòd ipsum à calumniæ vitio, causa probabilis & sufficiens excusaret.* In quo, ut vides, Decreto causa *probabilis* confunditur cum *sufficiente*, & excusare dicitur à vitio calumniæ eum, qui fortè aliquid in personam objecit, habens causam probabilem & sufficientem objiciendi. Respondeo. Nego Majorem Syllogismi Propositionem. Ratio autem negandi est. Quia pars minùs probabilis non est verè probabilis, saltem simpliciter & absolutè, in concursu partis oppositæ probabilioris; quia scilicèt in tali concursu pars minùs probabilis probari non potest viro sapienti, cui pars opposita apparet probabilior: neque enim sapientis est, minorem veri apparentiam præferre majori: pars ergo minùs probabilis potest esse verè probabilis respectivè duntaxat, & secundùm quid; scilicèt extra concursum partis oppositæ probabilioris, aut etiam respectu sapientis illius, cui fortè probabilior apparebit, quæ minùs probabilis est. Ut enim sunt diversi hominum gustus, quod uni sapienti minùs probabile est, quandoque apparet alteri sapienti probabilius; sub quâ apparentiâ, fateor, partem minùs in se probabilem, fieri verè probabilem imò probabiliorem respectivè; quia ex tali apparentiâ hoc habet, ut possit prudenter acceptari à viro sapiente. Sed nihil indè contra opinionem nostram, quâ præcisè volumus, partem minùs probabilem, in concursu partis oppositæ probabilioris, non esse verè probabilem; quia in tali concursu viro sapienti probari prudenter non potest. Quod verò additur ad probationem ex Nano, qui quamvis sit homo Gigante minor, non est tamen minùs homo quam Gigas, dico, paritatem nullam esse. Disparitas est. Quia moles gigantæa non tollit Nano concurrenti veram rationem hominis: sed opinio probabilior opposita minùs probabili, tollit ei suam probabilitatem, quatenus facit, ne sit prudenter acceptabilis à viro sapiente; in qua acceptabilitate consistit vera probabilitas. Atque hinc se aperit verus sensus Decreti supra citati ex Concilio primo Lugdunensi: nam ignorantia illa quæ dicitur excusare à vitio calumniæ, non est ignorantia quæcumque, aut quocumque modo probabilis; sed est ignorantia quædam ita probabilis, eademque sufficiens ad excusandum, ac proindè ignorantia probabilior: nam si non esset probabilior, jam non esset sufficiens ad excusandum; id quod innuunt ipsa verba Decreti conjungentis causam probabilem cum sufficiente, seu ad excusandum requirentis, non solum probabilitatem qualemcumque, sed etiam probabilitatis sufficientiam, quam sufficientiam non habet minor probabilitas, imo nec fortè æqualis.

Decretum Concilii Lugdunensis cap. 1. de electionibus in sexto contra calumniantes.

Sensus Decreti superioris est non sufficere ignorantiam probabilem ad excusandũ, sed requiri magis probabilem.

Instabis I. Ex altero ejusdem Concilii Lugdunensis Decreto, quod exstat Capite I. De Postulationibus in sexto his verbis. *Sub eâ etiam formâ*,

Eligo, aut Postulo, prout potest meliùs. De jure valere, cùm incertitudinem contineat, quemquam postulari & eligi prohibemus; statuentes, quod contra factum fuerit, viribus omninò carere, nisi quando probabiliter dubitatur, utrumquis sit eligendus, vel potiùs postulandus. In quo Decreto impediri dicitur vitium, aut culpa electionis, aut postulationis factæ sub forma alioquin vitiosa & culpabili per probabilem dubitationem: quidni ergo impediretur vitium & culpa actionis alioquin malæ & inhonestæ, per probabilem opinionem honestatis & bonitatis? Respondeo. In altero illo Decreto Concilii Lugdunensis jam citato rectè dicitur, excusari eligentem, aut postulantem sub ea formâ disjunctivâ; *Eligo, aut postulo*; à Concilio reprobatâ: excipitur nimirùm, & meritò excipitur, status dubitationis probabilis; quia status dubitationis probabilis æquivalet statui plenæ nescientiæ: in quo statu, nesciens utra facienda sit electio, an postulatio, ita se habet, ut nec possit determinatè eligere, nec determinatè postulare; alterutrum enim si determinatè faceret, exponeret se periculo faciendi aliquid irritum & inane: nam si determinatè eligeret, quando facienda est postulatio, irrita esset electio: si autem postularet, quando facienda est electio, irrita esset postulatio. Quare probabiliter dubitanti, aut planè nescienti; sitne quis eligendus, aut postulandus; permittitur rationabiliter adhibere formam illam disjunctivam: *Eligo, aut postulo*: alioquin prohibitam, ne scilicèt faciat aliquid irritum & inane, ejusque votum determinetur ad electionem, si facienda fuit electio; & ad postulationem, si facienda fuit postulatio: quia scilicèt in statu suæ nescientiæ, aut probabilis dubitationis rationabiliter præsumitur, id voluisse determinatè facere, quod fuit faciendum. Sed longè alius est casus libertatis minùs probabilis, cum lege probabiliore concurrentis. Operans enim secundùm libertatem minùs probabilem, contra legem probabiliorem inexcusabilis est in prælatione libertatis minùs probabilis, & postpositione legis probabilioris; nec teneri se potest ignorantiâ suâ, aut dubitatione probabili: sciens enim & volens determinat se ad sequendam minorem probabilitatem, relictâ majore, quod est manifestè inordinatum.

Alterum Concilii Lugdunensis Decretũ his verbis. Sub ea etiam forma. cap. 1. de postulationibus in sexto frustra adductum cõtra Antiprobabilistas.

Instabis 2. Ex eodem Concilio Lugdunensi, Decreto contra Assassinos cap. 1. De Homicidio. In sexto sub finem. Verba Decreti sunt hæc. *Et postquàm probabilibus constiterit Argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse; nullatenus alia Excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversùs eum sententia requiratur.* Quo Decreto, ut vides, statuitur, reum Assassinatûs pro damnato habendum esse, ex probabilibus argumentis gravantibus: quantò igitur magis absolvi poterit idem, ex probabilibus argumentis ei faventibus. Undè sequitur, reum legis posse & debere absolvi ab onere, seu obligatione legis, ex probabilibus argumentis libertati faventibus: libertati autem minùs probabili non desunt argumenta sua probabilia contra legem probabiliorem. Respondeo. Loco citato declaratur quidem excommunicatus, depositus, diffidatus, quemcumque argumenta probabilia fuisse Assassinum gravaverint: sed ista argumenta ita debent esse probabilia, ut convictionem criminis faciant;

Aliud Decretũ Concilii Lugdunensis. Et postquam probabilibus constiterit argumentis, &c. cap. de homicidio in sexto sub finem.

id quod significatur ipsis Decreti verbis. *Et postquàm probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse.* Nam argumenta, quibus constat, Assassinatum fuisse ab aliquo commissum, faciunt eadem convictionem Assassinatûs. Habetur quoque Disparitas ex ipsa ratione Decreti: nimirùm cùm constaret de corpore & qualitate delicti, seu constaret, fuisse aliquem per Assassinatos occisum; neque tamen sciretur determinatè author delicti, seu Assassinatûs, ac proindè nominatim excommunicari non posset; ne maneret impunitus, visum est, ipso facto habendum esse pro excommunicato, sine ulteriori declaratione: sed hinc planè nihil inferri potest in favorem minoris probabilitatis libertati faventis, contra legem probabiliorem: nam ubi lex probabilior est, jam probabilibus constat argumentis, legem esse; ac proindè satis constat, teneri lege libertatem, minoribus duntaxat nixam argumentis.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

De sensu Ecclesiæ novæ, hoc est, nostræ.

Sensus Ecclesiæ novæ seu nostræ ætatis.

POst indagatum satis diligenter, nec ullibi inventum in totâ antiquitate Probabilismum, ingressuri ætatem novam, seu nostram, stemus paulisper in limine; tum ut longo itinere fatigati reficiamus exhaustas vires; tum ut vestigia nostra relegentes, factæ per antiquam Ecclesiam laboriosæ excursionis fructum aliquem colligamus. Invenimus ergo, si memineris, & meminisse juvabit, optime Theophile, in Ecclesiâ antiquâ.

Probabilismus toti retro antiquitati incognitus vel ex illa novitate sua rejiciendus.

Invenimus inquam 1. Altum ubique per quindecim sæcula de Probabilismo silentium: ex quo silentio intelligi potest, istam, quæ prætenditur hodie, regulam morum tandiu in Orbe Christiano inauditam, de Traditione non descendere, sed noviter esse adinventam, & vel ipso novitatis titulo rejiciendam.

Invenimus 2. Prædicatam fuisse in Ecclesiâ antiquâ, & constanter prædicatam obligationem totius legis: nullibi verò, aut nusquàm exceptionem legum probabiliorum invenimus; quæ exceptio facta alicubi fuisset, si valuisset.

Invenimus 3. In omnibus Ecclesiæ Conciliis legitimis, seu generalibus, seu particularibus, controversias fuisse decisas ad majorem pluralitatem suffragiorum, ac proindè ad majorem verisimilitudinem; nusquàm verò ad minorem: quod planè nihil est aliud, quàm receptum fuisse ab ipso initio in Conciliis Ecclesiasticis Antiprobabilismum, &, quod est consequens, Probabilismum indè exclusum.

Invenimus 4. Per omnes Ecclesiæ ætates fuisse à Patribus unanimiter tradita ea principia morum, quæ cum doctrina Probabilismi stare non possent, seu quibus Probabilismus in ipso semine elideretur.

Invenimus

Invenimus 5. Summos Pontifices, de Quæstionibus morum consultos, respondisse constanter secundùm id; quod apparebat verisimilius, seu, quod idem est, in suis Responsis fuisse semper secutos majorem probabilitatem.

Invenimus 6. Nullo Ecclesiæ Doctori, per annos mille quingentos, venisse in mentem, docere Probabilismum, aut adversùs Probabilismum insurgere; quia nullus scilicèt, per totum illud tempus, Probabilismi defensor apparuit, adversùs quem necesse fuerit insurgere.

Hæc invenimus de sensu & gustu Ecclesiæ antiquæ, quæ planè demonstrant, Ecclesiæ antiquæ non placuisse Probabilismum: undè facilis conjectura est Ecclesiæ novæ ætatis non placiturum: sed conjecturâ non contenti ad verúm Ecclesiæ novæ ætatis, hoc est nostræ, sensum propiùs explorandum descendamus.

Ætatem Ecclesiæ novam, per annos ferè ducentos quinquaginta expansam, computamus à Concilio Tridentino inclusivè, usque ad Pontificatum Innocentii XII. feliciter hodie sedentis: ætatem autem nostram appellamus; quia ad nos usque pertingit: in hac verò ætate Concilium Tridentinum includimus; quia Conciliorum generalium postremum & novissimum est. Hæc est ætas, non dissimulo, in quâ tandem Probabilismus emersit, toti retro antiquitati planè ignotus: cujus Probabilismi revelare aggredimur incertam originem; progressum obscurum; incrementa fallentia, variam & ancipitem fortunam; subita decrementa; ejusdemque, si fas est, proximum exitum præsagire.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Incerta Probabilismi origo.

Dico igitur, originem Probabilismi incertam esse: quia incertum est, & quo præcisè tempore, & quo primùm loco, & quo primo Authore prodierit Probabilismus. *Incerta probabilismi origo.*

Nam 1. quidem. Incertum est, intra terminos novæ ætatis in quâ sumus jam supra definitos, quo præcisè tempore prodierit: hoc tamen certum, nonnisi post Concilium Tridentinum prodiisse: nam neque ante Concilii Tridentini celebrationem; sed neque in ipsâ Concilii celebratione se prodidit; tum quia nulla in Actis Concilii Tridentini fit mentio probabilismi; tum quia Concilium Tridentinum eandem regulam tenuit, quam cætera Concilia tenuerunt, majorem suffragiorum pluralitatem constanter sequens pro regula Decisionum, & controversias omnes ad majorem verisimilitudinem semper decidens, nusquam ad minorem. Stet ergo, probabilismum nonnisi post tempora Concilii Tridentini prodiisse. *Probabilismus non nisi post Concilium Tridentinum natus.*

Dices. Longè ante Tridentinum fuit usus probabilismi: ergo & probabilismus. Antecedens certum est. Quia Fideles plerique ab initio secuti sunt libertatem minùs probabilem, contra legem probabiliorem, *Usus probabilismi antiquus, sed dogma novum.*

idque inculpatè & irreprehenſibiliter : nuſquàm enim leguntur eo nomine fuiſſe reprehenſi ; reprehendendi tamen , ſi id facere præſumpſiſſent , quod non licere credebatur. Reſpondeo. Uſus probabiliſmi bene diſtinguendus eſt à doctrinâ probabiliſmi : fuit quidem ab initio , fateor , & pro omni tempore fuit aliquis probabiliſmi uſus , ſeu violatio aliqua legum probabiliorum , in concurſu libertatis minùs probabilis : ſed nego , iſtam legum probabiliorum violationem , ut libertati minùs probabili ſerviretur , habitam fuiſſe omni tempore pro inculpatâ & irreprehenſibili. Eſto igitur fuerit omni tempore violatio aliqua legum probabiliorum, ut fuit ferè omni tempore violatio legum certarum & evidentium. Nego tamen, fuiſſe in totâ antiquitate Doctores probabiliſtas , qui docuerint , licitum eſſe ſequi libertatem minùs probabilem , contra legem probabiliorem. Hæc eſt probabiliſmi doctrina , quam contendo nonniſi poſt tempora Concilii Tridentini prodiiſſe : ſed poſt Concilium Tridentinum , quo præcisè tempore prodire cœperit ea doctrina ſatis incertum eſt : definiatur enim præcisè , ſi poteſt , primum illud tempus , quo prodiit.

Inſignes Doctores viginti quinque , Concilio Tridentino antiquiores, pro opinione probabili ſtantes juxta authorem opuſculi Anonimi Izaaco Haberto Vabrarum Epiſcopo adſcripti.

Inſtabis. Izaacus Habertus , Illuſtriſſimus Vabrarum Præſul , in Opuſculo Anonymo *De Opinione probabili* quod ei tribuitur , Doctores probabiliſmi viginti-quinque in aciem producit , eoſque inſignes , & ex omni ferè Ordine , quinos & quinos. Ex ordine Theologorum , S. Thomam Doctorem Angelicum , Joannem Viguerium Regium in Academiâ Toloſanâ Profeſſorem , Philippum Gamachæum Theologiæ Profeſſorem Sorbonicum , Andream Duvallium , & Nicolaum Yzambertum , ambos item in Sorbonâ famoſos Theologiæ Profeſſores. Ex ordine Decretiſtarum , ſeu Doctorum Juris Pontificii , S. Raymundum de Pennaforti Barcinonenſem , Bernardum Barmenſem , Præpoſitum , Panormitanum , Martinum Navarrum. Ex ordine Epiſcoporum , S. Auguſtinum Epiſcopum Hipponenſem , S. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, Petrum Paludanum Patriarcham Hieroſolymitanum , Joannem Malderum Epiſcopum Antuerpienſem , S. Franciſcum Saleſium Epiſcopum Genevenſem. Ex ordine Cardinalium S. Carolum Borromæum , Henricum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem , Franciſcum Toletum Cardinalem , Jacobum Cardinalem Perronium , Joannem Cardinalem de Lugo. Ex ordine Summorum Pontificum , S. Gregorium Magnum , Alexandrum III. Innocentium III. Leonem X. Adrianum VI. Quorum omnium luculenta teſtimonia citat , idque tanta confidentiâ cauſæ ſuæ , ut eruditum Opuſculum ſuum concludere his verbis non vereatur. *Caſtra Dei ſunt hæc , nec virgulam timent ; adeoque ſufficiunt ad tuendam Diœceſeos tranquillitatem : ubi pluribus opus erit , juſta prodibit acies , ex omnibus Eccleſiæ ſæculis collecta ; nubes teſtium , agmen Scriptorum , numero ac pondere certantium , Chriſtianum implebit.* Ita ille , multos ut vides numerans probabiliſmi Doctores , qui ante Concilium Tridentinum vixerunt , longè plures ſi opus fuiſſet, numeraturus. Reſpondeo. Revereor Ego imprimis Illuſtriſſimum Habertum , ſolidâ ſuâ pietate , non minùs quàm immensâ eruditione bonis omnibus æquè ac Literatis reverendum ; agnoſco , teſtimonia Docto-

rum fideliter ab eo citata; nec diffiteor, quin multos numeraverit, qui ante Concilium Tridentinum & vixerint, & ſcripſerint: cujuſmodi profectò ſunt S. Auguſtinus, S. Gregorius Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Raymundus de Pennaforti, &c. Sed, pace tanti viri dixerim, nego omninò, quemquam Doctorum illorum anteriorum Tridentino docuiſſe probabiliſmum, qualem nos hîc refutamus, & Tridentino poſteriorem eſſe contendimus. Probabiliſmus enim, qualem refutamus, eſt doctrina quædam aſſerens, licere operari ex libertate minùs probabili contra legem probabiliorem, reſpectivè ad operantem. Hanc doctrinam nemo antiquorum docuit. Docuerunt quidem nonnulli, licere ſequi opinionem ſimpliciter probabilem; intelligentes ſcilicet per opinionem probabilem, opinionem, quæ probari poteſt viro ſapienti, & acceptari prudenter: probari autem non poteſt viro ſapienti, aut acceptari prudenter opinio, in concurſu alterius probabilis contraponderantis. Docuerunt item, licere ſequi opinionem abuſivè & in ſe minùs probabilem, ac proindè relinquere opinionem abſolutè & in ſe probabiliorem; dummodò quæ in ſe & abſolutè minùs probabilis eſt, videatur probabilior operanti, & viciſſim quæ probabilis eſt abſolutè & in ſe, videatur tamen operanti minùs probabilis, ut contingere poteſt: nimirùm quod uni minùs probabile eſt, poteſt alteri eſſe probabilius. Undè ſequitur evidenter, fieri poſſe, ut opinio abſolutè & in ſe minùs probabilis, appareat operanti probabilior; in qua hypotheſi ſequi poteſt operans opinionem minùs probabilem abſolutè, ſed exiſtimatam probabiliorem. Habenda eſt igitur vera notio opinionis probabilis; habendus verus uſus & ſenſus iſtius termini; neque enim eodem ſenſu acceptum fuit ab antiquis *probabile*, quo accipitur hodiè à novis authoribus: nam antiqui fere per *probabile* intelligunt, quod ſimpliciter probari poteſt viro ſapienti, ſeu præferri meretur oppoſito: novi autem Doctores appellant *probabile*, quodcumque veriſimile eſt, etiamſi fortè minùs veriſimile ſit, quàm oppoſitum: ex hac autem nominum confuſione, facta eſt confuſio ſententiarum, & crediti ſunt antiquorum nonnulli docuiſſe, quod minimè docuerunt. Diſtinguendum quoque eſt probabile abſolutum à reſpectivo, ut nos ab initio diſtinximus, verum quæſtionis ſtatum conſtituentes; an ſit obligatio ſequendi probabilitatem majorem præcepto faventem, in concurſu probabilitatis minoris faventis libertati; quæ diſtinctio neceſſaria fuit ad intelligendos Authores antiquos, eoſdemque ſeu à calumniâ laxitatis vindicandos, ſeu invicem & cum ipſiſmet, ſicubi opus eſt, conciliandos. Stet ergo, Doctores anteriores Tridentino probabiliſmum hodiernum non docuiſſe, ac proindè Tridentino poſteriorem eſſe hodiernum probabiliſmum. Sed quo præcisè tempore poſt Tridentinum cœperit iſte probabiliſmus, ita incertum eſt, ut vix, ac ne vix quidem, poſſit definiri.

Veteres per iſtam vocem *probabile* intellexerunt id quod à viro ſapiente probari, & oppoſito præferri poteſt minime vero illud veriſimile quod minus eſt veriſimile quà oppoſitum.

Secundò. Nec minùs incertum eſt, quo præcisè loco natus ſit probabiliſmus. Videtur tamen plus quàm probabile, ne dicam certum, natum eſſe in Scholis Theologorum; tum quia ante Doctores, quos appellant Scholaſticos, nulla probabiliſmi mentio, nullum veſtigium ſatis

expressum notari potest ; tum quia in Scholis Theologicis, tricas inter & cavillationes Doctorum pugnantium & repugnantium, facile fuit probabilismum nasci ; imo difficile fuit, & moraliter impossibile non nasci, in contentiosa illa altercationum & contradictionum regione. Certè inter acres æmulos, quibus satis solenne, & nimis familiare est, ut quod uni placet, alteri displiceat, species aliqua miraculi fuisset, si pluribus pro lege probabiliore pugnantibus, non aliquis pro libertate minùs probabili repugnasset. Sed etsi pro certo haberi possit, probabilismum in Scholis Theologicis fuisse natum ; manet tamen adhuc incertum, in quâ præcisè Scholâ natus sit : neque is Ego sum, qui de tali partu movere invidiam velim, aut debeam uni alicui Scholæ : sed plane debeo à Scholâ Societatis amovere. Est enim evidens, in Scholâ Societatis natum non fuisse probabilismum, quippe qui ante natus esse convincitur, quàm Societas Scholas Theologicas haberet, aut Cathedram ullam in Scholis Theologicis occuparet : convincuntur enim aliarum Scholarum Doctores probabilismum tradidisse, priusquàm ullus de Societate scriptor existeret : quicumque verò de Societate probabilismum docuerunt, pro asserendâ probabilismi doctrinâ citarunt aliarum Scholarum Doctores antecessores suos, ex quibus velut ex fontibus talem se doctrinam hausisse liberaliter & honestè profitentur.

Probabilismus à Doctoribus Societatis Jesu, neque inventus, neque adoptatus.

Objicies. Esto, natus non sit in Scholâ Societatis Probabilismus, ab eâ saltem videtur fuisse adoptatus : Doctores enim nostri ferè omnes communibus studiis passim ierunt in sententiam Probabilismi : Ergo Schola Societatis Probabilismum, si minùs naturâ & origine, saltem adoptione & educatione suum fecit. Respondeo 1. Invidiosum istud Argumentum torqueri potest in omnes alias orbis Christiani Scholas, Thomisticam, Scotisticam, Sorbonicam, Salmanticensem, Tolosanam, &c. quæ singulæ Doctores multos habuerunt probabilismi, eosque magni ponderis & meriti viros. Respondeo 2. Probabilismum Schola Societatis nec genuit, nec adoptavit : nam præterquamquòd nullum produci potest, aut citari instrumentum istius adoptionis, exstat Societatis congregatæ speciale Decretum, quo talis adoptio ut imaginaria respuitur ; seu declaratur, Probabilismum Societatis doctrinam non esse. Habetur autem Decretum in Actis Congregationis Decimæ tertiæ, Ordine 18. his verbis. *Cùm relatum fuisset ad Congregationem generalem, aliquos in ea persuasione esse, quòd Societas communibus quasi studiis tuendam sibi sumpsisset eorum Doctorum sententiam, qui docent, in agendo licitum esse sequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, relictâ probabiliore stante pro præcepto. Declarandum censuit Congregatio, Societatem nec prohibuisse, nec prohibere, quominùs contrariam sententiam tueri possint, quibus ea magis probaretur.* Respondeo 3. Societatis sensum & gustum fuisse omni tempore à Probabilismo valde alienum ; id quod facile apparet, tum ex mente S. Ignatii Fundatoris, tum ex Decretis Congregationum generalium, tum ex Præpositorum Generalium Epistolis, tum ex praxi Doctorum Societatis, quibus ferè omnibus religio est, & semper fuit, probabiliores & communiores sententias sequi. Nam 1. quidem S. Fundator noster Ignatius proprium

noſtris hominibus Doctorem eſſe voluit S. Thomam, & ideò voluit quia doctrina S. Thomæ videtur eſſe ſolidior, ſecurior, & magis approbata. Sanctus enim Thomas, etſi doctrinæ ſuæ eminentiâ maximè ſingularis ſit, & verè Angelicus, meruit tamen cognominari *Doctor communis*, & ideò meruit, quia ſequi ſolet doctrinas communes & ferè probabiliores. 2. Congregationes generales, intelligentes, quanti momenti ſit ad ſalutem animarum, ut diſciplina moralis, quâ decet dignitate, & integritate tractetur, omnibus modis ſategerunt, ut Societatis homines ubique terrarum omnem laxitatem & opinionem laxitatis diligenter vitarent: atque hinc multæ illæ leges proviſoriæ, & ſapienter ſancitæ. Prima, quâ Theologi monentur, ne, quòd probabile aliquid reputaverint, continuò putent, ſibi permiſſum eſſe illud vulgare. Altera, quâ monentur ſuperiores, ut ſi quos novitatum amantes, aut parum cautos in docendo compererint, à docendo ſubmoveant, pœniſque aliis, ſi opus fuerit coërceant. Tertia pro Cenſoribus, quorum fides & conſcientia oneratur, ut in editione Librorum ſeveros ſe potiùs exhibeant. Quarta, quâ monentur Noſtri omnes ut in privatis congreſſibus cautè reſpondeant, & nunquàm ſcripto, præſertim in rebus gravioribus, niſi conſulto & probante ſuperiore. Quinta, quâ commendatur Præpoſito Generali, ut non tantùm tranſgreſſores prædictarum legum loco & Cathedrâ moveat, ſed ipſos etiam ſuperiores, ſi in cohibendo liberiorem illam opinandi licentiam negligentes fuerint, ſeverè puniat. Habentur autem eæ leges in Actis plurium Congregationum generalium. 5. Decreto 41. 11. Decreto 22. 12. Decreto 28. 13. Decreto 18. 3. Præpoſiti Generales, velut in ſpeculâ poſiti Doctores noſtros, per univerſas provincias diſperſos, diverſis temporibus hortati ſunt, ad laxitatis, cujus notam parum benevoli homines ſocietati affingerent, viam omnem præcludendam. 4. Privatorum Societatis Doctorum praxis ad initio conſtans fuit, in diſciplina morali communiores & probabiliores ſententias ſequi; à quâ praxi, mirabile eſt, in tanto numero Doctorum, tam paucos, vix unum aut alterum deflexiſſe: plerique tamen, non diſſimulo, ſecuti ſunt Doctrinam probabiliſmi reflexam ſeu principium illud generale, quo ſtatuitur licentia ſequendi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore; ſed ideò talem doctrinam ſecuti ſunt, quia illam ſuo tempore & communiorem invenerunt, & probabiliorem bonâ fide crediderunt.

Dices. Probabiliſmum Schola aliqua genuit: ſed non alia genuit, quam Jeſuitica: cæteræ enim Scholæ omnes talem à ſe partum unanimiter ablegant: nulla ut ſuum agnoſcit. Reſpondeo. Probabiliſmum fateor ex Scholâ aliquâ genitum; demonſtravi, eundem non eſſe genitum ex Scholâ Societatis, ac proindè ex aliâ Scholâ veniſſe: abſit tamen à me, ut uni alicui Scholæ determinatè talem partum adſcribam: laudo zelum ſingularum Scholarum, in eo à ſe ablegando: negent ſingulæ ſuum eſſe, altera in alteram rejiciat: conficitur indè hoc unum, quod volo; incertum eſſe ex quâ primùm Scholâ prodierit. Litigabant duæ mulieres de uno eodemque partu: una clamabat meus eſt: reclamabat altera non eſt tuus, ſed meus; utrâque auditâ pronuntiavit Salomon:

dividatur: cui judicio acquievit, quæ mater non erat: vera mater intercessit, & totum infantem suum cedere alteri maluit. Utinam in causâ dispari Salomon alter insurgeret: litigant de Probabilismo Scholæ ferè omnes; talem partum singulæ sibi impositum respuunt: altera rejicit in alteram; & dicunt singulæ invicem; non est meus, sed tuus: quid superest, nisi ut vel dividatur singulis, vel, quod est optandum magis, extra omnem Scholam mittatur, alicubi depositus; donec, cujus tandem partus sit, melius constiterit.

Tertiò denique. Incertum est, quis fuerit primus author Probabilismi. Intelligitur ex supra dictis: cùm enim incertum sit tempus, quo primùm esse cœpit; incertus locus, in quo natus est; necesse est, incertum esse, quem primum authorem habuerit: nam si primus illius author sciretur; sciretur, & quo tempore vixerit, & ad quam Scholam pertinuerit: neutrum verò satis scitur. Et verò si sciatur primus author probabilismi, proprio nomine & caractere designetur: indè enim Historiæ lux non parva accedet. Sed quisquis ille fuerit probabilismi author, certum est, non fuisse unum aliquem de Societate: quicumque enim de Societate probabilismum secuti sunt, alios habent, & agnoscunt ante se probabilistas, ac proindè non primi authores sunt probabilismi, sed aliqui duntaxat sectatores. Primus quidem omnium de Societate probabilismum ex professo tractavit, & amplexus est Gabriel Vasquez Tomo 1. in primam secundæ, quem Tomum edidit anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo: sed idem ipse Vasquez Tomo citato, Disput. 62. c. 4. eam sententiam tradit, non ut privatam suam, aut à se adinventam, sed ut communem, & ab aliis acceptam: in quo planè non fallit: nam Gregorius de Valentia, qui ante Vasquem scripsit anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio eandem sententiam tangit & probat ut communem, Tomo 3. Disp. 5. Quæst. 7. Punct. 4. Petrus verò Navarrus l. 3. Operis sui de Restitutione c. 1. idem testatur, & communiorem sententiam appellat. *Juxta communiorem*, inquit, *sententiam Theologorum, sufficit ad securitatem conscientiæ, probabili opinioni se conformare, etiamsi minùs probabilis sit.* Librum autem suum vulgavit Navarrus anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo. Maneant igitur hæc duo certa. Unum est. Probabilismi primum authorem de Societate non fuisse. Alterum. Incertum tamen esse, quis fuerit primus probabilismi author. Ex quibus, credo, satis constat, quàm incerta sit origo probabilismi.

Incerta probabilismi origo, probabilismo non favet.

Objicies. Incerta origo probabilismi videtur favere probabilismo. In ipsa enim originis suæ incertitudine magnum habet argumentum doctrinæ antiquæ; nimirùm rectè creditur, ab initio & semper fuisse probabilismus, cujus exordium non invenitur: argumentum ut ita dicam doctrinæ divinæ; nam rectè censetur divinus esse probabilismus, & Deum ipsum habere authorem, qui authorem hominem non habuit, aut nescitur quem habuerit. Habent se Dogmata ut flumina, quæ si fortè specialem fontem non habent, referuntur ad Oceanum, seu prodire creduntur ex Oceano: ergo doctrina probabilismi, cùm ex nullo authore velut ex fonte prodierit, referri debet ad Christum totius veritatis fontem. Respondeo. Argu-

mentum in favorem probabilismi, ductum ex incerta illius origine, umbram fortè aliquam habet veritatis, sed rem planè non habet. Nam 1. dici non potest, ab initio & semper fuisse probabilismus, quem supra demonstravimus fuisse inauditum per septemdecim priora Ecclesiæ sæcula; nec nisi post tempora Concilii Tridentini prodiisse: quo verò præcisè tempore post Concilium Tridentinum prodierit, satis quidem incertum est, sed ea incertitudo, ut per se patet, ne suspicionem quidem rationabilem facere potest, probabilismi ab initio præexistentis. 2. Longè etiam minùs haberi debet pro dogmate divino probabilismus, eo præcisè quod illius author determinatè nesciatur: ita enim nescitur primus illius author, ut simul sciatur homo fuisse, quicumque ille fuerit: in angulo forte Eremi, aut Scholæ obscuritate suâ nimis latens: quare ad Christum totius veritatis fontem non benè refertur probabilismus eo prætextu quòd alium fontem non habeat; habet enim alium, providentiâ Dei nimis obscurum, nec satis orbi christiano manifestum.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Progressus Probabilismi obscurus.

Mirabilis est, ne quid dissimulem, & planè stupendus probabilismi progressus; idemque mirabiliter obscurus. Sunt duæ partes. *Progressus probabilismi stupendus.*

Prima facilè probatur. Quia probabilismus omnes ferè Scholas subitò invasit, primariis omnium ferè Sectarum Professoribus acceptus, & per totum orbem intra unius sæculi angustias, calente ut ita dicam contagione diffusus: nam si audiamus Antonium Cordubensem, seu de Corduba dictum, ut sanè meretur audiri gravissimus Theologus; vergente in finem sæculo præcedenti, regnabat adhuc in Scholis, & pacificè sine contradictione regnabat Antiprobabilismus: hoc enim ipsum testatur magnus ille vir in suo Quæstionario Theologico, quod dedit in lucem anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo: postquam enim statuit l. 2. Quæst. 3. Assert. 3. *Partem tutiorem eße tenendam, quando illa est probabilior opposita:* subjungit statim; *& in hoc omnes Theologi consentiunt.* Sed si fortè minùs credatur Antonio Cordubensi Antiprobabilistæ, ac proindè aliquatenus suspecto in causa opinionis suæ; credendum certè Francisco Amico eruditissimo Theologo Probabilistæ, sincerè tamen affirmanti; *Omnes ferè antiquos Theologos negare, licitum esse operari secundùm sententiam minùs tutam, & simul minùs probabilem: semperque ad licitè operandum ex sententiâ minùs tuta exigere, ut illa sit probabilior.* Ita ille. Regnabat ergo Antiprobabilismus, & pacificè regnabat, ultra medium sæculi præcedentis: sed stupendâ planè conversione doctrinæ, sub finem ejusdem sæculi, ad medium usque sæculi nostri regnare cœpit probabilismus; intra quod tempus, quod mirabile est, omnia ferè occupavit; adeo ut mirari potuerit Orbis Christianus, se esse probabilistam: sed ne qua exaggerationis suspicio fiat; lustremus obiter Doctores, quos habuit; familias,

quas invasit; Scholas, quas occupavit. Invasit ergo familiam S. Augustini in qua Michaëlem Salonium habuit, Doctorem Augustinianum, in suo volumine Venetiis edito sic asserentem. *Quando sunt duæ opiniones probabiles ex parte Juris; altera tamen probabilior; potest quilibet in suis privatis actionibus, dimissâ probabiliore, eligere probabilem.* Ita ille Quæstionem decidebat in favorem probabilismi anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo Controversiâ 2. Conclusione 4. Art. 4. in Quæstionem 68. S. Thomæ, suamque decisionem firmabat multis argumentis, simul admonens, multos ac gravissimos Theologos ita sentire, maximè ex Discipulis S. Thomæ: unde, ut vides Michaël Salonius nec primus author est Probabilismi, nec primus Probabilismo manus dedit; sed, ut testatur ipsemet, ab aliis iisque gravissimis Theologis præsertim Thomistis traditum accepit. Quidquid tamen sit, negari non potest, quin eo tempore Probabilismus Scholam S. Thomæ invaserit, & in eo plerosque insignes viros numeraverit. Nam qualis & quantus vir Bartholomæus de Medina, eximius, ut ab Antonio Senensi appellatur, & consummatissimus Doctor, cui Seraphicus Cavalli Generalis Ordinis præceptum fecit edendi in lucem aureas suas in S. Thomam Expositiones: decisio autem tanti veri hæc est. *Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licèt opposita probabilior sit.* Ita ille in primam secundæ Quæst. 19. Art. 7. Qualis & quantus Didacus Alvarez, famosus ille Gratiæ Prædeterminantis Defensor in Disputatione de Auxiliis. Verba illius sunt, minùs quidem exacta ad leges Grammaticæ, sed satis exacta ad exprimendam Authoris mentem. *Potest sequi opinio practicè probabilis, relictâ probabiliore.* Profitetur autem, in sua illa sententia sequi se Medinam, & alios doctissimos Thomistas. *Tenet*, inquit, *hanc sententiam Magister Medina, & alii doctissimi Thomistæ.* Qualis & quantus Dominicus Bannez, quem S. Theresia Directorem habuit, & probavit: sed ille ipse in primam secundæ Quæst. 10. in favorem Probabilismi sic pronuntiat. *Verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem relictâ probabiliore.* Qualis & quantus Paulus Nazarius, præstantissimus ille vir, & doctrinæ Thomisticæ propugnator acerrimus; talem enim nobis Fernandez depingit, in sua Scriptorum Ordinis Bibliotheca: Nazarius autem talis ac tantus vir Opusculo 2. Quæstionem rotundè decidit. *Potest*, inquit, *absque peccato in quam voluerit partem, sive illa sit magis probabilis, sive minùs, declinare.* Qualis & quantus Petrus Ledesma, qui per annos Quadraginta Theologiam docuit, multiplici titulo Professor emeritus: docuit autem ille Hispanicè, licitum esse Judici sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore; eamque doctrinam declaravit esse Medinæ, aliorumque Doctorum, præsertim Thomistarum. Parte 2. Summæ suæ Tract. 8. c. 22. Qualis & quantus Gregorius Martinez, ingenii acumine, ut ait idem qui supra Fernandez, & perspicacia cum multis comparandus: censet autem Martinez in primam secundæ Quæst. 9. Art. 6. Licitum esse sequi non solùm alterutram ex duabus partibus probabilibus, sed etiam minùs probabilem, relictâ probabiliore. Sufficiant, quos hîc recensui, insignes Doctores ex Schola S. Thomæ; fue-

runt;

funt enim illi fine controverfia prima Capita Thomiftarum, feu noftri feu fuperioris fæculi: nec dubium eft, quin alios ejufdem ordinis magnos viros pondere authoritatis fuæ ad probabilifmum devolverint: devolverunt fanè, & plures fententiæ illius fuæ fequaces habuerunt. Talis fuit Vincentius Candidus facri Palatii Magifter, definiens tomo 1. Difquif. 3. art. 2. Poffe quemque, feu in Confeffione, feu extra Confeffionem confultum, fequi in omni materia opinionem probabilem, ac etiam aliis confulere, relictâ probabiliore. Talis Joannes Baptifta Ildephonfus, cujus præclari Commentarii in primam fecundæ, Capituli Generalis approbationem meruerunt, & formali præcepto ejufdem Capituli juffi funt mandari Typis anno millefimo quadragefimo quarto. Quæftionem autem generaliter decidit Ildephonfus his verbis *Poteft homo fequi quamcumque opinionem practicè probabilem.* Tales denique alii multi & magni Thomiftæ, tanto numero & confenfu, ut Stephanus Defchamps, Societatis Jefu Theologus, vir accuratus in legendo, & in citando fidelis, fanctè teftetur in Opufculo fuo, quod infcribitur *Quæftio facti*, à temporibus Bartholomæi Medinæ, qui jam à centum annis probabilifmum docuerat, & vulgaverat, ad ætatem ufque, quâ ipfe fcriberet, nullum fe legiffe Thomiftam, qui contra fentiret, aut alium Thomiftam citaret contrafentientem: fluxerunt autem quadraginta anni, ex quo factum ejufmodi, infignis ille vir, nullo quod fciamus, nifi fortè Alexandro contradicente, afleveravit. Sed fi Scholam S. Thomæ invafit probabilifmus, invafit quoque Scholam Societatis, & quidem neceffitate confequentiæ ferè inevitabili: cum enim ex Conftitutione S. Ignatii Fundatoris haberet Societas Jefu S. Thomam pro fuo Doctore, & viderent primi Societatis Theologi, primarios fui temporis Thomiftas probabiliftas effe, facilè præfumpferunt, probabilifmum doctrinam effe S. Thomæ, quam Thomiftæ in ipfo S. Thoma velut in fonte hauffiffent; excufandi illi quidem aliquatenus in fua præfumptione; feliciores tamen, & fapientiores futuri, fi fortè in materia probabilifmi idem feciffent, quod in materia Gratiæ Prædeterminantis deinceps fecerunt, hoc eft, fi non contenti rivulis, quandoque limofis & impuris, ipfummet fontem purum & illimem adiiffent. Invafit ergo probabilifmus Scholam Societatis, ut nimis patet ex primis Societatis Theologis Gregorio de Valentia, qui fe ita non tulit pro authore probabilifmi, ut ei tamen vifus fit fuffragari. Ex Gabriele Vafquez, qui probabilifmum fuâ ætate communem, ut ipfemet fatetur, longè ultra fines antiquos produxit. Ex ipfo etiam Francifco Suarez, Doctore non pietate minùs quàm doctrinâ eximio, qui tamen non dubitavit afferere, juxta communem doctrinam; per fe licere fequi opinionem probabilem circa honeftatem actûs, relictâ probabiliore. Ex Leonardo quoque Leffio, qui ut in materia divinæ prædeftinationis benignam fecutus eft fententiam, ad commendandam Dei bonitatem erga homines, quæ fententia tantopere placuit S. Francifco Salefio, ita in materia morum probabilifmum fecutus eft, tanquam benignum & utilem, ad viam falutis peccatoribus infirmis complanandam. Denique ex Thoma Sanchez viro confulY

tiſſimo, qui probabiliſmi fautores ſeptemdecim numeravit, eique ſuum ipſe calculum dedit Tomo primo ſummæ ſuæ l. 1. c. 9. Nec diffiteor, quin primi illi Societatis Theologi ſuos deinceps habuerint magno numero ſectatores: habuerunt certè & Antonium Terillum in tomo de conſcientia probabili, & Mathæum de Moya tomo de ſelectis quæſtionibus, Martinum Eſparſa, alioſque magni nominis & meriti viros. Ipſas etiam celeberrimas Orbis Academias probabiliſmus invaſit, ne exceptâ quidem Sorbonâ, in qua numeravit Doctores Sorbonicos ſupra citatos, Philippum Gamachæum, Andream Duvallium, & Nicolaum Yzambertum: *nec plures*, inquit Stephanus Deſchamps, *ex hoc noſtro ſæculo ſcripſerant.* Nec in Academia ſolùm aut Lycæo ſtetit probabiliſmus: repſit ad Purpuram; nec Mitram Epiſcopalem reveritus eſt: decem enim Epiſcopos probabiliſtas recenſuit Stephanus Deſchamps in ſua Quæſtione facti: Cardinales quoque & Pontifices probabiliſmo accenſuit vabrarum Præſul Habertus in ſuo Opuſculo de opinione probabili. Undè manifeſtè apparet, quod primùm propoſueram, intra ſpatium unius ſæculi, mirabilem fuiſſe & ſtupendum probabiliſmi progreſſum.

Bonâ fide errarunt probabiliſtæ.

Objicies. Stupendus ille progreſſus probabiliſmi videtur habere divinum aliquid, & præ ſe fert ſpeciem patentiſſimæ veritatis, lumine ſuo omnia vincentis: incredibile enim prorſus eſt, tot ac tantos ex omni gente & genere Doctores facto veluti fœdere in errorem conveniſſe: convenire ergo neceſſe fuit, ex vi lucidiſſimæ & invictiſſimæ veritatis. Reſpondeo. Stupendus ille progreſſus probabiliſmi monſtroſi aliquid habet, non divini: nimirum monſtro ſimilis eſt ſpecioſus error, veritatis colorem & larvam ita induens, ut pro ipſa veritate paſſim accipiatur: quo ferè modo monſtrum eſt, homo plebeius Regis veſtitus inſignibus, & Regis perſonam ita ſuſtinens, ut pro Rege habeatur, qui Rex non eſt. Cæterum nova non eſt iſta erroris in veritatem transfiguratio, cujus ſcilicèt occurret exemplum multiplex viris eruditis, & in Hiſtoria Eccleſiæ verſatis. Abſit tamen à me & longè abſit, ut tot ac tantos probabiliſmi Doctores accuſem, aut ſuſpectos habeam voluntariæ conſpirationis in favorem erroris, aut conjurationis adversùs veritatem: honeſtiùs & rationabiliùs crediderim, eoſdem omnes, aut certè pleroſque, quod ſatis humanum eſt, in judicio probabiliſmi fuiſſe deluſos, & bonâ fide errorem ſpecioſum pro ipsâ veritate accepiſſe.

Quam ob rem producta hic in medium tanta illuſtrium probabiliſtarũ multitudo.

Inſtabis 1. Quorſum ergo à nobis producuntur & coacervantur, ex omni ferè natione quæ ſub cælo eſt, tot antiqui & famoſi probabiliſtæ? an probabiliſmo favere volumus, & reconciliari, quem ab initio tam acriter ſumus perſecuti? an nobis eſt animus, unâ manu dejectum & proſtratum, alterâ reſtituere? magni certè ponderis videri poteſt talium ac tantorum virorum authoritas: neque enim præſumet quiſquam ſapiens, tales ac tantos orbis Doctores, tam unanimi conſenſu in eam veniſſe ſententiam, niſi quia & à majoribus traditam & ſolidè fundatam invenerunt. Reſpondeo. Nec probabiliſmo favere volumus, nec ſemel dejectum reſtituere; ſed veritati & juſtitiæ ſervire: dicere ingenuè volumus, quod res eſt, & ſuum unicuique ſine ullâ fraude tribuere. Ni-

mirùm eò pertinet coacervatio illa nostra Authorum probabilismi, ut appareat undè sit probabilismus, & quibus præsertim originem, aut propagationem suam debeat: Hinc enim apparet 1. Doctrinam probabilismi non esse Summistarum opus, aut Casuistarum, sed primorum orbis Theologorum, quos Summistæ & Casuistæ breviarunt, & in suas Casuum summas transtulerunt. Apparet 2. Probabilismum non esse inventum, aut commentum proprium Jesuitarum, sed Thomistarum magis, quos Jesuitæ secuti sunt, & sequi aliquo modo debuerunt propter debitam magnis viris & præcipuè S. Thomæ reverentiam. Apparet 3. Invidiam adinventionis, aut propagationis probabilismi, quantacumque sit, non esse totam imponendam Societati, ut à quibusdam imponitur, sed aliis etiam probabilistis accommodâ distributione partiendam, ne fieri videatur iniqua acceptio personarum. Apparet 4. A nota imprudentiæ & temeritatis posteriores probabilistas vindicari, qui post talem ac tantam turbam insignium Doctorum præeuntium in probabilismum iverunt. Apparet 5. Habere me quoque excusationem aliquam, si tantorum virorum vestigiis insistens, probabilismum & ipse docuerim; id enim feci bonâ fide, nec primus, nec solus; sed probabilismum ita temperans, & tam arctis finibus coercens, ut ne ipsis quidem antiprobabilistis displiceret.

Instabis 2. Diffusa illa toto sæculo talium ac tantorum probabilistarum authoritas tanti ponderis est, ut probabilismum faciat antiprobabilismo longè probabiliorem: ergo valet eadem ad restituendum probabilismum, eumque planè restituit. Consequentia negari non potest: intelligitur enim restitui probabilismus, eo ipso quòd intelligitur restitui licentia sequendi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore: talis autem licentia restitui intelligitur, ex quo intelligitur probabilismus fieri probabilior antiprobabilismo: jam evidenter argui potest pro licentiâ sequendi opinionem minùs probabilem; idque in hunc modum. Licet facere, quod probabilius est licere: atqui probabilius est licere sequi opinionem minùs probabilem: ergo licet illam sequi. Major syllogismi Propositio habetur ex ipsâ confessione antiprobabilistarum, qui ferè omnes ad operandum sufficere volunt probabilitatem majorem libertatis: Minor verò Propositio est formaliter ipsa hypothesis probabilismi antiprobabilismo probabilioris: probabilismum enim esse probabiliorem, nihil aliud est, quàm esse probabilius, licere sequi opinionem minùs probabilem: quæcumque ergo detur opinio minùs probabilis, demonstrari poterit licere illam sequi. Rem pono in Exemplo. Minùs probabile sit, licere pingere in die festo: demonstro tamen licere id ipsum quod minùs probabile est licere; & sic argumentor. Licet facere, quod probabilius est licere: atqui probabilius est licere pingere in die festo: ergo licet pingere in die festo. Majorem Propositionem ne ipsi quidem antiprobabilistæ negabunt, exceptis fortè pauculis quibusdam judicio nostro severioribus: Minorem verò ostendo. Probabilius est licere sequi in operando opinionem minùs probabilem. Est autem opinio minùs probabilis, licere pingere in die festo. Ergo probabilius est licere il-

Antiprobabilismi authoritas longe major authoritate probabilismi.

lam ſequi in operando, ſeu quod idem eſt, licere pingere in die feſto? Stet igitur pro demonſtrato, probabiliſmum ex hoc ipſo reſtitui, quòd ſit probabilior antiprobabiliſmo: intelligitur autem probabilior fieri, ex authoritate talium ac tantorum probabiliſtarum per ſpatium unius ſæculi diffuſâ, eaque tali ac tantâ, ut parem non habeat antiprobabiliſmus. Reſpondeo. Nego Antecedens. Ratio negandi; quia talium ac tantorum virorum probabiliſmo faventium authoritas, gravis quidem eſt, ſed ita gravis ut elevetur per authoritatem antiprobabiliſmo faventem, eamque multis titulis graviorem. Nam 1. Authoritas probabiliſmo favens authoritas eſt de novitate veniens; authoritas verò favens antiprobabiliſmo, authoritas eſt veniens de antiquitate; præſtare autem debet novitati antiquitas ubi agitur de regulâ morum; & recurrit hîc dictum illud grave Vincentii Lirinenſis. *Deſinat novitas inceſſere vetuſtatem.* 2. Authoritas favens probabiliſmo intra ſpatium unius aut alterius ſæculi tota concluditur; ſed authoritas antiprobabiliſmo favens, per ſæcula quindecim, longè lateque diffunditur. 3. Authoritas favens probabiliſmo, authoritas eſt, ut ita dicam; filiorum, ſeu novellorum Eccleſiæ Doctorum; authoritas verò antiprobabiliſmo favens, antiquorum Patrum authoritas eſt, tanto exceſſu præponderans authoritati filiorum, quanto ſolent filiis patres præponderare. 4. Authoritas favens probabiliſmo, authoritas quædam humana eſt, tota ferè veniens de ratione & ſapientiâ humanâ; authoritas verò antiprobabiliſmo favens, fundatur tota in rationibus divinis; puta in ipsâ ideâ Dei bene penetratâ; in primis prudentiæ regulis Dei digito exaratis; in verbo divino, ſeu ſcripto, ſeu tradito; in ſacrâ Canonum diſciplinâ; in ſenſu & guſtu Eccleſiæ ab ipſis Chriſtianiſmi incunabulis ad noſtram uſque ætatem, aut certè proximè ſuperiorem: quas rationes divinas dum ſupra expoſui, mihi viſus ſum demonſtrare, probabiliſmum non eſſe antiprobabiliſmo probabiliorem, ſed longè minùs probabilem, & ita dejectum divinâ authoritate ut reſtitui humanâ authoritate non poſſit. Nam quis hominum reſtituere valeat, quod reprobavit Dominus, aut corrigere, quod ille deſpexit? Non nego tamen, quin aliquibus probabiliſtis, ex quadam inadvertentiâ ad antiquitatem, eaque fortè invincibili & inculpatâ, probabiliſmus videri potuerit eſſe probabilior: nam quod mihi ſentio eveniſſe, potuit evenire & aliis: mihi enim probabiliſmus videbatur aliquando probabilior; ſed ideò quia ita attendebam ad authoritatem probabiliſtarum, ſeu noſtri, ſeu ſuperioris ævi, ut ad antiquorum authoritatem non ſatis reſpicerem, ad quam ubi ſeriò reſpicere cœpi, agnovi errorem meum & antiprobabiliſmum judicavi probabiliſmo longè probabiliorem eſſe.

Inſtabis 3. Inſignes illos probabiliſtas viros eximios; prima illa Capita Thomiſtarum; primos illos Societatis Theologos; Doctores illos Sorbonæ principes; famoſos denique illos omnium ferè Academiarum & Ordinum Profeſſores, eoſdemque probabiliſtas; quis credat, non vidiſſe, quod nos hodie videmus, aut videre imaginamur? ſiquidem illi ut erant propiores antiquitati, commodiùs videre potuerunt, quàm nos, qui uno aut altero ſæculo ab antiquitate ſumus remotiores: non vide-

runt tamen illi: nam si vidissent, non fuissent rebelles tanto lumini, sed in Traditione Patrum religiosè stetissent, ac proindè non probabilismum, sed antiprobabilismum, à Patribus acceptum, & ipsi posteris suis tradidissent. Respondeo. Magnum mysterium est, non diffiteor, ista prætéritio, aut dissimulatio antiquitatis, in talibus ac tantis viris: sed ex hoc ipso mysterio conficitur, quod proposui in primâ parte Paragraphi: mirabilem esse & stupendum probabilismi progressum. Venio ad alteram partem, quæ est ipsamet progressûs obscuritas: ideò enim stupendus est, quia obscurus; non in se quidem, sed in causâ: nam si pateret vera causa illius, stupendus credo non esset: admirabilitatem & stuporem facit obscuritas causæ; minuet, ut spero, revelatio obscuritatis: aggredior enim revelare vias probabilismi obscuras, totumque stupendi progressûs negotium.

Causæ probabilismi in doctrinam moralem introducti.

Ignorabat sapiens, & fatebatur ignorare se viam Aquilæ in Cælo, & viam Colubri super terram: ignoro ego magis viam probabilismi, & ignorare me fateor: juvat tamen inquirere, quo tandem modo ignotus toti retro antiquitati probabilismus, intra unius sæculi angustias, tales ac tantos in orbe christiano progressus fecerit: mysterium certè dignum inquiri & propalari: monstrare igitur habeo vias probabilismi occultas; detegere artes subtiles, quæ probabilismum promoverunt; & causas humanas ac naturales revelare, quæ progressum illius juvare potuerunt: ex quarum revelatione causarum intelligetur, ut spero, nihil divini, aut miraculosi habere stupendum illum progressum, quem opponere solent probabilistæ, ut fucum faciant simplicioribus Christi Fidelibus, & novellæ suæ opinioni famam divinitatis aliquam concilient. Singula persequamur.

Primò. Fieri potest, ut plerique Doctores probabilistæ non satis respexerint ad sensum primæ & venerandæ antiquitatis: contingit enim non raró, id quod nimis familiari constat experientiâ, Theologos præsertim Scholasticos, viros alioqui magnos, satis esse antiquitatis ignaros & negligentes: ista verò seu ignorantia, seu negligentia antiquitatis potuit esse via quædam obscura probabilismi: nam si ad sensum antiquorum satis respexissent primi illi probabilistæ, hæsitassent fortè ad altum illud totius antiquitatis de probabilismo silentium; nec tradidissent, credo, posteris eam regulam morum, quam veneranda antiquitas ignorasset.

Secundò. Fieri potest, ut probabilistæ nonnulli audaciores, amore novitatis abstracti, deflexerint à sententiâ suorum antecessorum, quos satis constabat, fuisse antiprobabilistas, & consensisse unanimiter, partem tutiorem tenendam esse, quando probabilior est parte oppositâ. Talem enim consensum unanimem testabatur Antoninus de Corduba Franciscanus, sub finem sæculi præcedentis in suo Quæstionario l. 2. Quæst. 3. Assert. 1. *Et in hoc*, inquit, *omnes Theologi consentiunt.* Iste igitur seu amor novitatis, seu contemptus sententiæ Majorum, nonnihil conferre potuit ad progressum probabilismi.

Tertiò. Cùm in Scholâ natus sit probabilismus, fieri potest, ut inter Collegas Professores exortâ, quod ferè fit, æmulatione, probabilis-

mus uni alicui placuerit, vel eo nomine, quòd alteri placeret antiprobabilismus. Quidni enim in materia probabilismi contingere potuerit, quod in aliis controversiis quotidie usuvenit, in quibus Theologi invicem dissident ex solâ libidine contradicendi, & alter alteri optionem sententiæ dat, paratus semper oppositam sequi, & illud ipsum usurpans, ex amore jurgii & contentionis, quod usurpabat Abraham ex amore pacis & concordiæ: *Si ad dexteram ieris ego ad sinistram ibo: sinistram si tenueris, ego dextram tenebo.* Ista autem æmulatio & contradicendi libido juvare multum potuit ad probabilismum dilatandum.

Quartò. Fieri potest, ut insignes Theologi de genere eorum, qui jurant in verba Magistri, ejusque doctrinæ quodam veluti militiæ Sacramento obstructi sunt, cùm forté toti essent in Magistro suo Commentariis illustrando, probabilismum in eo invenerint, aut se invenisse crediderint: ex hoc autem necesse fuit, eosdem Discipulos & Commentatores probabilistas evadere, & probabilismi non modò acerrimos defensores, sed etiam propagatores zelantissimos.

Quintò. Fieri potest, ut magni & sancti viri, ex indulgentia & condescensu erga peccatores infirmos, probabilismum secuti sint, ut sententiam benignam, quâ fieri videbatur via salutis facilior, & jugum Christi suavius: nec videri poterat talis benignitas intempestiva, eâ præsertim ætate, in quâ periculum erat, ne Fideles, severitate nimiâ exasperati transirent in Castra Hæreticorum, & in hæresim declinarent, amore vitæ laxioris illecti: zelus ergo retinendi Fideles in sinu Ecclesiæ, viros bonos movere potuit ad laxandam regulam morum, & probabilismum amplectendum.

Sextò. Cum probabilismus argumenta quædam habeat speciosa & plausibilia, fieri potest, ut plerique blandienti veri specie capti fuerint, & manus probabilismo dederint: ista enim species veri, nihil dubium est, quin probabilismi causam vehementer promoverit.

Septimò. Inter primos probabilistas negari non potest, quin fuerint viri magni, in Canonum disciplinâ versati: sed isti fortè cùm in Canone aliquo invenissent ignorantiam probabilibus argumentis excusari, & licere sequi opinionem probabilem; regulam Canonicam extenderunt ad quamcumqùe probabilitatem, etiam minorem; & opinionem probabilem acceperunt pro quacumque opinione nixâ argumento gravi, in quâ suâ acceptione planè æquivocati sunt. Nam opinio probabilis, quam licet sequi, non est quæcumque opinio nixa argumento gravi, sed opinio quæ viris sapientibus probari potest, & ab iisdem prudenter acceptari, cujusmodi non est opinio minùs probabilis, sed sola probabilior: nec probabilibus quibusdam argumentis ignorantia excusatur, sed probabilioribus. Ista igitur æquivocatio magnorum virorum causa aliqua fuit probabilismi amplectendi. Atque eæ ferè sunt causæ naturales & humanæ satis obviæ, quæ cum vel omnes, vel pleræque in ipso probabilismi exordio intervenerint, jam ille probabilismi progressus non adeò mirabilis, aut stupendus, multò etiam minùs divinus; sed planè humanus, & naturalis videri debet.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Fallentia Probabilismi Incrementa.

Probabilismi incrementa ex multiplici capite.

QUI intra breve tempus omnia pervaserat probabilismus, non stetit semper in eodem gradu, sed crevit eundo, & quidem multipliciter. Crevit enim ex parte probabilitatis. Crevit ex parte motivi probabilitatem fundantis. Crevit ex parte materiæ, in qua versatur probabilitas. Crevit ex parte opinionis probabilis. Crevit denique ex multiplici abusu tum Doctorum probabilistarum, tum etiam Discipulorum sequacium: ita autem sensim & paulatim omni ex parte crevit, ut crescendo plerosque omnes aliquando fefellerit. Quare visum nobis est, notare distinctè omnia illius incrementa fallentia; notasse enim, ut mihi quidem videtur, idem ferè erit ac profligasse.

Non requiritur ad rectè operandū perfecta evidentia aut plena certitudo; sed sufficit certitudo quædam moralis licentiæ operandi ex magna aliqua probabilitate veniens.

Doctrina est antiquorum & primorum temporum, doctrina sana & irreprehensibilis, ita sufficere ad operandum veram aliquam probabilitatem licentiæ operandi, ut nec perfecta evidentia, nec plena certitudo requiratur ad rectè operandum, sed sufficiat certitudo quædam moralis ex magna aliqua probabilitate veniens. Ratio autem hujus doctrinæ hæc est. Quia in rebus moralibus, cùm nonnisi raro haberi possit omnimoda evidentia, aut plena certitudo licentiæ operandi, si fortè requireretur alterutra ad licitè operandum, fieret homini passim anxietas nimia, & morosior quædam hæsitatio in suis operationibus. Quare sapienter definit S. Thomas, Theologiam Christianam rationabiliter arguere ex probabilibus, seu quod idem est, argumenta probabilia sufficere ad concludendum. Probabilia autem dicuntur esse, quæ viris sapientibus rationabiliter probari, & ab iisdem prudenter acceptari possunt: ergo in Theologiâ Christianâ, cujus præcipua pars est disciplina moralis, rectè arguitur ex probabilibus, seu quod idem est, in disciplinâ morali sufficit vera aliqua probabilitas ad rectè concludendum, & ex rectâ conclusione rectè operandum. Hæc est doctrina sani & antiqui probabilismi; quæ doctrina à Majoribus tradita, cùm ab ipso Christianismi initio ad penultimum usque Ecclesiæ sæculum pura & incorrupta pervenisset, paulò post tamen, seu divinâ permissione, seu vitio humano, in benigniorem quemdam probabilismum degeneravit. Quibus verò gradibus eò tandem venerit probabilismus operæ pretium erit breviter indicére.

Crevit 1. probabilismus ex attentione ad solam probabilitatem libertatis.

Ex parte quidem probabilitatis crevit probabilismus multipliciter. Primus autem gradus incrementi est, attentio ad solam probabilitatem libertatis, sine ullo respectu ad probabilitatem legis libertatem ligantis. Nimirum ita statuerunt nonnulli probabilistæ; ex quo facta semel est probabilis libertas à lege, continuò licitum esse operari secundùm libertatem, sine ulteriori inquisitione probabilitatis legi faventis: atqui in hoc inquisitionis neglectu apparet statim manifesta præcipitatio judicii: hoc enim est, litem adjudicare uni parti parte alterâ inauditâ. Et verò

satis patet, non licere operari secundùm libertatem nisi præmissâ sufficienti inquisitione, an fortè sit aliqua lex libertatem ligans & operationem prohibens: talem enim inquisitionem negligere, nihil aliud est, quàm velle legem fraudare, aut saltem exponere se periculo violandæ legis illius, cujus inquisitio negligitur. Secundus incrementi gradus est, injusta quædam coæquatio probabilitatis libertati faventis, cum æquali probabilitate legis libertatem ligantis, ita ut ex quo libertas à lege æquè probabilis est ac lex divina libertatem ligans, licitum esse dicatur, operari secundùm libertatem, & legem æquè probabilem negligere; non minùs quàm licitum sit, operari secundùm legem, neglectâ libertate æquè probabili; quæ coæquatio majestati Dei injuriosa est: habet enim Deus jus irrefragabile prælationis supra libertatem, etiam in causâ pari, ut fusiùs demonstrabitur Quæstione 2. nostri Tractatûs. Tertius incrementi gradus est, iniqua prælatio probabilitatis minoris, quæ libertati favet, majori probabilitati quę favet legi: nam quod vera aliqua probabilitas libertatis à lege sufficiat ad operandum, deduxerunt probabilistæ, sufficere etiam minorem probabilitatem libertatis, neglectâ majore probabilitate legis; in quâ prælatione videtur esse aperta iniquitas, & acceptio iniqua personarum. Deus enim creaturæ, & libertas humana legi divinæ præfertur, etiam in causa dispari. Quartus gradus est, vana quædam modificatio probabilitatis ad operandum sufficientis: cum enim primi probabilistæ requirerent probabilitatem certam, posteriores nonnulli contenti fuerunt probabilitate quâdam incertâ, & duntaxat probabili; in quo dogmate patet ampla quędam laxitatis abyssus: nam si probabilitas certa non requiritur, ad licitè operandum, sed sufficit incerta, poterit quis operari licitè, etiam incertus an sibi liceat operari. Quintus gradus est enormis quędam ampliatio, seu extensio probabilitatis ad operandum sufficientis: ulteriùs enim progressi probabilistæ nonnulli, dicere ausi sunt, sufficere etiam minimam probabilitatem; quia & ipsa minima intra fines probabilitatis continetur. Atque hic est abyssi fundus: nam si minima probabilitas libertatis sufficit ad operandum licitè, cùm eadem ferè conjuncta sit cum probabilitate notabiliter majore, & morali quadam certitudine legis libertatem ligantis, poterit quis licitè operari, certus moraliter de existentiâ legis divinæ operari prohibentis; quod planè monstrosum est, & Christianis auribus indignum.

Crevit 2. ex injusta coæquatione probabilitatis libertati faventis, cum probabilitate legis libertatem ligantis.

Crevit 3. ex iniqua prælatione probabilitatis minoris.

Crevit 4. ex mala modificatione probabilitatis ad agendū sufficientis.

Crevit 5. ex parte motivi probabilitatem fundantis, inique spectati.

Crevit item probabilismus ex parte motivi probabilitatem fundantis. Istius verò incrementi primus gradus est, præcisio motivi gravis libertati faventis, à motivis legi faventibus & contraponderantibus: nam cùm motivum veram probabilitatem fundans debeat esse motivum grave, & ita grave, ut omnibus hinc indè perpensis, movere possit virum sapientem ad judicandam prudenter libertatem à lege; Probabilistæ nonnulli tale motivum ut facilius haberent, motivum grave libertati favens spectari voluerunt seorsum à motivis legi faventibus, sub quâ consideratione videri potest grave, quod leve est; & libertatis humanæ apparentiâ legem divinam suis omnibus motivis destitutam elevare: nimirùm quod leve

leve est, in unâ stateræ lance positum, facilè elevat lancem alteram omni pondere vacuam. Grave igitur motivum favens libertati, & sufficiens ad fundandam libertatis probabilitatem, tale esse debet, ut præponderet motivis omnibus legi faventibus; nam si non præponderet, movere non potest ad assensum prudentem. Alter gradus est, imaginatio gravitatis perseverantis in motivo, etiam quando non perseverat: nam alii quidam probabilistæ motivum grave probabilitatem fundans stare voluerunt cum totâ gravitate suâ, & sufficere etiam in concursu motivorum graviorum fundantium probabilitatem legis; in quo tamen concursu satis evidens est, non habere gravitatem sufficientem: nam gravitas illa non est sufficiens, quæ in staterâ justâ necessariò elevatur per gravitatem contraponderantem: gravitas autem minor motivi fundantis probabilitatem libertatis, necessariò elevatur per gravitatem contraponderantem motivorum fundantium probabilitatem legis: major enim gravitas in staterâ justâ minorem elevat; & dolosa est quæcumque statera in quâ non elevat. Tertius gradus est vana exaggeratio motivi fundantis probabilitatem libertatis: alii enim probabilistæ, quodcumque motivum vel uni alicui sapienti visum fuerit grave & sufficiens ad fundandam probabilitatem libertatis, reipsa grave & sufficiens esse definierunt, quantumcumque leve aliis omnibus aut plerisque sapientibus apparuerit; ex quâ motivi legis inflatione aperitur janua infinitis probabilitatibus: nam ut habent sapientes ipsi evidentias suas personales in tanto numero sapientum, aut eorum qui sapientes sibi videntur, aut videri volunt, facile est uni cuipiam illorum videri grave motivum, quod aliis omnibus, aut certè plerisque vanum apparet. Quartus gradus est, extenuatio fundamenti ad veram probabilitatem libertatis fundandam requisiti: nam unius viri probi & sapientis authoritatem sufficere, ad fundandam libertatis probabilitatem, audacter definierunt recentiores quidam probabilistæ, specioso hoc sophismate illusi, & illudentes: quia nempe, inquiunt, prudenter creditur homini, quicumque rationabiliter præsumitur, nec fallere, nec falli: vir autem bonus & sapiens rationabiliter præsumitur, nec fallere quia bonus est, nec falli, quia sapiens: sed iste discursus, qui in materia levi, & in re nihili tolerari fortè posset, intolerabilis est in materiâ gravi, qualis ferè est materia moralis; tum quia repugnat fundamentali regulæ judiciorum, quæ ad fundandam gravem aliquam decisionem duos tresve testes requirit, nusquàm uno teste contenta; scriptum est enim, *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Tum quia falso nititur principio: nam etsi vir bonus & sapiens nec falli, nec fallere præsumatur; judicatur tamen posse idem, & fallere, & falli; quod sufficit ad authoritatem illius ita elevandam, ut jam non appareat sufficiens pro fundandâ libertatis probabilitate, nisi fortè apud hebetes & imperitos, nimis fortè credulos, & suspicionis rationabilis incapaces; tum denique quia viam latam aperit omni laxitati: vix enim est ulla opinio, quæ fautorem aliquem non habeat, eumque virum bonum & sapientem, seu verè, seu præsumptivè. Quintus gradus est, confusio temeraria gravitatis absolutæ cum respectivâ: quòd enim

authoritas unius viri boni & ſapientis gravis ſit & ſufficiens reſpectu puſillorum, ſimpliciter & abſolutè ſine ullâ diſtinctione pronuntiarunt aliqui probabiliſtæ, ſufficere authoritatem unius viri boni & ſapientis ad probabilitatem libertatis fundandam; quæ confuſio periculoſa eſt, fundamentum enim probabilitatis ſufficientis obtrudit, quaſi generaliter ſufficiens, quòd planè inſufficiens eſt reſpectu plurium: nam ſatis patet, authoritatem unius, quæ fortè ſufficit reſpectu puſillorum, non ſufficere eandem reſpectu grandiorum: nam evidens eſt, ſufficere authoritatem Parochi reſpectu ſuorum ruſticorum; authoritatem Pædagogi reſpectu puerorum; ſed non propterea ſufficere eamdem reſpectu cæterorum omnium.

Crevit 6. ex parte materiæ in quâ verſatur probabilitas, idque dupliciter.

Crevit quoque probabiliſmus ex parte materiæ, in quâ verſatur probabilitas: idque duobus præſertim modis. Primus autem incrementi gradus venit ex ſuppoſitione materiæ alienæ & extraneæ ad veram materiam probabilitatis ſufficientis. Nam cùm materia probabilitatis ſufficientis ad licitè operandum ſit ſola praxis, ſeu licentiâ operandi; probabiliſtæ tamen tali materiæ ſuppoſuerunt plures alias materias, quas tamen certum eſt probabilitati morali non ſubjacere, ſaltem directè & immediatè. Talis eſt materia Sacramentorum; materiam enim Sacramenti dubiam, aut minùs probabilem ſtatuerunt poſſe adhiberi, in concurſu materiæ certæ & minimè dubiæ. Talis materia Judiciorum; materiam enim probabilitatis moralis eſſe voluerunt jus minùs probabile partis unius, concurrens cum jure probabiliore partis alterius; ita ut poſſit judex litem adjudicare ei parti, quæ jus habet minùs probabile, etiam in concurſu alterius habentis jus probabilius. Talis materia conſiliorum; voluerunt enim, poſſe conſultorem, quod minùs eſt probabile, conſulere, & conſilium dare minùs probabiliter bonum. Talis materia defenſionum: voluerunt enim, poſſe Advocatum Clientis ſui cauſam ſuſcipere tuendam, quamvis minùs probabilem, & nihil obſtante causâ adverſarii probabiliore. Talis materia Electionum: deciderunt enim, ex duobus Competitoribus Cathedræ vacantis, poſſe ad Cathedram eligi competitorem, qui minùs probabile meritum habet, relicto competitore meriti probabilioris. Talis materia Beneficiorum: tradiderunt enim, etiam in concurſu aſſumi poſſe, minùs probabiliter dignum rejecto probabiliùs digno. Ecce quò pertineat iſta alienæ materiæ & extraneæ ſuppoſitio, & quantum laxiori probabiliſmo campum aperiat; talem profectò ac tantum, ut ad ſolam ſpeciem territi plerique ipſorum probabiliſtarum reſipuerint, & materiæ iſtius alienæ ſuppoſitionem directam & immediatam exploſerint; retinentes tamen indirectam & mediatam.

1. Ex ſuppoſitione materiæ quæ aliena & extranea eſt veræ & propriæ materiæ.

2. Ex falsâ conſequentiâ à minore probabilitate materiæ ſpeculativæ ad

Undè factus eſt alter incrementi gradus, ineptâ ſcilicèt & falsâ conſequentiâ à minore probabilitate materiæ ſpeculativæ ad minorem probabilitatem materiæ moralis & practicę, ſeu licentiæ operandi. Nimirùm iſti, quod ſatis viderunt fieri non poſſe directè & immediatè, obtinere tentarunt mediatè & per conſequentias; iidemque, ſi non rectâ viâ, obliquâ ſaltem & indirectâ in eandem laxitatis foveam reciderunt; ſtatuentes nimirùm, ex quo ſemel habetur materię ſpeculativę probabi-

ſitas, etiam minor judicari poſſe ſecundùm minorem illam probabilitatem relictâ majore: ex quo autem judicari poteſt ſecundùm minorem materiæ ſpeculativæ probabilitatem, haberi poſſe continuò probabilitatem minorem materiæ moralis, ſeu licentiæ operandi, & ſecundùm illam judicari. Explicatur in Exemplis ſupra allatis iſtius conſequentiæ periculoſa falſitas. Primum Exemplum ſit in aquâ roſaceâ, quam ſupponimus eſſe materiam Baptiſmi dubiam: ſi poteſt, inquiunt, judicari aqua roſacea eſſe materia idonea Baptiſmi, poteſt quoque judicari, licitum eſſe adhibere aquam roſaceam ad Baptiſmum, etiam in concurſu aquæ elementaris, materiæ certę & minimè dubię: una enim probabilitas alteram trahit, ſpeculativa practicam. Sed eſt iſta conſequentia manifeſtè falſa: datâ enim minore probabilitate de valore aquę roſaceæ ad Baptiſmum, poteſt certum eſſe, & reipſa certum eſt, non eſſe licentiam baptizandi in aquâ roſaceâ, ubi præſto eſt aqua elementaris. Alterum Exemplum ſit, in materiâ ſpeculativâ juris partium inæqualis: nam ſi minùs probabile eſt jus Sempronii, quàm jus Titii; poteſt, inquiunt, judex prudenter judicare, Sempronium habere jus: ex quo autem poteſt judicare Sempronium habere jus, poteſt idem litem adjudicare Sempronio. Sed conſequentia non valet: nam dato etiam probabili jure Sempronii, eſto, poſſit judicari Sempronium habere jus, non ſequitur tamen indè licentia adjudicandi litem Sempronio; poteſt enim eſſe aliundè certa obligatio adjudicandi litem Titio habenti jus probabilius: quia poteſt certum eſſe, & reipſa certum eſt, eſſe obligationem in Judice adjudicandi litem parti jus probabilius habenti. Tertium Exemplum ſit in conſilio minùs probabiliter bono: nam ſi minùs probabile eſt, conſilium aliquod bonum eſſe, poteſt, inquiunt, Conſultor judicare prudenter, conſilium bonum eſſe: ergo poteſt idem judicare, licitum ſibi eſſe dare tale conſilium; licet enim dare conſilium, quodcumque bonum eſſe judicatur. Sed vitioſa eſt conſequentia: datâ enim conſilii minùs probabilis bonitate, & dato judicio Conſultoris de bonitate conſilii, certum eſſe poteſt, & reipſa certum eſt, teneri Conſultorem requiſitum dare requirenti conſilium probabilius; & peccaturum contra fidelitatem, ſi ſuggerat conſilium minùs probabile, tacito aut diſſimulato probabiliore. Quartum Exemplum ſit, in defenſione cauſæ minùs probabilis: ſi enim, inquiunt, cauſa aliqua judicetur eſſe minùs probabilis, judicari poteſt eadem poſſe defendi licitè: poteſt enim Advocatus licitè defendere cauſam, quam bonam eſſe judicavit. Sed eodem vitio laborat iſta conſequentia: nam dato etiam, quod cauſa bona ſit, & judicetur minùs probabiliter bona, poteſt eſſe, & reipſa eſt in patrono obligatio non ſuſcipiendi talem cauſam, ne Clientem ſuum exponat jacturæ litis, & expenſis inutilibus objiciat. Quintum Exemplum ſit in jure minùs probabili Competitoris ad Cathedram vacantem. Nam dato illo jure Competitoris minùs probabili, eſto, poſſit Elector judicare Competitorem habere jus, non ſequitur tamen poſſe eumdem ſuffragium ſuum dare Competitori minùs probabile jus habenti; quia certa eſt obligatio in electore dandi ſuffragium ſuum digniori, ſeu jus ad Cathedram proba-

minorem probabilitatem materiæ practicæ.

bilius habenti. Sextum Exemplum ſit in jure minùs probabili Clerici concurrentis ad Beneficium: etſi enim fortè patronus Beneficii judicare poſſit, Clericum minùs probabiliter dignum habere jus ad Beneficium, non poteſt tamen judicare probabiliter, ſibi licere conferre Beneficium Clerico minùs probabiliter digno; quia ſcilicèt poteſt certum eſſe, & reipſa certum eſt, eſſe obligationem in Collatore Beneficium conferendi Clerico probabiliùs digno. Plura non dico de fallacibus à materiâ ſpeculativâ ad moralem conſequentiis, quæ ſi fortè in uſum deducerentur, nemo non videt, quantum in adminiſtratione Sacramentorum periculum nullitatis; quanta in Judiciis iniquitas; quanta in conſiliis infidelitas; quanta in defenſione cauſarum perverſitas; quanta in Electionibus acceptio perſonarum; quanta prævaricatio in collatione Beneficiorum; quanta demum in univerſo orbe chriſtiano diſciplinæ laxitas & corruptio morum eveniret.

Crevit 7. ex parte ipſius opinionis probabilis. Et quidem incremento multiplici. 1. Ex abuſu terminorum.

Crevit etiam probabiliſmus ex parte opinionis minùs probabilis, in minore probabilitate fundatæ, & quidem incremento multiplici crevit. Primus autem incrementi gradus eſt, malus aliquis intellectus terminorum: nam cùm antiqui & ſapientes probabiliſtæ per opinionem probabilem intellexiſſent opinionem prudenter acceptabilem, ratione habitâ omnium circumſtantiarum; recentiores ſignificationem terminorum alterantes ſubtiliter commenti ſunt, opinionem minùs probabilem eſſe quoque prudenter acceptabilem, etiam in concurſu probabilioris: ut enim, aïebant, minus bonum non deſinit bonum eſſe, eo quòd minus eſt, nec perdit rationem boni, quâ amari poſſit, etiam in præſentiâ boni melioris; ita nec opinio minùs probabilis deſinit eſſe probabilis propter oppoſitam probabiliorem, nec perdit probabilitatem ſuam, quâ poſſit prudenter acceptari, etiam in concurſu probabilioris. Ita illi, non ſatis attendentes ad diſcrimen, quod eſt inter bonum & probabile: nam majus quidem bonum non minuit rationem boni minoris, ac proindè nec amabilitatem illius: contra verò acceptabilitas major opinionis probabilioris deſtruit acceptabilitatem opinionis oppoſitæ minùs probabilis; cùm enim opinionem probabiliorem acceptare debeat, quicumque prudens eſt, ita ut imprudens ſit, qui non acceptat; facit iſta probabilioritas, ut opinio oppoſita minùs probabilis prudenter acceptari non poſſit, ſeu quod idem eſt, opinio minùs probabilis non ſit reipſa probabilis, ſed verè improbabilis; quia minùs habens ad prudentem acceptabilitatem, in quâ tamen acceptabilitate ſita eſt vera probabilitas.

2. Ex tranſitu à ſtatu probabilitatis abſoluto ad reſpectivum.

Secundus incrementi gradus eſt, tranſitus de ſtatu abſoluto opinionis minùs probabilis ad ſtatum ejuſdem reſpectivum: nam quòd antiqui fortè dixiſſent, licere ſequi opinionem minùs probabilem abſolutè & in ſe, relictâ opinione abſolutè & in ſe probabiliore; recentiores de ſtatu abſoluto tranſeuntes ad ſtatum reſpectivum ſtatuerunt licere etiam ſequi opinionem minùs probabilem reſpectivè ad operantem, relictâ opinione reſpectivè ad operantem probabiliore; cùm tamen diverſa ſit ſtatûs utriuſque ratio: nam poteſt quidem eſſe verum, & reipſa verum eſt, licere ſequi opinionem abſolutè & in ſe minùs probabilem, relictâ opinione abſolutè & in

ſe probabiliore ; quia fieri poteſt, & quandoque fit, ut opinio abſolutè & in ſe minùs probabilis probabilior appareat operanti ; & viciſſim, quæ abſolutè & in ſe probabilior eſt, appareat eidem operanti minùs probabilis : in quâ hypotheſi licet ſequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore ; ſed falſum eſt omninò, licere ſequi opinionem minùs probabilem reſpectivè ad operantem, relictâ oppoſitâ reſpectivè ad operantem probabiliore. Tertius gradus eſt, negligentia inquirendæ & obtinendæ veritatis: fuerunt enim, qui ſolâ probabilitate contenti dicere auſi ſunt ; nihil eſſe curandum de veritate opinionis ; nihil opus eſſe, ut opinio libertati favens judicetur vera, ſed ſufficere, ut judicetur probabilis. Atque hinc prodierunt ſummæ illæ Caſuum Conſcientiæ, ut appellant, ſeu Deciſionum Moralium compilationes, in quibus deciduntur ferè Quæſtiones ſecundùm probabilitatem, non ſecundùm veritatem ; nec tam inquiritur, quid verùm ſit, quàm quid probabile. Quartus gradus eſt, profeſſio aperta ſequendæ falſitatis : eò enim audaciæ venerunt aliqui, ut aſſeruerint, licere ſequi opinionem cognitam & judicatam ut falſam : quia, inquiunt falſitas etiam cognita & judicata non impedit probabilitatem opinionis, ac proindè nec licentiam operandi ſecundùm illam. Sed quid eſt hoc, niſi contra conſcientiam operari, ac proindè certò peccare ? peccat enim certò, quiſquis contra conſcientiam operatur. Quintus gradus eſt, attributio probabilitatis opinionibus levibus & improbabilibus, ſeu opinionum improbabilium transformatio in probabiles ; quâ transformatione factum eſt, magno Chriſtianæ Reipublicæ diſpendio, ut plerique novarum laxitatum authores diſciplinam moralem corruperint. Fecerunt iſti, quod falſæ monetæ cuſores ; opiniones improbabiles colore aliquo duntaxat probabilitatis imbuerunt, eaſdemque ut probabiles apud imperitum vulgus venditarunt : quo ferè modo falſi monetarii, ubi metallum aliquod inferius, æs aut ferrum, levi ſuperficie & colore auri vel argenti induerunt, æs aut ferrum pro vero auro & ſolido argento ad commercium exponunt, caſtigandi utrique ; ſed illi quàm iſti tantò ſeveriùs, quantò graviùs & periculoſiùs doctrina cœleſtis, quàm terreſtris moneta, alteratur & corrumpitur. Sextus gradus eſt, reflexio ſupra ipſam opinionem minùs probabilem libertati faventem, & quidem reflexio multiplex : nimirùm probabiliſtæ ſubtiliores cùm animadverterent, in opinione minùs probabili, ſi præcisè & directè ſpectetur, omnia eſſe incerta, ac proindè ex ea præcisè & directè ſpectata fieri non poſſe certam licentiam operandi, recurrerunt ad multas reflexiones, quarum ope quæſitam haberent licentiæ certitudinem. Prima reflexio eſt ſupra certitudinem probabilitatis opinioni minùs probabili convenientis : ex hac autem reflexione ſic diſcurrunt. Certum eſt, licitum eſſe, quod certò probabile eſt eſſe licitum : atqui certò probabile eſt, licitum eſſe operari ſecundùm libertatem, ubi libertati favet opinio minùs probabilis : ergo ubi opinio minùs probabilis libertati favet, certum eſt, licitum eſſe operari ſecundùm libertatem. Sed mirabilis eſt iſte diſcurſus, ne dicam mirabiliter falſus, in quo ſcilicèt infertur certitudo licentiæ operandi ex duabus Propoſitionibus, aut notoriè falſis, aut planè

3. Ex negligentia inquirendæ & proſequendæ veritatis.

4. Ex audacia ſequendi falſitatem.

5. Ex attributione probabilitatis opinionibus improbabilibus.

6. Ex multiplici reflexione ſupra ipſam opinionem probabilē.

incertis; cujusmodi sunt duæ præmissæ discursûs mirabilis: nam prima quidem præmissa notoriè falsa est: quod enim certò probabile est esse licitum, non est certò licitum simpliciter, sed ad summum certò probabiliter, & secundùm quid licitum, juxta mensuram suæ probabilitatis; seu ut clariùs dicam non habet licentiæ suæ certitudinem, sed ad summum certam probabilitatem: differt autem certa rei probabilitas ab ipsa rei certitudine: ergo quòd certa sit probabilitas licentiæ operandi, non indè præcisè haberi potest certitudo licentiæ. Altera verò præmissa aut falsa est, aut incerta: opinio enim minùs probabilis libertati favens in concursu probabilioris oppositæ faventis legi facere non potest certam probabilitatem licentiæ operandi, ut rectè arguunt antiprobabilistæ: ex quo enim opinio minùs probabilis est, eo ipso est minùs habens, ut prudenter acceptetur, ac proindè viro sapienti non acceptabilis est, & quod est consequens nec probabilis. Secunda reflexio est supra dubium legis veniens ex opinione minùs probabili libertatis. Undè sic arguunt Reflexistæ. Ex opinione minùs probabili libertatis fit dubia lex libertatem ligans: nam si non fieret dubia, maneret certa: manere autem certa non potest, stante opinione minùs probabili de illius non existentiâ; ex opinione igitur minùs probabili fit dubia lex: atqui lex dubia non obligat, quia in dubio melior est conditio possidentis; est autem libertas in possessione contra legem: ergo in dubio legis melior est conditio libertatis possidentis, ac proindè standum est pro libertate possidente contra legem dubiam. Sed ista Reflexistarum argumentatio ut vanitate lucet, ita frangitur veritate: opinio enim minùs probabilis libertati favens non potest facere legem dubiam, in concursu opinionis probabilioris legi faventis. Ratio est. Quia major legis probabilitas est moralis quædam certitudo legis: ergo opinio probabilior legi favens facit legem moraliter certam, ac proindè certò obligantem: nullum est igitur dubium legis probabilioris; nulla item possessio libertatis à lege minùs probabilis contra legem probabiliorem, sed est potiùs vera & certa possessio legis probabilioris contra libertatem minùs probabilem: ergo standum est, non pro libertate minùs probabili excludente legem, sed pro lege probabiliore libertatem ligante. Tertia reflexio est supra insufficientem legis promulgationem, aut propositionem: lex enim, inquiunt non obligat, nisi fuerit sufficienter promulgata & proposita: non est autem sufficienter promulgata & proposita lex in concursu opinionis minùs probabilis libertati faventis. Sed ista reflexio videtur esse hallucinatio similis priori: siquidem lex intelligitur sufficienter promulgata & proposita eo ipso quòd intelligitur esse probabilis & moraliter certa: probabilitas enim major, quæ moralis est certitudo legis, est eadem sufficiens quædam legis promulgatio & propositio. Ad hæc si reflexissent serio, non tentassent, credo, supra tam incertum & ruinosum fundamentum ædificare certitudinem licentiæ operandi: istę nimirùm qualescumque reflexiones eò duntaxat valere possunt, ut meliùs appareat, opinionem minùs probabilem non esse firmam petram sed instabilem arenam, supra quam nihil solidi, nihil certi ædificari possit.

Crevit denique probabilismus ex parte probabilistarum, seu Doctorum, seu Discipulorum. Ex parte quidem Doctorum probabilistarum crevit probabilismus abusu multiplici: aliqui enim Doctores, amore novitatis, toti fuerunt in refutandis opinionibus veterum bene fundatis, ut novas earum loco introducerent; homines ad hoc nati, ut evellerent, & destruerent, ædificarent & plantarent, disperderent & dissiparent. Nonnulli studuerunt emollire jugum Christi, placere volentes per vanas probabilitates. Quosdam impulit sola contradicendi libido, ut deserta sententia Magistrorum contrariam leviter sequerentur, non tam spiritu veritatis, quàm altercationis & contradictionis. Plerique ex inventione novellæ cujusdam opinionis, ut ex inventione novi Orbis, gloriam aliquam humanam sibi quæsierunt. Abundarunt alii in sensu suo, & nimiâ sui præfidentiâ, reputarunt esse probabile, atque ut probabile dederunt, quidquid sibi probabile videretur, despectâ & pro nihilo habitâ authoritate aliorum contrasentientium. Alii amore singularitatis adoptarunt, quod fuerat generatim ab Antiquis reprobatum, idemque seu robore ingenii, seu pondere authoritatis, tentarunt modis omnibus facere probabile. Ex illo autem abusu multiplici Doctorum probabilistarum, incredibile est, quantùm dilatatus fuerit probabilismus. Crevit 8. ex vario affectu probabilistarũ.

Hæc satis de fallentibus probabilismi incrementis, quæ tamen omnia absit à me ut singulis probabilistis imponam: neminem privatim accuso, aut nomino: veneror singulos pro ipsorum merito: plerosque credo prudenter & bonâ fide fuisse probabilismum secutos: scio etiam nonnullos, probabilismum ita temperasse & coarctasse, ut si intra terminos ab iis præscriptos steterit, nihil mali habere videatur: fecissent tamen & ipsi meliùs, si probabilismum radicitùs extirpassent: quandiu enim stabit radix, quam reliquerunt integram, ex ea novi & novi in dies surculi pullulabunt. Atque his ego moderatis & temperatis probabilistis non dubitavi olim adjungere me.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Varia & anceps probabilismi fortuna.

Variam & ancipitem probabilismi fortunam appello, varias & alternantes vices tenebrarum & luminis, silentii & clamoris, favoris & odii, belli & pacis, approbationis & reprobationis: quas vices bonus & justus Dominus permisit, aut voluit, ut probabilismus alternatim experiretur: probabilismus enim, pro diversitate temporum, locorum, & personarum, diversimodè se habuit; quasi ignotus & cognitus, à dextris & à sinistris, per ignobilitatem & bonam famam; modò pacificus, modò bellator; nunc probus, nunc reprobus; nunc verax, nunc seductor apparens. Fortunam istam probabilismi ancipitem & alternantem placet hîc subjicere oculis; nec erit opinor ingratum, aut otiosum spectaculum. Varia & anceps in Scholis Theologorum probabilismi fortuna.

Recolamus igitur 1. Quod supra demonstratum fuit probabilismum per

quindecim priora Ecclesiæ ſæcula jacuiſſe in tenebris, toti antiquitati inauditum, & orbi Chriſtiano ignotum.

Recolamus 2. Probabiliſmum, natum licèt in obſcuro Scholæ cujuſdam angulo, authore incerto & innominato, nihilominùs tamen ubi ſe prodidit, in omni ferè Schola liberaliter exceptum eſſe, ibique magnam lucem habuiſſe. Sed quantacumque fuerit illa lux, antiquas probabiliſmi tenebras, & primam natalium obſcuritatem purgare ſatis non valuit; quia ſcilicèt ex illâ luce nondùm apparuit, probabiliſmum eſſe regulam aliquam morum à Chriſto & Apoſtolis traditam; eique propterea ſemper adhæſit indelebilis nota ſuæ novitatis.

Probabiliſmus primos habuit Jeſuitas impugnatores.

Recolamus 3. Non diu duraſſe magnam illam probabiliſmi lucem, ex Scholæ favore venientem, brevi ſcilicèt obſcuratam multorum contradictionibus: nam ſub initium noſtri hujus ſæculi adversùs probabiliſmum inſurrexerunt aliqui Societatis Doctores, eventu ſatis mirabili, & poſteris fortè incredibili; quo factum eſt, ut qui quoſdam Jeſuitarum æmulos, primos habuerat defenſores probabiliſmus, Jeſuitas habuerit primos impugnatores: quod etſi quibuſdam incredibile, veriſſimum tamen eſt, & facilè demonſtrabile. Siquidem anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo Ferdinandus Rebellus è Societate Jeſu, Tomo 1. de Juſtitia & Jure probabiliſmum cœpit explodere, ut ſententiam certò falſam. Verba illius ſunt. *Certum eſt, neminem ſalvâ Conſcientiâ, ſequi poſſe opinionem, quæ minùs probabilis eſſe ab ipſo cognoſcitur.* Sed longè fuſius & ex profeſſo probabiliſmum refutavit Paulus Comitolus Jeſuita in ſuo Tomo Reſponſionum Moralium Quæſt. 5. Ubi inquirens, an ſit ſatis opinionem probabilem ſequi, probabiliore relictâ; ſententiam affirmantem fœdam prolapſionem appellare non dubitavit; negantem verò totis ingenii viribus, authoritate, & ratione firmare conatus eſt, ſapienter obſervans, Romanis Pontificibus in uſu eſſe, ut in ſuis Reſponſis partem probabiliorem conſtanter ſequantur, rejectâ minùs probabili. Scribebat autem Comitolus anno milleſimo ſexcenteſimo nono. Acceſſit aliquanto poſt Comitolo Candidus Philalethus, ſeu ſincerus amator veritatis; nam eo ſe nomine adumbravit Andreas Blancus è Societate Jeſu, Tractatum ſcribens luculentum & vehementem contra doctrinam probabiliſmi. Id quod teſtatur Joannes Baptiſta Gonetus in ſua Diſſertatione de Opinionum Probabilitate Art. 2. Par. 2. his verbis. *Candidus Philalethus*, inquit, *ſeu potiùs Andreas Blancus è Societate Jeſu, primus in Italia ſub eo nomine, adversùs ſententiam oppoſitam calamum ſtrinxit, &, ut ait Mercorus hujus noſtri ſæculi libertatem opinandi compeſcuit primus.* Magnum certè Elogium Candidi Philalethi, ſtans in ore duorum teſtium omni exceptione majorum, Mercori & Goneti Thomiſtarum: ſed pace dixerim ſeu Goneti, ſeu Mercori, videntur ambo ignoraſſe, Paulum Comitolum fuiſſe Italum, & annis plùs quam triginta Candido Philaletho, ſeu Blanco in refutatione probabiliſmi præiviſſe: ſcripſit enim Comitolus anno milleſimo ſexcenteſimo nono; Blancus autem nonniſi anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo: id verò ſi Gonetus & Mercorus ſciviſſent, nec ſolum, nec primum nominaſſent Candidum Philalethum probabiliſmi refutatorem Italum:

ſum: non ſolum; quia ſolus reipſa non fuit: non primum; quia Comitolum & ipſum Italum non modò ſocium habuit, ſed operæ ac laboris anteſignanum: quidquid verò ſit de Chronologico illo amborum errore, certum eſt, è Societate ita prodiiſſe tres primos probabiliſmi impugnatores, Rebellum, Comitolum, & Blancum, ut ante illos nemo, quod ſciamus, hoc noſtro ſæculo probabiliſmum impugnaverit: cæteri enim, quicumque adversùs probabiliſmum inſurrexerunt, cujuſcumque tandem Ordinis ſint, fuere omnes Rebello, Comitolo & Blanco poſteriores: nam quos citat ex ſuis contra probabiliſmum ſcriptoribus Reverendiſſimus Pater Cloche Magiſter Generalis Prædicatorum in ſuo Commentario Chronico Generalium Ordinis, omnes longo poſt intervallo venerunt: Julius ſcilicèt Mercorus, Joannes Martinez de Prado, Joannes Baptiſta Gonetus, Vincentius Contenſonus. Nec minùs tardi fuerunt, reſpectivè ad noſtros Antiprobabiliſtas ſupra memoratos famoſi illi Juriſconſulti Antonius Merenda Univerſitatis Bononienſis Profeſſor, in magno volumine ſuo contra Probabiliſmum, & Proſper Fagnanus utriuſque Juris intelligentiſſimus, in Tractatu quem edidit pro ſtatuenda obligatione ſequendi partem tutiorem, relictâ oppoſitâ, ſeu probabiliore, ſeu æquè probabili, ſeu minùs etiam probabili: Tractatu inquam excuſo Romæ ſeorſùm à ſuis Commentariis in Librum 1. Decretalium ad Caput *Ne innitaris*. Ex quibus Commentariis fuit excerptus. Scripſit autem Merenda anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto; Fagnanus verò anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto; ac proindè ſcripſerunt ambo longè poſt Rebellum, Comitolum & Blancum.

Recolamus 4. Per primos illos ſæculi noſtri Antiprobabiliſtas, ſeu Jeſuitas, ſeu Extraneos, probabiliſmum fuiſſe quidem aliquatenùs ſuccuſſum, ſed nondùm planè everſum, aut poſſeſſione ſuâ deturbatum: in Scholis nimirùm ut ante regnare aliquandiu perrexit, & quidem honorificè ſatis & pacificè, ſeu ſuſtentatus venerandâ authoritate progenitorum ſuorum quorum & famoſum nomen & memoria in benedictione erat, ſeu novorum probabiliſtarum acceſſione firmatus: Defenſores enim etiam tunc viſus eſt plures acquirere, quàm perdere; adeò ut cùm initio ſæculi Sanchez probabiliſta ſeptemdecim probabiliſmi fautores numeraſſet; Diana verò item probabiliſta progrediente ſæculo quatuordecim addidiſſet; Mercorus Antiprobabiliſta circa medium ſæculi quinquaginta novem probabiliſtas computaverit: neque hoc Mercori computo contentus Antonius Terillus, plures alios computo ſuo adjunxerit; ac deniquè Mathæus de Moya numerum probabiliſtarum Scriptorum ad octoginta extenderit.

Recolamus 5. Ex illâ Doctorum probabiliſtarum multitudine notabiliter creſcente neceſſariò eveniſſe, ut creſceret in dies licentia opinandi, probabiliſmi fines liberiùs laxarentur, & laxitas fallentibus ſenſim incrementis ultra omnem modum protenderetur. Atque hinc fieri cœpit commotio in populo Chriſtiano, & quædam conclamatio adversùs probabiliſmum.

Recolamus 6. Probabiliſmus ex quo ſemel diffamari cœpit, invidiam

illius totam ferè in Jeſuitas fuiſſe derivatam : ſolis enim ferè Jeſuitis attributus fuit probabiliſmus : ſed quo titulo, aut quo quæſito æquitatis colore facta fuerit tam iniqua attributio, aut diffamatio Jeſuitarum, nomine probabiliſmi, equidem non video. An quia Jeſuitæ probabiliſmum docuerant ? Docuerant quidem ; ſed non docuerant ſoli : docuerant enim alii plerique cum illis, ac proindè reatum hunc ſuum Jeſuitæ cum pleriſque aliis communem habebant, & quod eſt conſequens, vel abſolvendi Jeſuitæ videbantur cum aliis, vel alii cum Jeſuitis ex æquo damnandi. An quia fortè docuerant primi ? Sed notorium erat, probabiliſmum in Scholis fuiſſe auditum, priùs quàm in Scholâ Societatis audiretur. An quia Jeſuitæ videbantur in ſuo probabiliſmo cæteris laxiores ? ſed ſatis conſtabat in certis quibuſdam materiis, puta in materia juſtitiæ, & ſacramentorum primos Societatis Theologos laxitatem probabiliſmi longè magis quàm antiquos reſtrinxiſſe ; iiſque legibus totum probabiliſmum ita arctaſſe & concluſiſſe, ut diffundere ſe ultra non poſſet.

Recolamus 7. Bellum illud grave quod in Galliâ Probabiliſmo indictum eſt, à privatis quibuſdam qui propoſitiones ad probabiliſmum ſpectantes acriter inſectati ſunt. Tum ab Epiſcopis Gallicanis qui Apologiam Caſuiſtarum quæ tribuebatur Jeſuitis verè an falſo non diſputo, damnarunt. Tum in Belgio. Belgæ enim ſeriò aggreſſi ſunt, ad Pontificium Tribunal probabiliſmum apparatu magno traducere, & exaggeratis criminationibusobruere : atque in hunc finem longam ſeriem propoſitionum laxarum, quas ferè omnes, veluti rivulos, de probabiliſmi fonte manare prætendebant, ad Pontificem detulerunt : nec planè incaſſum : ſiquidem obtinuerunt 1. Ut Apologia Caſuiſtarum, quæ tribuebatur Jeſuitis, ab Alexandro VII. damnaretur & prohiberetur. Obtinuerunt 2. ab eodem, Cenſuram viginti & octo propoſitionum moralium : rationem Cenſuræ explicat ipſe Pontifex in fronte Decreti ſui graviſſimis verbis. *Quia audiverat*, inquit, *non ſine magno animi ſui dolore*, complures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem ferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſerat, alienus ab Evangelicâ ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrinâ, & quem ſi pro regulâ morum Fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ chriſtianæ corruptela : quare, ne ullo unquàm tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, Sanctiſſimus Dominus Alexander, ut Oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſolicitudine ad rectam ſemitam evocaret, eaſdem opiniones examini commiſit, & examinatas, omnes & ſingulas damnat & prohibet, ut minimum tanquàm ſcandaloſas. Obtinuerunt 3. Alterum Alexandri Decretum, quo damnantur & prohibentur ſimiliter, ſub iiſdem pœnis ſeptemdecim aliæ propoſitiones, quæ prioribus

viginti & octo additæ faciunt quadraginta quinque. Obtinuerunt 4. Ab Innocentio XI. damnationem & prohibitionem sexaginta quinque propositionum Moralium, quas propositiones declaravit Summus Pontifex, esse ad minimùm scandalosas & in praxi perniciosas. Obtinuerunt 5. Ab eodem Innocentio gravem Censuram Libri, cujus titulus est: *Amedei Guimenii Lomariensis, olim primarii Sacræ Theologiæ Professoris, Opusculum, singularia universæ ferè Theologiæ Moralis complectens, adversùs quorundam expostulationes, contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales.* Hujus enim Libri cùm examen Sorbonæ subtraxisset, sibique reservasset Alexander; necdùm tamen Librum judicasset: Librum damnavit successor Alexandri Innocentius. *Nos*, inquit, *quibus gregis sui curam commisit Altissimus, periculis animarum, quæ ex usu & praxi perniciosæ doctrinæ, in dicto Libro traditæ, infici, & in æternæ salutis detrimentum adduci possent, pastorali charitate occurrere cupientes, &c.* Ejusmodi verò Bullę censoriæ laxitatum moralium, mirum est, quanto ubique plausu ab adversariis Jesuitarum, exciperentur, &, quantis clamoribus in Jesuitas torquerentur, quasi solos, aut præcipuos authores damnatarum laxitatum, in quibus tamen laxitatibus certum est, aut nullam, aut valde modicam partem Jesuitas habuisse.

Recolamus 8. Ex eo bello, quantumvis acri & obstinato, probabilismum non modò non fuisse attritum, aut prostratum; sed novas indè vires accepisse: quia apud plerosque etiam sapientes, unanimis illa conspiratio adversùs probabilismum, videbatur esse novum aliquod credibilitatis & veritatis probabilismi argumentum: undè ulteriùs fiebat, ut & probabilistæ obfirmarent se magis in suo sensu, & viris bene Catholicis, alioquin indifferentibus, placere inciperet probabilismus, vel eo nomine, quòd quibusdam displiceret: vix enim credi poterat, non esse bonum, quod ardore tanto impeterent homines. Negari tamen non potest, quin amarus ille quorumdam zelus adversùs probabilismum, plurimum probabilismo nocuerit; nec minùs profuerit Ecclesiæ pia solicitudo Pontificum, in coërcenda opinionum moralium laxitate, ad puritatem doctrinę moralis, seu conservandam, seu restituendam. Profuit enim 1. Quatenus innumeræ propositiones laxæ, quibus doctrina christiana inficiebatur, per Bullas Pontificias fuere confixæ, & ne ultra currerent, prohibitæ. Profuit 2. Quatenus Doctores probabilistæ, de periculó laxitatis admoniti, cautiores fuerunt in opinando; probabilismum suum concludentes intra terminos arctiores, iisque modificationibus temperantes, ut jam ab eo nihil admodùm laxi timeri posse videatur. Profuit 3. Quatenus Jesuitæ qui divulgabantur esse authores totius laxitatis, talem ac tantam à se invidiam, tandem aliquando repulerunt, & quidem satis efficaciter: demonstrarunt enim, omnes ferè propositiones, quascumque damnassent summi Pontifices, fuisse easdem antequàm damnarentur, ab ipsis Jesuitis unanimiter reprobatas; id quod insigniter fecit Pater Joannes Pollenter Societatis Jesu, in egregio illo opere suo, cujus est hoc Programma satis longum. *Sexaginta-quinque Propositiones nuper à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. proscriptæ, à Societatis Jesu Theologis, diu ante Sanctissimi Domi-*

Amarus quorumdam zelus non parum valuit adversus probabilismũ.

ni Decretum, communissimo consensu rejectæ. Profuit 4. Quatenus probabilismus; undè velut ex fonte profluxisse dicebantur propositiones laxæ, à Summis Pontificibus damnatæ, factus & ipse est suspectus laxitatis: indè autem cœpit diligentiùs examinari, & examinatus repudiari à plerisque omnium ferè Scholarum Doctoribus, & quod satis naturale est, post variam & ancipitem fortunam decrescere & inclinari; quæ materia erit Paragraphi sequentis.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Decrementum & inclinatio Probabilismi.

Decrementum probabilismi.

Ex imminutione familiæ authoritatis & securitatis.

NOtavi supra satis diligenter incrementa probabilismi fallentia: nunc ejusdem decrementum & inclinationem notare habeo. Distingui autem potest triplex probabilismi decrementum. Decrementum ut ita dicam familię; decrementum authoritatis; decrementum securitatis: probabilismo enim decrevit familia; decrevit authoritas; decrevit securitas: tria hæc, ut vides, explicatione aliqua indigent.

Dico igitur 1. Probabilismo notabiliter decrevisse familiam suam. Familiam probabilismi appello turbam illam propè infinitam opinionum, quas veluti filias umbrâ suâ tegebat probabilismus, suoque, ut ita dicam, succo alebat & sustentabat: ex hoc nimirùm principio generali, in quo propriè consistit probabilismus: *Licitum est sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliore:* principio malè intellecto, & fallentibus incrementis, ut supra ostendimus, multûm dilatato, videbatur fieri licentia sequendi opiniones innumerabiles, quæcumque scilicèt haberent aliquam probabilitatem etiam minorem & minimam: istam verò turbam opinionum minùs probabilium dico jam decrevisse notabiliter probabilismo, seu vigilantiâ & solicitudine Pontificum, seu sapientiâ & cautione severorum probabilistarum. Nam à summis quidem Pontificibus pleręque illarum opinionum, quæ falsò credebantur esse probabiles declaratę sunt improbabiles; eaque Pontificum declaratione expunctæ sunt de numero probabilium, ac proindè de familiâ probabilismi, cui temerè fuerant insertę: cujus generis opiniones plures videre est, inter sexaginta-quinque ab Innocentio XI. damnatas: talis enim est secunda. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem minùs probabilem.* Talis Quarta. *Ab infidelitate excusabitur Infidelis, ductus opinione minùs probabili.* Talis Sexta. *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Talis Trigesima-quinta. *Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Talis Quadragesima-quarta. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.* Talis Quinquagesima-septima. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Talis item Duodecima ex damnatis in secundo Alexandri

Opiniones de numero probabiliũ expunctæ à Summis Pontificibus.

VII. Decreto. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs alicujus, aut pollutionis.* Ejusmodi enim propositiones non modò declarantur falsæ, sed etiam improbabiles; nec tam notatur in illis defectus veritatis, quàm defectus probabilitatis. Pleræque item opiniones, etsi fortè olim meritò probabiles reputarentur, sapienter tamen ab iisdem Summis Pontificibus prohibitæ sunt propter periculum scandali & abusûs; eaque prohibitione factæ sunt practicè improbabiles saltem consequenter: neque enim probabile est, licere sequi in praxi opiniones, quarum usus est certò prohibitus: tales autem sunt omnes illæ propositiones in Decretis Pontificum proscriptæ, quæcumque ante proscriptionem censebantur esse probabiles: proscriptione enim desierunt esse practicè probabiles, non obstante antiquâ suâ probabilitate. Esto speculativam aliquam probabilitatem fortè adhuc retinuerint; probabilitatem tamen practicam omnem perdiderunt; ita ut jam non sit licentia illas sequendi. Pleræque demum aliæ opiniones novæ & inauditæ provisum est Decretis Pontificum, ne prodirent ex doctrinâ probabilismi, alioqui proditura, nisi fuisset coërcita licentia opinandi damnatione & prohibitione aliquot propositionum generalium; qualis est, exempli causâ, propositio illa prima ex sexaginta quinque ab Innocentio XI. damnatis & prohibitis. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum grave damni incurrendi: hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est, in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Qualis item est illa Tertia, in eodem Innocentii Decreto prohibita & damnata, quæ sic habet. *Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Qualis quoque est illa penultima inter propositiones viginti-septem quas Alexander VII. primo suo Decreto damnavit & prohibuit. *Si liber sit alicujus junioris & moderni Authoris, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolicâ tanquam improbabilem.* Tales enim propositiones si fortè liberum in Republica Christiana cursum haberent, satis patet, quanta fieret per novellas opiniones indè passim scaturientes moralis disciplinæ corruptio, & quanta simul familiæ probabilismi accessio. Quare damnatio & prohibitio talium propositionum censeri debet familiæ probabilismi diminutio. Nimirùm habebat se probabilismus frondosæ instar & luxuriantis arboris: sed ei ramos nimis expansos providè amputavit securis Apostolica, ne deinceps umbram facerent, aut nidum præberent novis & novis opinionibus exindè sobolescentibus. Habebat se probabilismus instar fontis uberioris undequaque diffluentis, & per mille rivulos aquas suos volventis: sed è Vaticano deciduum fulmen rivulos exsiccavit, & fontem circumclusit, ne liberiùs ultra difflueret.

Providentiæ verò & solicitudini Pontificum accessit ardens & prudens zelus saniorum probabilistarum ex omnibus ferè Scholis Catholicis, ne exceptâ quidem Scholâ Jesuitarum, qui & ipsi pro sua parte pręcipuo

Probabilismus à sapientiori-

bus probabilistis emendatus & limitatus.

studio probabilismum reformarunt; seu abjiciendo opiniones laxiores, quæ temerè in familiam probabilismi irrepserant; seu præcavendo sapientissimis legibus, ne aliæ similes deinceps irreperent; seu, quod caput est, notionem probabilismi olim nimis vagam, & nimis laxam, ita omni ex parte determinando & limitando, ut ad opiniones enormiter laxas extendi ultra non posset. Talem enim notionem limitarunt 1. Ex parte materiæ, in quâ versatur probabilismus, quatenus materiam probabilismi definierunt esse solam praxim, aut licentiam operandi: in qua limitatione omnes ferè præcipui Societatis Theologi convenerunt, excludentes à materia probabilismi materiam speculativam, ad quam nonnulli extranei probabilismum imprudenter extenderant. Limitarunt 2. Ex parte motivi probabilitatem fundantis: tale enim motivum voluerunt esse motivum grave & magnum, vehementer impellens, non absolutè tantùm & in se, sed etiam comparativè, & respectivè sumptum ad omnia motiva contraponderantia; adeò ut in concursu illorum omnium vehementer impellat idque vi præcisè suæ gravitatis tam absolutæ, quàm respectivæ, secluso omni affectu & præjudicio opinantis. Hæc est ferè limitatio Terilli in suo Tomo de Regulâ morum Quæst. 1. N. 7. quâ tamen limitatione non contentus Martinus de Esparsa aliam adhibet arctiorem; requirens, ut motivum libertatis probabilitatem fundans sit saltem æquale, seu physicè seu moraliter, motivo partis oppositæ, ita ut excessus verisimilitudinis in parte oppositâ, vel nullus sit, vel exiguus duntaxat & dubius, ac proindè pro nihilo reputandus: *Quia*, inquit, *fieri non potest, ut opiniones invicem contradicentes maneant ambæ probabiles apud eum, cui est evidens, & manifestum, ac indubitabile, alteram opinionem niti motivo, absolutè & simpliciter, omnibusque hinc indè consideratis, majore.* Eandem limitationem apposuit Andreas Junius, Magnus olim Societatis Theologus in Collegio Matritensi: in suo enim posthumo de Conscientiâ Tomo sect. 3. c. 17. graviter pronuntiat. *Quemlibet rationis compotem ex terminis intelligere, se non debere facere, id quod magis videtur esse malum, quàm non esse; seu potiùs illicitum, quàm licitum; prohibitum, quàm permissum.* Quare idem ad usum licitum opinionis minùs tutæ exigit, ut ea non sit minùs probabilis, sed in probabilitate & verisimilitudine sit saltem tutiori æqualis. Verùm ut dicamus ingenuè quod res est, ista limitatio probabilismum non tam coarctat, quàm destruit; statum Quæstionis aliò transferens: nam si ad usum licitum opinionis libertati faventis requiritur, ut ea opinio non sit minùs probabilis quàm opinio legi favens, jam non licet sequi minùs probabilem libertati faventem, in concursu probabilioris legi faventis, quod est, probabilismum, de quo nunc agimus, destruere, & locum dare alteri quæstioni; an liceat sequi probabilitatem libertati faventem, in concursu probabilitatis æqualis legi faventis; quæ sanè quæstio diversa est à priore, & alterius loci. 3. Limitarunt ex parte modi probabilitatem afficientis; quatenus statuerunt, ad usum opinionis minùs tutæ non sufficere incertam illius probabilitatem, sed requiri necessariò certitudinem probabilitatis; quia incerta & probabilis duntaxat probabilitas opinionis certificare non potest operantem de licentiâ suæ opera-

tionis, ac proindè nec eundem à peccato excusare, si operetur: quâ limitatione evidens est, excludi vel arceri à probabilismo innumeras opiniones tenuiter probabiles; quia scilicet probabilitas vel ex hoc ipso quòd valde tenuis est, satis certa apparere non potest. Atque hinc satis, credo, demonstravi, quod erat demonstrandum; probabilismo decrevisse notabiliter familiam suam.

Objicies. Istud familiæ decrementum minùs videtur nocere probabilismo, quàm prodesse: nam ut arbori bonum est, liberari ramis inutilibus, quibus oneratur & exsugitur; ita fuit bonum probabilismo exonerari fallacibus opinionum incrementis, quibus deturpari poterat & diffamari: ut melius est fonti, præcludi rivos, in quibus aquas suas perdit, aut luto inficit; non perditurus, aut puriores habiturus si rivi præcluderentur: ita melius fuisset doctrinæ probabilismi stare in principio generali, nec trahi ad lutosas & cœnosas consequentias: in principio enim, velut in fonte, purior, aut certè minùs impura stetisset: ergo & eidem melius fuit arceri à rivulis, & ad fontem magis illimem, aut minùs cœnosum reduci. Respondeo. Probabilismo decrementum familiæ suæ longè plus obesse, quàm prodesse; quia ex hoc familiæ decremento datur gravis occasio judicandi sinistrè de probabilismo, quatenus ex hoc decremento demonstrari potest, fructus probabilismi malos esse: ex fructibus enim arboris pronum est & naturale judicare de arbore, secundùm illam Christi regulam. *Arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit.* Ergo cùm fructus probabilismi convincantur mali esse, pronum & naturale est judicare, arborem probabilismi vel specie & naturâ suâ malam esse, vel certè alieno vitio & ex accidenti in arborem malam degenerasse: utrumlibet verò dicatur, probabilismo prodesse non potest, sed obesse. Fateor quidem, longè meliùs aut certè minùs malè futurum fuisse probabilismo, si se in Principio generali velut in fonte continuisset, nec adeò diffluxisset ad rivulos consequentiarum: hinc enim & minùs Reipublicæ Christianæ nocuisset, & minùs fuisset ipse diffamatus: sed fortè permisit sapiens Dominus vagum illum probabilismi difluxum in rivulos, ut sensim ex rivulis fontis ipsius vitium appareret.

Probabilismus ex malis suis effectibus æstimandus.

Dico 2. Probabilismo notabiliter decrevit authoritas sua. Explicatur, & probatur. Authoritas probabilismi stabat præsertim in præsumptione favorabili, quâ credebatur à multis bonâ fide probabilismus esse vera quædam regula morum, regula divina, à Christo, aut Apostolis Christi descendens; fundata in Verbo Dei seu scripto, seu tradito; Canonibus Conciliorum, aut Decretis Pontificum sancita; consensu Patrum roborata; gustui & sensui Ecclesiæ antiquæ consentanea; in Scholis Theologorum passim recepta; & irreprehensibili Fidelium usu comprobata: talis præsumebatur, & vulgabatur esse doctrina probabilismi: talis nimirùm fuit, aut esse debuit præsumptio de probabilismo, ut pro legitimâ morum regulâ probabilismus haberetur: in tali præsumptione, fateor, stetit aliquandiu probabilismi authoritas: sed eam præsumptionem favorabilem, dico nostris temporibus probabilismo notabiliter decrevisse; id

Quomodo multū probabilismo de sua authoritate detractum sit.

quod ſupra toto noſtro opere videri poſſum demonſtraſſe; tum ex ideâ ſummi Dei, cujus dominio, ſapientiæ, & ſanctitati probabiliſmus non congruit; tum ex primis prudentiæ regulis in mente humanâ Dei digito exaratis, quibus regulis nullo modo cohæret probabiliſmus; tum ex Verbo Dei, ſeu ſcripto, ſeu tradito, in quo nullum exſtat probabiliſmi veſtigium; tum ex ſacra Canonum diſciplinâ, quæ nullibi probabiliſmo favet; tum ex luculentis Sanctorum Patrum teſtimoniis, quibus ſatis apertè refellitur probabiliſmus; tum ex guſtu & ſenſu Eccleſiæ antiquæ, cui probabiliſmus non ſapuit: hinc enim conſtare ſatis poteſt, probabiliſmum eſſe illegitimam morum regulam, Deo authore indignam, ipſi naturæ lumini repugnantem, in Scripturâ & Traditione reprobatam, adverſam principiis & teſtimoniis Patrum, Conciliorum Canonibus & Decretis Pontificum exploſam, in Eccleſiâ antiquâ per omnes ætates inauditam, ac proindè novam, & quod eſt conſequens valde ſuſpectam falſitatis. Confirmatur 1. Si quam authoritatem habuit probabiliſmus, hanc ferè totam habuit ex authoribus noſtri hujus ſæculi, aut ſæculi proximè ſuperioris: pleroſque enim Magnos Theologos, ſub finem ſæculi ſuperioris ad medium uſque ſæculi noſtri, ſuffragatores habuit: ſed hæc authoritas probabiliſmo decrevit; tum quia demonſtratum fuit, hanc qualemcumque authoritatem non fuiſſe talem, ut purgare potuerit in probabiliſmo obſcuritatem natalium, & labem novitatis ei perpetuò inhærentem; tum quia talis authoritas probabiliſmo favens fuit ſemper elevata per authoritatem aliorum Doctorum contraſentientium; tum denique quia plerique ætatis noſtræ Doctores probabiliſtę, ex omnibus ferè Scholis Catholicis, Thomiſtica præſertim & Jeſuitica à probabiliſmo reſilierunt, plerique etiam adversùs probabiliſmum acriter inſurrexerunt, audiente Eccleſiâ & approbante: ex quo ſatis intelligitur, plurimum ſuæ authoritatis probabiliſmo deceſſiſſe.

Quomodo ſui probabiliſmo decrevit ſecuritas.

Dico 3. Decrevit notabiliter probabiliſmo ſua ſecuritas. Intelligi poteſt ex ſupra dictis: quia ex decremento, ſeu familiæ, ſeu authoritatis, neceſſe fuit ſequi aliquod ſecuritatis decrementum: nam ut Patrem familias ſuſtentat aliquo modo familia ſua, ita probabiliſmum numeroſa familia ſuſtentabat: ex quo igitur probabiliſmo familia decrevit, minùs quàm ante ſuſtentatur probabiliſmus; quia ſubtractum eſt ei aliquid quo ſuſtentabatur, ac proindè minùs quàm ante ſecurus eſt. Et verò ſi authoritas Doctorum probabiliſmo ſuffragantium ſecuritatem ei aliquam afferebat, tali authoritate decreſcente, non potuit eidem non decreſcere ſecuritas. Confirmatur. Quia probabiliſmus, quem olim probabiliſtæ pro dogmate certo & evidenti, ac proindè ſecuro, magnis clamoribus venditabant, hodie tamen nutare cœpit, & fieri ſuſpectus; ſeu detectâ Principiorum, quibus nitebatur falſitate; ſeu monſtratis periculoſis, quas trahebat, conſequentiis; adeò ut jam non ſolùm boni & timorati Fideles in viâ probabiliſmi, ambulare reformident, ſed ipſi etiam probabiliſtæ quotidie reſipiſcant, & caſtra probabiliſmi minùs tuta dimittere non vereantur.

Objicies. Probabiliſmus videtur fuiſſe ab Eccleſia vel ſaltem à S. Pontificibus

bus approbatus: ſæpe enim delatus ad Tribunal Pontificium, indemnis tamen & victor ſemper evaſit; ibi planè damnandus & reprobandus, ſi damnationem & reprobationem meruiſſet: ergo probabiliſmus non minùs quàm ante ſecurus eſt, imò longè ſecurior. Reſpondeo. Probabiliſmus nullam ab Eccleſiâ approbationem habuit: nec porrò talem approbationem arguit, ſeu delatio probabiliſmi ad Tribunal Pontificium, ſeu ſilentium ipſorum Pontificum, probabiliſmum non damnantium: nam frequens illa delatio probabiliſmi ad ſupremum Tribunal, probabiliſmum, ſi non reum omninò ſaltem aliquo modo ſuſpectum facit: illud verò ſilentium Pontificum non eſt abſolutio probabiliſmi, ſed moroſa quædam judicii ſuſpenſio de probabiliſmo, donec causâ meliùs ventilatâ, veritas eliquetur, & fiat aliquando plenior lux ad deciſionem totius controverſiæ: quam deciſionem expectare poſſumus reverenter, & ſi fas eſt, aliquo modo præſagire: ex triplici enim decremento ſupra commemorato videtur probabiliſmus inclinari vehementer, & proximè vergere in occaſum ſuum. Quod argumentum erit ultimi Paragraphi, primam Quæſtionem noſtram, nimis fortè prolixam claudentis.

Probabiliſmo non favet ſilentiū Romanorū Pontificum in eâ causâ.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

Occaſus Probabiliſmi imminens.

NOlim hîc ego Prophetam agere, ſed ſimplicem & ſapientem conjectorem: occurrunt autem conjecturæ multæ, eæque graves, de imminenti probabiliſmi occaſu.

Proximus probabiliſmi occaſus ex gravibus conjecturis de antiprobabiliſmo prævalituro.

Primam ergo conjecturam duco ex Antiprobabiliſmo, brevi, ut ſperatur, prævalituro: nam ſi prævalebit Antiprobabiliſmus, Probabiliſmus continuò fugabitur. Prævaliturum verò eſſe Antiprobabiliſmum multa demonſtrant. Nam 1. Antiprobabiliſmus doctrina eſt favens cauſæ Dei adversùs creaturam ſuam: ſtatuit enim, quodcumque Dei præceptum probabilius, libertati creaturæ minùs probabili eſſe præferendum. Habet nimirùm Deus certum & irrefragabile jus prælationis reſpectu creaturæ ſuæ, ſaltem in causâ diſpari, qualis profectò cauſa eſt, quoties ſupponitur eſſe probabilius præceptum Dei quàm creaturæ libertas. 2. Antiprobabiliſmus doctrina eſt favens Eccleſiæ per Concilium generale repræſentatę: doctrina enim antiprobabiliſmi eſt, privatos quoſcumque Fideles Eccleſiæ ſubditos, quibuſcumque conciliaribus Eccleſiæ Canonibus, etiam probabilioribus teneri, non obſtante ipſorum libertate minùs probabili. 3. Antiprobabiliſmus eſt doctrina favens Pontificibus & Prælatis, quatenus ſtatuit, Conſtitutionibus Pontificum & Ordinationibus Prælatorum, etiam incertis & inevidentibus, dummodò probabilioribus, ligari libertatem Fidelium minùs probabilem. 4. Antiprobabiliſmus eſt doctrina Regibus & Principibus ſæcularibus favens, quatenus ſtatuit, ſubditos legibus Regum & Principum probabilioribus obligari. 5. Antiprobabiliſmus eſt doctrina favens omni poteſtati ligitimæ, quatenus vult, omni legitimæ poteſtati probabilius aliquid mandanti, aut

Prima conjectura. Antiprobabiliſmus favet cauſæ Dei adverſus creaturam.

Favet Eccleſiæ Canonū ſuorum obſervationē præcipiēti.

Favet Pontificibus & Prælatis ob eandem cauſam.

Favet Regibus & Principibus omnique legitimæ poteſtati.

Favet omni generi legū. Favet omni recto ordini, monastico, æconomico, politico.

præcipienti obediendum esse sine ulteriori inquisitione. 6. Antiprobabilismus doctrina est favens omni legi divinæ & humanæ, naturali & positivæ, Ecclesiasticæ & civili : definit enim, quamcumque legem ex quo probabilior est, habere vim obligandi. 7. Denique Antiprobabilismus doctrina est universè favens recto cuicumque ordini, seu monastico, seu œconomico, seu politico : monastico quidem, quatenus unumquemque hominem disponit ut in privato sui regimine ordinatè se habeat ; tum quoad intellectum, semper adhærendo veritati, aut majori verisimilitudini ; tum quoad voluntatem, prosequendo constanter quod bonum est, aut magis apparet bonum, & fugiendo constanter, quodcumque est malum, aut majorem habet apparentiam mali ; tum quoad facultates exteriores, fideliter exequendo, quidquid fuerit rationabiliùs ab intellectu & voluntate determinatum : favet igitur Antiprobabilismus ordini monastico. Nec minùs favet ordini œconomico ; quatenus & uxores maritis, & liberos parentibus, & servos Dominis rationabiliter submittit, in ordine ad obedientiam cuicumque præcepto, non solùm certo & evidenti, sed & probabiliori præstandam. Favet denique ordini politico ; quatenus præscribit, omni legitimæ potestati, seu Ecclesiasticæ, seu sæculari obtemperandum esse ab iis omnibus, quicumque potestati subjacent ; idque non modò in casu præcepti evidentis aut certi, sed etiam in casu præcepti duntaxat probabilioris ; nec quemquam eximit à tali obligatione, prætextu libertatis minùs probabilis. Ergo & Dei ipsius, & omnis legitimæ potestatis magni interest, ut prævaleat antiprobabilismus : quis autem credat, Deum neglecturum causam suam, aut superiores omnes juri suo renuntiaturos ? Exurget igitur Deus, & judicabit causam suam : consurgent Principes, & jura potestatis suæ vindicabunt : nec difficile est prævidere, aut præsagire, brevi futurum, ut quod tanti omnium interest expressè decidatur, & prævaleat antiprobabilismus pro merito suo.

Secunda conjectura. Probabilismus videtur esse perturbator ordinis, contēptor legitimæ potestatis, patronus libertatis luxuriantis.

Alteram conjecturam duco ex propriis & nativis probabilismi caracteribus : videtur enim probabilismus esse perturbator totius ordinis, contemptor legitimæ potestatis, idemque patronus libertatis desipientis : cujusmodi profectò doctrina diu in Ecclesia tolerari aut dissimulari non potest. Ac 1. quidem. Probabilismus perturbator est totius ordinis : cùm enim ordinis sit, ut major verisimilitudo præferatur minori ; ex doctrina tamen probabilismi minor verisimilitudo majori præfertur : cùm ordinis sit, ut voluntas adhæreat bono, & fugiat malum, ac proindè quodcumque majorem habet speciem mali, quàm boni ; doctrina tamen probabilismi est, ut voluntas affectivè id ipsum prosequatur, quod magis apparet malum, quàm bonum : cùm ordinis sit regula illa Apostoli ordinatissima. *Quod bonum est tenete : ab omni specie malâ abstinete vos.* In principiis tamen probabilismi, nec tenetur, quod bonum est, nec ab omni specie malâ abstinetur ; fit enim plerunque, quod minùs bonum est, & majorem mali speciem habet, quàm boni. 2. Probabilismus contemptor est legitimæ potestatis : nam legitimam potestatem contemnere est, nolle potestati legitimæ obedire, & ordinationes de potestate

legitimâ venientes pro nullis habere: id autem facit probabilismus, statuens, veras leges, si duntaxat probabiliores sint, non obligare, & per exceptionem libertatis minùs probabilis cassas atque irritas fieri. 3. Probabilismus patronus est libertatis desipientis: desipere enim videtur libertas, quæ, prætextu rationum minorum sibi faventium, excutere præsumit jugum legis probabilioris in gravioribus rationibus fundatum: libertati autem ita desipienti patrocinatur probabilismus; in foro privato conscientiæ nihilò magis audiendus, quàm audiretur in foro sæculari Advocatus, ab onere solvendi obsequii probabiliùs debiti liberare volens clientem suum, eâ solâ ratione nixus, quòd foret adhuc minùs probabile, obsequium à suo cliente non deberi: rideretur Advocatus tam malæ causæ susceptor, & causâ suâ caderet cliens tam inaniter defensus, idemque damnaretur in foro sæculari ad præstandum domino suo obsequium probabiliùs debitum: ergo in foro conscientiæ rideri debet probabilismus absolvens subditos ab onere legis probabilioris, obtentu libertatis à lege minùs probabilis. Confirmatur. Quia in Republica bene constitutâ permitti, aut tolerari non debet ea doctrina, quæ si tolerabitur, aut permittetur, necesse erit, plerasque veras leges passim negligi, & impunè præteriri, magno Reipublicæ detrimento: atqui talis est probabilismi doctrina: nam si tolerabitur aut permittetur doctrina probabilismi, jam ferè vigebunt solæ leges certæ & evidentes; languebunt prorsus cassæ & nullæ, leges duntaxat probabiliores, idque contra mentem & voluntatem rationabilem Legislatorum, qui præsumendi sunt omninò voluisse, ut eæ quoque leges vigerent: est enim omninò rationabile, voluisse Dominos Legislatores, ut facerent subditi, quodcumque probabilius videretur, sibi à Domino fuisse præceptum; nec ullam aliam voluntatis suæ certitudinem, aut evidentiam expectarent. Interest igitur omnium Legislatorum, ne in Republica Christiana diu toleretur, aut permittatur probabilismus, quo legum suarum vigor totus enervaretur.

Tertiam Conjecturam duco ex multiplici abusu & scandalo, cui probabilismus obnoxius est: doctrina enim etiam vera, quæ fortè abusui & scandalo valde obnoxia est, etsi titulo falsitatis damnari, & prohiberi non possit, potest tamen eadem damnari & prohiberi, ratione scandali & abusûs, cui fortè obnoxia est: atqui doctrina probabilismi valde obnoxia est scandalo & abusui, ut nimis patet luctuosâ experientiâ, in tot opinionibus laxis, quæ nostro hoc sæculo ex probabilismo scaturierunt, non sine magna Orbis Christiani offensione: ergò probabilismus ratione scandali & abusûs damnari & prohiberi potest. Ratio nimirùm est. Quia facile est dare falso colorem aliquem veri, & opinioni improbabili speciem aliquam probabilitatis affingere, quâ specie decipiantur miseri mortales, naturæ suæ corruptæ impetu & inclinatione ad laxitatem proni. Atque hæc ferè causa est 1. Cur Pontifices plerasque propositiones improbabiles specie veri coloratas ex Albo probabilium eraserint. 2. Cur plerasque etiam probabiles prohibuerint tanquàm scandalosas. 3. Cur generatim & provisoriè reclamarint contra summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus, *modus opinandi*

Tertia conjectura. Abusus & scandalum quibus probabilismus obnoxius est.

Alex. 7. in Constit. Jure

Decreto an. 1665. die 24. Sept.

irrepsit, alienus omninò ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela: in tali autem opinandi modo signari & notari videtur probabilismus.

Quarta conjectura.

Varia contra probabilismum præjudicia summorum Pontificū.

Quartam Conjecturam duco ex multis contra probabilismum præjudiciis: videntur enim Summi Pontifices adversùs probabilismum, si minùs distinctè & expresse, saltem tacitè & obscurè præjudicasse: undè conjici potest, brevi secuturum judicium aliquod expressum & distinctum, quo damnetur & prohibeatur probabilismus. Præjudicarunt autem 1. Quatenus ex summâ luxuriantium ingeniorum licentia agnoverunt in rebus moralibus ad conscientiam pertinentibus irrepsisse modum quendam opinandi non satis legitimum, quem ut fontem laxitatis graviter reprehenderunt: sed modus ille opinandi non videtur alius esse quàm probabilismus: nam modus ille opinandi in rebus moralibus, non est modus decidendi res morales ex opinione probabiliore, seu secundùm probabilitatem majorem; talis enim modus opinandi non est fons laxitatis, ut per se patet: superest ergo ut modus ille opinandi, qui fons laxitatis est, à Pontificibus reprehensus, sit modus decidendi res morales secundùm probabilitatem minorem, seu ex opinione minùs probabili: atqui modus decidendi res morales ex opinione minùs probabili, & secundùm probabilitatem minorem est ipsemet probabilismus, quem refutamus: ergo agnoverunt Pontifices, & jam satis indicarunt, probabilismum esse fontem laxitatis, alienum ab evangelicâ simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si Fideles sequerentur, irreptura esset ingens vitæ christianæ corruptela. Præjudicarunt 2. Quatenus viam salutis, quam suprema veritas Deus arctam esse definivit distinguentes à viâ latâ & spatiosâ, per quam itur ad perditionem, graviter monuerunt, viam salutis in arcto positam non esse dilatandam, seu veriùs pervertendam: dilataretur autem, & perverteretur, si fortè diu vigeret in Ecclesiâ modus ille opinandi, qui fons est laxitatis: monuerunt quoque iidem, de viâ latâ, quæ via perditionis est evocandos esse Fideles ad semitam rectam: ergo cùm probabilismus ad viam latam & spatiosam nimis pertinere, aut deducere videatur, satis innuerunt, Fideles avocandos esse de probabilismo ad semitam rectam probabilioritatis. Præjudicarunt 3. Quatenus plerasque propositiones, de probabilismo venientes, aut in probabilismo fundatas, damnarunt & prohibuerunt: quâ damnatione & prohibitione demonstrare visi sunt, & vitium originis, undè propositiones eæ prodiissent, & inanitatem fundamenti, quo niterentur. Præjudicarunt 4. Quatenus opiniones aliquas morales, verè quidem probabiles, sed minimè alioqui scandalosas, reprobarunt, solo ut videtur titulo minoris probabilitatis: undè colligi potest, minorem opinionis probabilitatem, seu defectum probabilitatis majoris, esse titulum reprobationis sufficientem. Præjudicarunt 5. Per censuram propositionis illius generalis, quæ Tertia est in Decreto Innocentii, & sic habet. *Generatim dum aliquâ probabilitate, seu intrinsecâ, seu extrinsecâ, quantumvis tenui, dummodò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Ex hujus

enim propositionis censura intelligitur, non esse licitum sequi opinionem minùs probabilem, quamvis sit eadem verè probabilis, & intra fines probabilitatis contenta: ergo videtur jam apposita securis apostolica ad ipsam probabilismi radicem.

Opponet hîc fortè quis, non ita semper mihi visum fuisse, quippe qui paucis abhinc annis, etiam post Censuram Pontificiam supradictæ propositionis generalis, non dubitavi docere probabilismum, eundemque ab omni censura defendere. Respondeo. Defendi quidem, non difiteor; sed ideò quia credidi tunc, hodieque nunc credo, probabilitatem quandoque ita esse tenuem, ut ad prudenter operandum planè non sufficiat. Ratio ulterior est. Quia probabilitas potest esse ita tenuis, ut sit eadem incerta & merè probabilis: probabilitatem autem incertam & merè probabilem reputavi semper insufficientem esse ad prudenter operandum: quia semper credidi, ad operandum prudenter necessariam esse probabilitatem aliquam certam, & minimè dubiam: quare Censuræ quidem Pontificiæ obnoxium esse putavi probabilismum, in probabilitate incerta & merè probabili fundatum. Sed probabilismum meum à censurâ vindicare conatus sum, eâ scilicèt ratione, quòd eundem certâ quâdam & minimè dubiâ probabilitate niti debere contenderem: quâ ratione, ut mihi quidem videbatur, stabat satis Censuræ Pontificiæ veritas, salvo semper meo probabilismo. Nam ab ipso initio, cùm adhuc essem probabilista, agnovi, meritò fuisse notatum censurâ Apostolica, quemcumque probabilismum, in tenui nimis, nec satis certa probabilitate fundatum; quia etiam tunc certò judicabam, ita sufficere probabilitatem minorem libertati faventem, ut eandem requirerem magnam esse, & ita magnam, ut esset eadem certa ac minimè dubia. Agnovi quoque etiam tunc, probabilitatem libertati faventem, plerumque ita tenuem esse, ut satis certa non sit, ac proindè nec sufficiens ad prudenter operandum: quòd cùm definiit Innocentiius XI. videtur apposuisse securim Apostolicam ad radicem alicujus saltem probabilismi, benignioris scilicèt aut laxioris, in tenui nimis, nec satis certa probabilitate fundati: utrum autem tetigerit probabilismum fundatum in probabilitate magna & satis certa libertati favente, sed tamen minore, respectu ad probabilitatem majorem legi faventem, nondùm, fateor, satis liquet. Videtur tamen nobis, ne quid dissimulem, & hunc ipsum probabilismum Censurâ suâ, saltem implicitè, comprehendisse; quod sic ostendo. Damnavit Innocentius probabilismum, in vera aliquâ probabilitate fundatum: vera enim probabilitas est, quæcumque intra fines veræ probabilitatis continetur: nam sola vera probabilitas continetur intra fines veræ probabilitatis; & vera non est, quæcumque non continetur intra tales fines: atqui in sensu Authorum Propositionis ab Innocentio damnatæ, probabilitas illa contenta intra fines veræ probabilitatis, quamtumvis tenuis esse dicatur non est quæcumque verisimilitudo opinionis libertati faventis, sed verisimilitudo quædam magna ex genere suo, & ita magna, ut intra fines veræ probabilitatis contineatur: dicitur tamen eadem tenuis respectivè ad alias veri-

Videtur Innocentius XI. damnasse implicitè probabilismum.

similitudines majores ejusdem generis : nam intra idem genus verisimilitudinis magnæ, possunt concipi aliæ & aliæ minores, non exeuntes è finibus verisimilitudinis magnæ, seu, quod idem est, veræ probabilitatis : videtur ergo declarasse Innocentius, verisimilitudinem aliquam magnam, seu probabilitatem veram libertati faventem, non sufficere ad prudenter operandum, ac proindè probabilismum, in magnâ etiam verisimilitudine, & verâ probabilitate fundatum, non esse regulam morum legitimam.

At, inquies, verisimilitudinem illam magnam adeò nimirùm declaravit Innocentius, non sufficere ad prudenter operandum : quia verisimilitudo illa magna propter tenuitatem illam suam non apparet certò magna : Probabilistæ verò sapientiores ad prudenter operandum ita requirunt verisimilitudinem magnam, ut eandem velint esse certò magnam, ac proindè censuram omnem effugiunt. Huic ego responsioni, fateor, acquievi olim bonâ fide : sed hodie non satis acquiesco ; quia scilicèt Authores Propositionis generalis ab Innocentio damnatæ videntur & ipsi requirere ad prudenter operandum verisimilitudinem magnam libertati faventem, & quidem certò magnam ; ut satis indicant ipsa verba Propositionis. *Generatim dum aliquâ probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, dummodò à finibus probabilitatis non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Requirunt enim verisimilitudinem talem ac tantam, in qua possint confidere : quomodò autem possint confidere in verisimilitudine magna, si certò magna non esset, aut appareret ? Pontifex verò Innocentius Propositionem illam generalem videtur damnasse, in sensu Authorum intellectam, ac proindè declarasse, verisimilitudinem magnam, seu veram probabilitatem libertati faventem, etiamsi intra fines veræ probabilitatis contineatur, & quantâcumque confidentiâ contineri supponatur, non sufficere tamen ad prudenter operandum : ergo videtur damnasse etiam probabilismum, in probabilitate certâ & minimè dubiâ fundatum. Sed esto, dubium sit, an Censura Pontificia cadat in talem probabilismum ; ex ipso dubio Censuræ conficitur, eundem satis securum non esse : neque enim satis securus est, de quo rationabiliter dubitatur, aut dubitari potest, non fuerit Censurâ Pontificiâ confixus.

Quinta conjectura. Præsens incertitudo sufficientiæ probabilismi ad conscientiam rectè formandam.

Quintam & postremam Conjecturam duco ex præsenti probabilismi statu : siquidem probabilismus videtur hodie ad eum statum redactus esse, ut jam non possit esse regula morum satis legitima : neque enim licet sequi probabilismum, nisi certum sit, licere illum sequi : atqui probabilismus videtur esse redactus ad eum statum, in quo certum non est, licere illum sequi, &c. Major Propositio, quam ne ipsi quidem sapientiores probabilistæ negant, videtur satis manifesta : nam si certum non est, licere sequi probabilismum, jam probabilismum sequens dubitare poterit, aut formidare, an licitè probabilismum sequatur, ac proindè peccabit, operans in dubio, aut formidine licentiæ operandi. Nec minùs certa est altera Propositio Argumenti : quomodò enim possit esse certum, licere sequi probabilismum, quem vehemens suspicio est, fuisse nuper à summis

Pontificibus prohibitum, & cui hodie magna Orbis Christiani pars, audiente & plaudente Ecclesiâ contradicit.

Objicies. Audax nimis & temerarium est, prævenire Ecclesiæ judicium in causâ probabilismi, seu damnare probabilismi doctrinam, à quâ damnandâ Pontifices sapienter abstinuerunt: nam ideò non damnarunt, quia judicaverunt, non esse damnabilem; damnaturi sine dubio, si damnabilem esse judicassent: ergo cùm ab iis probabilismus indemnis omninò, & absque ulla censura dimissus fuerit, censeri debet absolutus: reus enim semel ad tribunal Judicum traductus, ex quo indemnis dimittitur, absolvi censetur. Respondeo. Audax quidem & nimis temerarium foret prævenire in causâ probabilismi judicium Ecclesiæ, damnando simpliciter & absolutè probabilismi doctrinam: tale enim Ecclesiæ judicium privatis Theologis reverenter expectandum est, non audacter & superbè præveniendum: sed possunt facere sapientes Theologi, quod honestè & irreprehensibiliter faciunt in foro Causidici: nimirùm litem instruunt; causam illuminant; jura partium obscura detegunt; eique patrocinantur, cui credunt competere verum jus: id verò facimus nos pro modulo nostro. Absit ergo à nobis, ut probabilismum præproperè & præcipitanter judicio nostro damnemus, & eo modo Ecclesiæ judicium præveniamus: sed liceat planè nobis instruere litem; illuminare causam satis obscuram; detegere jura seu Legis divinæ, seu libertatis humanæ; & patrocinari legi divina probabiliori, adversùs libertatem humanam minùs probabilem: in hoc enim officii genere possumus de Ecclesiâ bene mereri, ut bene merentur de Senatu, aut Republica Causidici detegentes Judicibus jura partium nimis incerta, & Clientum suorum jus probabilius defendentes, contra jus minùs probabile adversariorum. Quod verò additur, non fuisse damnatum à Pontificibus probabilismum; verum illud quidem, sed nihil admodùm probat in favorem probabilismi; quia indè non sequitur, probabilismum declaratum, aut judicatum innocentem: fortè enim judicium de probabilismo, aut declarationem judicii suspenderunt pro suâ sapientiâ Pontifices, donec fieret informatio plenior, aut major haberetur consensus Christianitatis in damnationem probabilismi: nam reus non propterea judicatur innocens, quòd in carcere diu detinetur, suspenso adhuc judicio; imò nec continuò absolvitur, quicumque injudicatus dimittitur; fortè enim dimittitur cum onere sistendi se iterum ad ulterius examen, quando ita visum fuerit Judicibus, causam semper retinentibus, pro tempore & loco judicandam.

Non præveniendum Ecclesiæ judicium in causa probabilismi, sed lis à Theologis instruenda.

Instabis Decreto Innocentii XI. sexaginta-quinque Propositiones mortales damnantis, additur hæc sapiens clausula. *Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci ac charitati consulatur: in virtute sanctæ obedientiæ præcipit Sanctissimus Dominus, ut tam in Libris imprimendis ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura & nota, nec non à quibuscumque conviciis contra eas Propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à sancta Sede, re cognitâ, super iisdem Propositionibus judicium proferatur.* Atqui probabilismus hodie-

Ita reprehensus à nobis probabilismus ut censurâ non sit notatus.

que inter Catholicos hinc indè controvertitur: ergo præcepto Innocentii tenemur cavere ab omni censura & nota probabilismi; à quâ tamen censura & nota non satis cavemus. Respondeo. Agnoscimus, & profundè reveremur sapientissimum Innocentii præceptum, eique, ut pars est, obedire volumus: absint ergo à nobis quæcumque convicia in probabilismum & probabilistas, quæ omnia in me reciderent, qui fui nuper unus aliquis probabilistarum, & acerrimus probabilismi defensor: absit à me omnis censura & nota probabilismi, quem amore veritatis, & zelo gloriæ Dei ita deserui, ut ei tamen censuram nullam aut notam inusserim. Dixi quidem, probabilismum non esse satis tutum in praxi; sed hoc impunè dicunt omnes, quicumque ei contradicunt: Dixi, novum esse, & venerandæ antiquitati inauditum; sed censura non est ista reprehensio novitatis: Dixi, obnoxium abusui & scandalo; sed abusus & scandalum non tam doctrinæ vitium est, quàm hominis infirmi doctrinâ abutensis & ex ipsâ veritate scandalum patientis: Dixi, fontem esse laxitatis; sed occasionalem & per accidens, cujusmodi fons esse potest doctrina etiam vera: Dixi, Probabilismum, nec Scripturæ, aut Traditioni; nec Canonibus Conciliorum, aut Decretis Pontificum; nec sensui Patrum, aut gustui Ecclesiæ satis congruere: sed hæc eadem aut similia dicuntur passim, & impunè dicuntur à Theologis de doctrina etiam inter Catholicos controversa: nam dicitur passim in Scholis Jesuitarum, Decretum prædeterminans destruere libertatem humanam; facere Deum authorem peccati; Calvinismum sapere, aut Jansenismum: dicitur vicissim in Scholis Thomistarum, Scientiam Mediam enervare efficaciam gratiæ Dei, principiis Augustini contrariam esse, Pelagianismo, aut Semipelagianismo favere: quidni ergo pariter dici possit à nobis probabilismus, perturbator ordinis, contemptor legitimæ potestatis, & patronus libertatis desipientis? Nimirùm hæc omnia dicuntur irreprehensibiliter de doctrina adhuc controversa; quia dicuntur salvâ pace & charitate inter contendentes, cum perfectâ submissione authoritati Ecclesiæ, ejusque decisionibus: quidquid ei tandem super ea re decidere placuerit.

Reprobatus ab Innocentio XI aliquis probabilismus nō omnis.

Instabis iterum. Videmur præstitutos fines eo ipso transcendere, quòd imaginamur probabilismum fuisse nuper à Pontificibus damnatum: talis enim imaginatio est valde injuriosa probabilismo, & quædam probabilismi nota. Respondeo. Non imaginamur; sed ex ipsis Pontificum Decretis, solidâ ratiocinatione conficimus, probabilismum; & quidem multiplicem, seu generatim, seu speciatim, reprehensum fuisse ac reprobatum; nam generatim quidem reprehensus est ab Alexandro modus ille opinandi ex summa luxuriantium ingeniorum licentia veniens, modus ab evangelicâ simplicitate alienus, & quem si Fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela: talis enim opinandi modus multiplicem complectitur probabilismum. Speciatim verò ab Innocentio damnata fuit Propositio illa, quâ asserebatur, prudenter agere, quicumque aliquid agit confisus aliquâ probabilitate, seu intrinsecâ, seu extrinsecâ, dummodò à finibus probabilitatis non exeatur: talis enim Propositio est manifestè assertiva alicujus probabilismi: ergo cùm ab Innocentio reprobata

bata fuerit, negari non poteſt, quin reprobatus fuerit aliquis probabiliſmus: rectè igitur diximus, fuiſſe reprobatum aliquem probabiliſmum: ita tamen diximus reprobatum aliquem, ut nuſquàm dixerimus, omnem fuiſſe reprobatum. Quod ut clariùs intelligitur; diſtinguere oportet multiplicem ſpeciem probabiliſmi. Prima ſpecies eſt, probabiliſmus fundatus in qualibet veriſimilitudine libertatis, quantumvis tenui: ſed tenuis veriſimilitudo libertatis, cùm movere non poſſit virum prudentem ad operandum, ita probabiliſmi ſpecies non tam probabiliſmus eſt, quàm umbra probabiliſmi. Secunda ſpecies eſt, probabiliſmus fundatus in veriſimilitudine magna libertatis, ſed probabiliter tantùm & non certò magna; ita ut dicatur ſufficere ad operandum prudenter, quæcumque veriſimilitudo magna libertati favens, quamvis probabiliter tantùm, & non certò magna ſit: talem verò probabiliſmum, quem jam ferè omnes probabiliſtæ reprobarunt, diximus fuiſſe à Pontificibus reprobatum. Tertia ſpecies eſt, probabiliſmus fundatus in magna veriſimilitudine libertati favente, eâdemque certo magnâ abſolutè & in ſe, ſed tamen parvâ & tenui reſpectivè ad veriſimilitudinem legis notabiliter majorem: & hunc quoque probabiliſmum oſtendimus Innocentii Cenſurâ ſi non expreſsè & formaliter, implicitè ſaltem & arguitivè fuiſſe comprehenſum. Quarta ſpecies eſt, probabiliſmus fundatus in veriſimilitudine libertatis certò magna, non abſolutè tantùm & in ſe, ſed etiam reſpectivè ad veriſimilitudinem legi faventem; ita ut veriſimilitudo libertatis prope accedat ad veriſimilitudinem legis: ſed hunc ſapientiorum probabiliſtarum, meumque olim probabiliſmum nuſquàm dixi, fuiſſe à Pontificibus reprehenſum. Utrum autem aliquando venturis temporibus reprehendendus ſit, incertum relinquo: nam ne hunc quidem moderatum & temperatum probabiliſmum ſatis puto ſecurum: videant illius defenſores, quorum intereſt: ſperabo ego magis quàm timebo, futurum aliquando, ut & ipſe ab Eccleſiâ Chriſti reprobetur.

QUÆSTIO SECUNDA.

An ſit obligatio ſequendi probabilitatem faventem libertati in concurſu probabilitatis æqualis legi faventis.

Quæſtio magniusûs, nec minoris difficultatis.

QUÆSTIONEM Aggredimur magni uſûs, nec minoris difficultatis: magni quidem uſûs; quia contingit non raro, utramque partem, ſeu legis, ſeu libertatis, ita eſſe probabilem, ut non appareat exceſſus unius ſupra alteram, ac proindè probabilitatem unius æqualem eſſe, vel phyſicè, vel moraliter, probabilitati alterius: in quo æqualitatis concurſu, non ſtatim apparet omnibus, partem legis probabilem eſſe neceſſariò præferendam parti libertatis æquè probabili: imò pleriſque videtur non eſſe præferendam, ſaltem ex obligatione; tum quia ubi utrique parti favent rationes æquales, videtur eſſe liberum utramlibet ſequi; tum quia in dubio obligationis videtur ſtandum eſſe pro libertate. Videtur autem eſſe obligatio dubia, quandiu libertas eſt æquè probabilis, ac lex obligans; præſertim cùm æqualitati rationum accedat poſſeſſio in favorem libertatis æquè probabilis: libertas enim videtur eſſe in poſſeſſione; & melior eſt conditio poſſidentis. Quibus rationibus permotus olim non dubitavi ego ipſe ſtare pro libertate; hodie tamen ad meliores & ſuperiores rationes attendens non verebor mutare ſententiam, & ſtare pro lege. Atque ut bona mea fides meliùs appareat, ante omnia repræſentabo antiquam ſententiam meam, & ſincerè exponam, quid mihi olim ex rationibus humanis videretur de licentiâ ſequendi probabilitatem libertatis, in concurſu probabilitatis æqualis legi faventis: poſtmodùm verò ſententiam meam hodiernam declarabo, & ingenuè aperiam, quid mihi nunc ex rationibus divinis videatur.

REPRÆSENTATUR

Antiqua ſententia Authoris ab eodem meliùs conſulto poſtmodum retractanda.

Antiqua ſententia authoris.

VIdebatur igitur mihi, non eſſe obligationem ſequendi probabilitatem legi faventem, in concurſu probabilitatis æqualis faventis libertati: quia videbatur mihi, in materia morali ex duabus partibus, quarum una legi altera libertati favet, ante omnem intellectûs & voluntatis determinationem æquè probabilibus, licere utramlibet ſequi, tum in judicando, tum in operando: quibus verò fundamentis ita docerem, hîc ſubjiciam, iiſdem ferè verbis.

Apparentia motivorum duplex. Antecedens & conſequens.

Præmittebam 1. Motiva utrinque probabilia proponi poſſe vel antecedenter ad omnem voluntatis & intellectûs determinationem, vel conſequenter: quare diſtinguenda eſt apparentia duplex; una *Antecedens*. Altera *Conſequens*. Antecedens eſt, quæ oritur ex propoſitione motivorum antecedente omnem intellectûs aſſenſum, & omnem affectum voluntatis, uni parti affixum. Conſequens eſt, quæ vel affectum voluntatis, vel aſſenſum intellectûs uni parti affixum conſequitur. Obſerva autem diligenter, apparentiam conſequentem majorem eſſe apparentiâ antecedente; quia certum eſt, ex affectu & propenſione voluntatis in unam partem, augeri vim motivorum ei parti faventium. Facilè enim credimus eſſe quod volumus. Certum item eſt, per judicium unius partis fieri majorem propenſionem ad eandem partem iterum judicandam, potiùs quàm oppoſitam; tum quia nonniſi ægrè credimus, nos erraſſe in judicando; tum quia per judicium unius partis authoritas judicantis tranſit in partem judicatam, quæ authoritas prioribus addita motivis apparentiam auget & probabilitatem. Undè ſequitur 1. Ex duabus partibus, quæ apparent æquè probabiles, illam habendam eſſe pro minùs probabili, in quam magis propendemus; quia affectus voluntatis apparentiam auget: quare ſi cum augmento, quod ex affectu venit, eſt æqualitas apparentiæ, detracto tali augmento neceſſe eſt, eſſe inæqualitatem. Sequitur 2. ſi duæ partes, quarum una fuit prejudicata, appareant æquè probabiles, illam habendam eſſe probabiliorem, quæ præjudicata non fuit; quia ſcilicèt judicium auget apparentiam partis præjudicatæ: ergo ſi cum augmento, quod ex præjudicio venit, pars præjudicata non ſuperat, tali augmento deſtituta ſuperabitur. Sequitur 3. Duas partes contradictionis, quę ante voluntatis & intellectûs determinationem æquè probabiles apparebant, jam poſt determinationem intellectûs & voluntatis non apparere æquè probabiles, & partem, quæ vera judicatur, apparere probabiliorem; quia ſcilicèt affectus & prejudicium apparentiam auget; ac proindè ſi ante affectum & præjudicium erat æqualitas apparentiæ, per affectum & præjudicium inæqualitas inducetur. His premiſſis, quæ mi-

Major eſt apparentia conſequens antecendente, & cur?

rificè valent ad æquivocationes tollendas, & apparentias falſas detegendas, duo quærebam, quorum unum pendet ab altero. Primum eſt. An in materia morali, ex duabus partibus ante omnem voluntatis & intellectûs determinationem æquè probabilibus, quorum una legi favet, altera libertati, liceat utramlibet ſequi judicando. Alterum. An liceat ſequi utramlibet operando.

Statuebat licere utrã-libet ſequi judicando.

Statuebam autem 1. Ex duabus partibus in materia morali ante omnem voluntatis & intellectûs determinationem æquè probabilibus, quarum una legi favet, altera libertati, licet utramlibet ſequi judicando. Prob. Quia intellectus, utramlibet partem ſequatur, prudenter facit: utraque enim ſupponitur eſſe probabilis; utraque nixa motivis gravibus, quæ plerumque non fallunt, & magnam ſpem faciunt aſſequendæ veritatis, ac proindè idonea ſunt ad fundandum aſſenſum prudentem: ergo ſi intellectus poteſt phyſicè utramlibet partem ſequi, poteſt etiam prudenter; atqui ex imperio voluntatis poteſt phyſicè intellectus utramlibet ſequi, ſeu determinari ad utramlibet. Ratio nimirùm eſt. Quia in rebus obſcurè propoſitis, ubi affulget aliqua ſpecies veri, aut falſi, pendet intellectus à voluntate: ubi autem ſunt motiva utrinque gravia & probabilia, utraque pars obſcurè proponitur; utraque cum aliquâ ſpecie veri, aut falſi: ergo intellectus à voluntate pendet, & ita pendet, ut poſſit voluntas flectere intellectum, ad partem quam libuerit judicandam. Atque hæc videtur eſſe mens S. Thomæ quæſt. 14. de veritate art. 2. *Quandoque*, inquit, *intellectus non poteſt determinari ad partem alteram contradictionis; neque ſtatim per ipſas definitiones terminorum, ſicut in principiis, neque etiam virtute principiorum, ſicut in concluſionibus demonſtrativis: determinatur autem per voluntatem, quæ eligit aſſentiri uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum; utpote quòd videtur bonum & conveniens huic parti aſſentiri, & ita eſt diſpoſitio credentis: ut cùm aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur conducens, vel utile: & ſic etiam movemur ad credendum dictis divinis, in quantum nobis repromittitur, ſi crediderimus, præmium vitæ æternæ; & hoc præmio movetur voluntas ad aſſenſum exhibendum iis, quæ dicuntur, quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum.* Ita S. Doctor. Confirmari poteſt 1. Quia voluntas ex duobus bonis æqualibus, & æqualiter allicientibus poteſt eligere alterutrum: ergo ex duobus motivis æqualiter inclinantibus intellectum, poteſt eadem voluntas determinare ad unum ſequendum præ altero; quod enim poteſt voluntas in ſeipſam, poteſt & in intellectum ſibi ſubditum. Confirmari poteſt 2. Experientiâ, quâ conſtat, poſſe nos credere pro arbitrio alterutri duorum teſtium æqualium, ſeu æqualis authoritatis, maximè ſi ex fide uni præſtandâ ſingulare aliquod bonum ſperetur.

In rebus obſcurè propoſitis pendet intellectus à voluntate.

Authoritas S. Thomæ.

Objiciebatur 1. In concurſu motivorum æqualium, intellectus ſe habet inſtar libræ, æqualia hinc indè pondera habentis: quare libræ inſtar neutram in partem inclinabitur, ſed manebit in æquilibrio. Nimirùm motiva utrinque æqualia ſeſe mutuò impediunt in ordine ad aſſenſum, vel diſſenſum: quemadmodum duo pondera æqualia ſeſe mutuo impediunt,

in ordine ad attollendam vel deprimendam ſuam lancem. Confirmabatur ex S. Thoma. Quæſt. 14. de veritate. Art. 1. *Intellectus,* inquit, *quandoque non magis inclinatur ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in illis Problematibus, quorum rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Reſp. Tranſeat tota illa comparatio, ex quâ id ſolùm ſequitur, quod nos ultro fatemur; intellectum ſcilicèt non poſſe determinare ſe ad alterutram partem ſequendam, in hypotheſi æqualitatis motivorum: quia intellectus non eſt potentia libera, ſed neceſſaria, quæ libræ inſtar maneret æternùm in æquilibrio, niſi aliundè determinaretur: ſed ſicut libra de æquilibrio facilè dimovetur, & inclinatur in unam partem, ſi fortè quis manu lancem unam degravet, ita intellectus in dubio, ut in æquilibrio, poſitus, de ſtatu illa dubii facilè tollitur per imperium voluntatis, determinantis ad unam partem præ altera ſequendam. Quod verò pertinet ad locum S. Thomæ: ex illo nihil conficitur contra nos: vult enim tantùm S. Doctor, intellectum quandoque dubitare, quod veriſſimum eſt; & cauſam dubitationis duplicem aſſignat, carentiam ſcilicèt moventium, aut motivorum æqualitatem: prima cauſa neceſſariò dubitationem infert; ſecunda non item; nec quidquam contra definit S. Thomas.

Intellectus in æquilibrio poſitus de illo ſtatu tollitur per imperium voluntatis.

Objic. 2. Intellectus opinatur tantùm de objecto, quod magis apparet verum, quàm falſum: in concurſu autem motivorum æqualium honeſtas objecti non magis apparet vera, quàm falſa: nam ſi ex motivis libertati faventibus apparet vera, apparet etiam falſa ex motivis contrariis: motiva autem contraria ſupponuntur eſſe æqualia motivis faventibus: ergo omnibus perpenſis honeſtas objecti non magis apparet vera, quàm falſa. Reſp. Negando Majorem, ſi ſermo ſit de apparentiâ antecedente: poteſt enim intellectus ex imperio voluntatis determinari ad judicandum objectum eſſe verum, quamvis antecedenter ad omnem determinationem, & ex vi apprehenſionum motiva proponentium, non habeat majorem apparentiam veri quàm falſi. Quemadmodùm poteſt voluntas proſequi objectum, in quo non major apparet ratio boni, quàm mali. Fateor tamen, ſi ſermo ſit de apparentia conſequente, opinionem eſſe ſemper de objecto, quod magis apparet verum, quàm falſum; quia, ut communiter dicitur, unicuique ſua opinio probabilior eſt.

Inſt. Ergo eidem homini probabilior erit objecti honeſtas, & ſimul non erit probabilior. Ac primò quidem. Probabilior erit; quia unicuique probabilius eſt, quod judicat, verum eſſe. Secundò. Non erit probabilior; quia ſupponuntur motiva ſuadentia honeſtatem, non eſſe graviora motivis honeſtatem diſſuadentibus. Certè intellectus actu judicans, objectum non eſſe honeſtum, non alia motiva habet aſſerendæ honeſtatis, quàm quæ antecedenter ad judicium apparebant: ergo ſi antecedenter ad judicium honeſtas objecti non erat probabilior, probabilior quoque non erit conſequenter ad judicium. Reſp. Nulla contradictio eſt, in eo quòd honeſtas objecti probabilior ſit, & ſimul non probabilior, probabilitate diversâ, & reſpectu diverſarum cir-

Poteſt honeſtas objecti eſſe pro-

babilior & simul non probabilior probabilitate diversâ.

cumstantiarum. Nimirùm probabilior est, probabilitate consequente; quamvis probabilior non sit probabilitate antecedente: hujus autem diversitatis ratio duplex est. Prima. Quia consequenter ad judicium asserens honestatem objecti, plura sunt motiva pro objecti honestate, quàm anteà essent: per judicium enim, ipsius opinantis authoritas de novo accedit: quisque autem magnifacere solet authoritatem suam. Secunda ratio est. Quia priora motiva post affectum & assensum judicantis majora apparent, quàm anteà apparerent; sive quia intellectus ad ea magis attendit, & minùs ad opposita; sive quia cum affectu voluntatis conjuncta majorem impressionem faciunt: ex impressione autem, quam facit motivum, æstimatur gravitas & pondus illius.

Objic. 3. Ex duabus navibus, quarum alterutra naufragium certò factura est, nemo prudenter alterutram eligat; incertus, utra naufragium factura sit. Ex duobus cibis, quorum alteruter certò veneno infectus est, nemo alterutrum prudenter sumat; nesciens utri eorum venenum insit: quia nimirùm sine necessitate, aut rationabili causâ nemo prudenter exponit se periculo mortis: ergo ex duabus partibus æquè probabilibus, quarum alterutra necessariò falsa est, nemo alteram prudenter eligat, ne se periculo erroris exponat: error enim est venenum & naufragium quoddam intellectûs. Resp. Negando consequentiam & paritatem. Disparitas est. Quia longè melius est, à navigando aut à sumendo cibo abstinere, ubi nulla est necessitas aut rationabilis causa navigandi, aut cibi sumendi, quam exponere se probabili periculo mortis: nam si fortè navigandi, aut sumendi cibi necessitas instaret, posset quis prudenter eligere alterutram navem, & cibum alterutrum pro arbitrio. At verò melius est intellectui exponere se periculo errandi, cum spe magnâ assequendæ veritatis, quàm semper manere suspensum: quare negandum est, omnem errorem esse venenum, aut naufragium intellectus: hoc enim proprium est solius erroris temerè & imprudenter accepti.

Melius est intellectui exponere se periculo errandi cum spe magnâ assequendæ veritatis quam semper manere suspensum.

Objic. 4. Imprudenter agit, quicumque assentitur uni parti, sine ullâ ratione assentiendi: in concursu autem rationum æquè probabilium, qui assentitur uni parti, assentitur sine ullâ ratione assentiendi: rationes enim firmantes unam partem, destruuntur per rationes firmantes alteram. Resp. Rationes unius partis non destrui per rationes alterius: neque enim destruuntur rationes, nisi per illud, quo clarum fit, illas aut nihil probare, aut in errorem inducere: atqui per rationes unius partis non fit clarum, rationes alterius nihil probare, aut in errorem inducere; alioquin per rationes unius partis probabilis demonstraretur falsitas, aut improbabilitas alterius. Res patet in duobus testimoniis æqualibus & oppositis, quorum tamen unum non destruit aliud: nam si unum destrueret aliud, unum convinceret, aliud falsum esse: unum autem non convincit, aliud falsum esse; alioquin duo illa testimonia, vel se mutuò convincerent falsitatis, quod fieri non potest, vel æqualia non essent contra suppositionem.

Rationes unius partis non destruuntur per rationes alterius.

Inst. In concursu duarum partium æquè probabilium, non est ratio

aſſentiendi uni parti præ aliâ : ergo qui uni parti præ aliâ aſſentitur, ſine ratione aſſentitur, ac proindè aſſentitur irrationabiliter & imprudenter. Reſp. Diſtinguo Antecedens. Non eſt ratio aſſentiendi intellectualis, ſeu tenens ſe ex parte intellectûs ; Concedo : non eſt ratio affectiva ſeu tenens ſe ex parte voluntatis ; Nego Antecedens & Conſequentiam : fieri enim poteſt, ut ex parte voluntatis ſit bonum aliquod rationabile, & proſecutione dignum, determinans ad aſſentiendum uni parti præ aliâ æquè probabili ; quod ſufficit ad aſſenſum ab imprudentiâ vindicandum.

Ratio aſſentiendi uni parti præ aliâ tenet ſe ex parte voluntatis.

Statuebam 2. In concurſu duarum partium æquè probabilium, quatum una legi favet, altera libertati, licet utramlibet ſequi operando. Prob. Nam de parte quidem magis tutâ, quæ legi favet, nulla poteſt eſſe difficultas : eſt enim evidens, qui ſequitur operando partem magis tutam, quæ legi favet, nulli periculo peccandi ſe exponere. De parte verò minùs tutâ, quæ libertati favet, non videtur eſſe magna difficultas : licet enim ſequi judicando partem verè probabilem : pars autem libertatis verè probabilis eſt : licet autem ſequi operando eam partem, quam licet ſequi judicando : ergo licet ſequi operando partem minùs tutâm libertati faventem, quæ & ipſa probabilis eſt, non minùs quàm pars magis tuta, quæ legi favet. Ratio nimirùm eſt. Quia licet homini conformare operationem ſuam judicio probabili & practicè prudenti, quale eſt judicium aſſertivum libertatis probabilis, etiam in concurſu legis æquè probabilis.

Statuebat etiam licere utramlibet ſequi operando.

Objiciebatur 1. Qui ſequitur partem minùs tutam relictâ magis tutâ æquè probabili habere non poteſt conſcientiam certam licitæ operationis. Ponitur res in exemplo. Poteſt quidem, ut nobis placet, ita diſcurrere operans : licitum eſt mihi facere, quod prudenter judico, licitum eſſe : atqui hîc & nunc prudenter judico mihi licitum eſſe pingere, non obſtante die feſto ; ſupponitur enim licentia pingendi, etiam in die feſto, non eſſe minùs probabilis, quàm obligatio non pingendi : ergo mihi hîc & nunc licitum eſt pingere non obſtante die eſto. Videtur quidem operans per hunc diſcurſum habere conſcientiam certam de licentia pingendi in die feſto : ſed poteſt idem, ad formandam conſcientiam certam operationis illicitæ, contrario modo diſcurrere. Non licet mihi facere, quod prudenter judico, mihi eſſe illicitum : atqui prudenter judico, mihi illicitum eſſe pingere in die feſto : ergo mihi non licet pingere in die feſto ; quæ ultima conſcientia tam certa eſt, quàm prima ; ac proindè ſi ad operationem dehoneſtandam ultima non valet, non valebit prima ad honeſtandam. Reſp. Nego Antecedens. Ad probationem autem dico, non poſſe haberi ſimul conſcientiam certam licitæ operationis, cum conſcientiâ certâ operationis illicitæ ; quia ejuſmodi conſcientiæ ſunt contradictoriæ, & in eodem intellectu ſimul eſſe non poſſunt : poſſunt tamen eſſe ſucceſſivè : peccabit autem operans ſi pingat in die feſto cum conſcientiâ certa operationis illicitæ ; non peccabit idem ſi pingens in die feſto, conſcientiam certam habeat licitæ operationis.

Poteſt haberi conſcientia certa licitæ operationis, & illicitæ. Non ſimul, ſed ſucceſſivè.

Inſt. Si duæ illæ conſcientiæ haberi poſſunt ſucceſſivè, penes hominem erit facere, ut actio aliqua ſit licita, vel illicita, pro ipſius arbitrio ;

nam si velit Pictor judicare actionem pingendi esse licitam, faciet eo ipso, ut sit licita; contra verò si velit judicare esse illicitam, eo ipso faciet, ut sit illicita: quid autem dici potest absurdius? Resp. Nihil absurdi esse, quòd interdùm aliquo modo pendeat ab homine facere, ut actio aliqua sibi licita sit, vel illicita: nam scrupulosus, operans contra conscientiam scrupulosam, peccat; non peccaturus, si scrupulum suum deponeret, quem deponere potest. Conjux item, leviter dubitans de validitate sui matrimonii, peccat in ipso matrimonii usu; non peccaturus idem, si levem illam credulitatem exploderet, ut decidit Innocentius III. quid mirum igitur, si pictor, credens opus pingendi esse illicitum, peccet pingendo; non peccaturus idem, si prudenter crederet, opus pingendi licitum esse? Ratio ulterior est. Quia nihil habet absurdi, quod aliqua Dei voluntas directiva hominis conditionata sit, sub conditione, quæ ab ipso homine aliquo modo pendeat.

Nihil absurdi est quod interdum pendeat ab homine facere ut actio aliqua sit licita aut illicita.

Objic. 2. Licentia illa arbitraria sequendi alterutram ex duabus partibus æquè probabilibus unicè valet ad frustrandam legem Dei: patebit res in Exemplo. Sint duo Horologia, quę uno quadrante discordent: unum altero celerius pulsum mediæ noctis anticipet: poterit quis sub finem sabbathi, post signum mediæ noctis datum ab Horologio celeriore, carnes comedere; quia probabile est, jam transiisse sabbathum, & incepisse diem Dominicum, quo die licet comedere carnes: rursum vero post esum carnium pulsetur media nox ab Horologio lentiore; poterit idem eo die communicare, non obstante esu carnium; quia probabile est, talem esum non pertinere ad Diem Dominicum: utrumque enim Horologium æqualem facit probabilitatem. Resp. Licentia sequendi collectivè omnes opiniones probabiles tendit aliquando ad frustrandam legem Dei; sed non eò tendit licentia sequendi opiniones probabiles seorsum & disjunctivè. Volumus autem nos, in concursu duarum opinionum æquè probabilium, licere sequi utramlibet seorsum & disjunctivè, sed non utramque simul. Qua de re ad vitandum periculum laxitatis in quam valde proclive est hominum genus.

Licet sequi utramlibet opinionem disjunctivè, sed non simul.

Regulæ ad vitandum periculum laxitatis.

Dico 1. Ex licentia opinionis cujuslibet practicè probabilis, seorsum & disjunctivè sequendæ, non sequitur licentia sequendi omnes opiniones probabiles collectivè sumptas. Ratio nimirùm est. Quia fieri potest, ut probabile sit, opiniones singulas seorsum veras esse; neque tamen sit probabile, omnes simul esse veras: habetur enim interdùm simultas probabilitatis, absque eo quòd habeatur probabilitas simultatis.

Dico 2. Non licet sequi eam collectionem opinionum probabilium; quam sequendo, probabile non est, impleri omnem legem. Ratio est. Quia evidenter peccat, qui certus est operando, se violare aliquam legem: est enim obligatio implendi omnem legem collectivè: atqui si probabile non est homini, ipsum implere omnem legem, eo ipso certus est moraliter, se operando violare aliquam legem: ergo moraliter certus est, se operando peccare.

Dico 3. Non licet homini mutare sententiam in fraudem præcepti certò obligantis, nisi fortè constet de errore prioris sententiæ. Ratio est. Quia ubi

ubi præceptum Dei certò obligat non poteſt eſſe ullum medium licitum, per quod certò fruſtretur : ſi autem licita eſſet mutatio ſententiæ, per quam mutationem extingueretur omnis obligatio, jam præceptum certò obligans non obligaret certò ; certò enim fruſtrari poſſet.

Dico 4. Ad prudenter operandum, non modò probabilia eſſe debent omnia judicia, quibus dirigitur operatio, ſed etiam collectio omnium judiciorum debet eſſe probabilis. Ratio eſt. Quia ſi collectio judiciorum operationem dirigentium non eſſet probabilis, probabile non eſſet, omnia illa judicia dirigentia eſſe ſimul vera ; ac proindè ex illis haberi ſimul non poſſet diſpoſitio rationabilis & prudens, quæ ad rectè operandum neceſſaria eſt. Ex quibus principiis bene intellectis haberi poteſt reſponſio ad caſum ſupra propoſitum.

Nimirùm res contingere poteſt duobus modis. 1. Enim fieri poteſt, ut operans initio probabilitatem habeat unius partis ; deindè verò certitudinem partis oppoſitæ : in qua ſuppoſitione facilis reſponſio eſt. Scilicèt probabiliter credens, mediam noctem elapſam eſſe, licitè carnes comederet ; idemque deindè certò ſciens, eſum carnium anteceſſiſſe mediam noctem licitè communicaret ; quia certò ſciret, ſe reſpectu diei Dominicæ eſſe jejunum. 2. Fieri poteſt, ut operans de utraque parte contradictionis ſemper maneat incertus, ſolam de utraque parte probabilitatem habens. In qua hypotheſi, poteſt ille quidem carnes comedere poſt primum ſignum mediæ noctis, dummodò velit ſequenti die à communicando abſtinere : poteſt item Sabbatho comedere cibos eo die non prohibitos, uſque ad ſecundum mediæ noctis ſignum, ac deindè ſequenti die communicare ; quia ita faciendo probabile eſt, ipſum implere omnem legem : ſed non poteſt licitè ſi carnes comedat eodem die communicare. Ratio eſt. Quia ut excuſaretur à peccato, deberet ei eſſe probabile, quòd nullum præceptum violaret operando : atqui ſi comederet carnes, & eodem die communicaret, non poſſet ei probabile eſſe, quòd nullum præceptum violaret operando : ut enim hoc probabile eſſet, deberet eſſe probabile duo inſtantia diverſa concidere cum inſtanti mediæ noctis, ſeu unum & idem inſtans, eſſe inſtans mediæ noctis & ſimul non eſſe, quod eſt apertè impoſſibile.

Reſponſio duplex. Ad caſum de duobus horologiis ſupra propoſitum.

Inſt. Præceptum eſt recitationis Horarum in ſingulos dies : per viam autem iſtius probabilitatis dabitur locus tali præcepto fruſtrando : nam poterit aliquis differre Veſperas & Completorium uſque ad ultimum diei quadrantem, pulſandum ab uno quodam Horologio lentiore : tum verò ſi inter differendum pulſetur media nox ab altero Horologio celeriore, poterit idem licitè omittere Veſperas & Completorium ; quia probabile eſt, jam tranſiiſſe diem, & conſequenter obligationem penſi diurni : ergo non peccabit ille omittendo Veſperas & Completorium. Vides, quomodò ſequendo unum Horologium, non peccet differendo horas, & ſequendo alterum, non peccet penitus omittendo : ecce quò valeat licentia probabilitatis. Reſp. Ex ſupra dictis ſatis intelligitur, iſtum dilatorem Horarum non rectè procedere, idque propter rationem triplicem.

Reſponſio ad caſum de recitatione horarum.

1. Quia ita procedendo certus eſt, ſe non implere omnem legem, neque enim implet duo præcepta ſibi ſuccedentia, quæ certò & copulative obligant ad Veſperas bis recitandas intra ſpatia duorum dierum. 2. Quia ipſe ex tacito conſenſu Domini elegit unum Horologium ad determinandum tempus implendo præcepto oportunum: undè nec Horologium, nec ſententiam mutare poteſt, quia ita Horologii & ſententię mutatio jam cederet in fraudem præcepti certò obligantis. 3. Quia tandiu tenetur recitare Horas, quandiu probabile eſt, non adveniſſe mediam noctem: præceptum enim recitandi Horas in poſſeſſione eſt, & impletio præcepti eſt poſſibilis: atqui donec ſecundum Horologium pulſaverit, probabile eſt, non adveniſſe mediam noctem: ergo tandiu tenetur recitare Horas ad implendum præceptum certò obligans, quod poteſt, ut tenetur implere.

HODIERNA SENTENTIA AUTHORIS,

De obligatione ſequendi probabilitatem legi faventem in concurſu probabilitatis æqualis faventis libertati.

Hodierna ſententia authoris eſt obligatio ſequendi probabilitatem legi faventem in concurſu probabilitatis æqualis faventis libertati.

EXpoſui hactenus, quid mihi olim viſum fuerit de licentiâ ſequendi probabilitatem faventem legi, in concurſu probabilitatis æqualis faventis libertati: nec me pœnitet expoſuiſſe; tum quia in expoſitione ſtatuta ſunt multa vera, nec inutilia ad ſolidam totius controverſiæ deciſionem; tum quia etſi fortè veritatem non habet prior illa ſententia mea, non caret tamen ſuâ veriſimilitudine, rationibus humanis ſatis congruens; utinam rationibus divinis æquè congrueret: ſed planè non ſatis congruit; & ad ſtateram divinam appenſa invenitur minùs habens: quare mea iſthæc, qualiſcumque eſt, ſententiæ mutatio, mihi non vitio, ſed laudi potiùs verti debet: eſt enim laus aliqua, rationibus divinis poſthabere humanas; ad ſtateram divinam, minimè doloſam & fallacem antiqua præjudicia noſtra examinare; & veritatem Dei, cùm primùm ſe prodit, profundè adorare. Audacter igitur & ſine robore, quidquid olim in Academiâ Toloſanâ contra docuerim, ſtatuere aggredior obligationem ſequendi probabilitatem legi faventem, in concurſu probabilitatis æqualis faventis libertati, & quidem Argumentatione multiplici, ex rationibus divinis deducta. Contendo enim 1. Talem obligationem ex ipſo lumine vultûs divini valde ſplendeſcere. 2. Scriptam eſſe Dei digito in tabulis cordis humani carnalibus, ut cum Apoſtolo loquar. 3. In Teſtamento Dei veteri & novo ſatis expreſſam. 4. Canonibus Conciliorum, & Decretis Pontificum ſancitam. 5. Demum. Ex ſenſu & guſtu populi Chriſtiani à primis Eccleſiæ ſæculis ad noſtra uſque tempora perpetuò vigere. Eundem, ut vides, ſecuturus ordinem in refellendo probabiliſmo æquali, quem ferè ſecutus ſum in probabiliſmo minore refutando; non eodem tamen robore Argumentorum, aut eodem evidentiæ gradu: eſt enim materia præſens longè majoris difficultatis, & minùs certæ deciſionis.

Hæc mutatio ſententiæ non vitio ſed laudi potius verti debet.

Argumentatio multiplex pro tali obligatione.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTATIO PRIMA.

Ex tribus perfectionibus divinis in lumine vultûs divini radiantibus.

Argumentatio prima ex tribus perfectionibus divinis.

LUmen vultûs divini signatum super nos nihil aliud est in re, quàm clarissima idea perfectionum divinarum mentibus nostris altè impressa, & ita radians ad ostensionem boni, & mali, ut inexcusabiles sint, qui non vident, aut videre se dissimulant, quod per illam ostenditur: in vultu autem divino eminent præsertim suprema Dominii divini excellentia, sapientia summa, & perfectissima sanctitas; tres perfectiones insignes, ex quibus, totidem veluti radiis splendescere videtur obligatio sequendi legem divinam probabilem in concursu libertatis humanæ æquè probabilis. Splendescit enim 1. Ex suprema Dominii divini excellentia. Splendescit 2. Ex summa Dei Legislatoris sapientia. Splendescit 3. Ex perfectissima Dei sanctitate.

Lumen vultus divini signatum super nos, quod sit?

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM,

Ex supremâ Dei Domini excellentiâ.

Suprema Dominii Dei excellentia.

NAm excellentissimus Dominus habet necessariò jus prælationis respectu cujuscumque subditi sui, saltem in pari causâ: atqui Deus excellentissimus Dominus est creaturę suæ rationalis; ergo, &c. Consequentia deducitur evidenter ex præmissis: præmissæ autem videntur & ipsæ evidentes: nam si quis Dominus non habet jus prælationis supra subditum suum in causâ pari, jam non concipitur esse Dominus excellentissimus: potest enim concipi Dominus excellentior; ille nimirùm Dominus, cui competit jus prælationis in causâ pari subditorum: est autem Deus excellentissimus Dominus creaturæ suæ, ut ex ipsis terminis patet: ergo habet jus pręlationis supra creaturam suam rationalem in pari causâ: atqui in probabilitate æquali legis & libertatis par est causa Dei & hominis, legis divinæ & libertatis humanæ: ergo in tali æqualitate competit Deo jus prælationis supra libertatem humanam, ac proindè lex divina probabilis necessariò præferri debet libertati humanæ æquè probabili. Confirmatur Exemplo humano sensibili. Exoriatur lis aliqua Regem inter & subditum, ut contingere potest: Judex aut arbiter litis constitutus, quisquis ille fuerit, si post examen sufficiens invenerit, pa-

Excellentissimus Dominus habet necessariò jus prælationis respectu cujuscumque subditi sui, saltem in pari causa.

rem utriusque causam, & jus Regis æquè probabile esse ac jus subditi; nonne litem Regi adjudicabit? Adjudicabit sine dubio, & quidem absque ullo vitio acceptionis personarum; quia scilicèt competit Regi jus prælationis supra subditum in causâ pari. Ratio ulterior esse potest. Quia præstat, jus Regis manere indemne, quam jus subditi; & si fortè alterutrum violandum est, minus malum est, violari jus subditi, quàm jus Regis: jus enim Regis, jus est aliquod magis sacrum, ac proindè magis inviolabile: ea nimirùm reverentia debetur regiæ majestati, ut in pari causâ Rex subdito præferatur: quòd si Rex tale jus habet; quantò magis Deus *Rex Regum, & Dominus Dominantium*: ergo in concursu legis probabilis cum libertate æquè probabili, intellectus, judex aut arbiter controversiæ, pronuntiare debet in favorem legis divinæ probabilis contra libertatem æquè probabilem.

Jus Regis magis sacrum, ac proindè magis inviolabile.

Excellentia Dominii divini non auget probabilitatem juris Dei.

Objicies. Excellentia Dominii divini non auget probabilitatem juris Dei Domini, supra probabilitatem juris creaturæ: neque enim facit jus Dei Domini probabilius, aut jus creaturæ minùs probabile: ergo remanet utriusque jus omninò æquale: in æqualitate autem utriusque juris non apparet, cur unum alteri præferri debeat. Respondeo. Excellentia quidem Dominii divini non auget jus Dei Domini præcisè fundatum in rationibus probabilibus, existentiam legis divinæ suadentibus: supponitur enim libertas humana habere rationes æquales sibi suffragantes, ac proindè supponitur lex divina non esse probabilior libertate humanâ; nihilominùs tamen positâ æqualitate rationum pro utraque parte seu legis divinæ, seu libertatis humanæ, jam debetur excellentiæ Dei Domini, ut Deus Dominus creaturæ suæ, & lex divina libertati humanæ præferatur: tale autem jus non fundatur præcisè in rationibus probabilibus legi divinæ faventibus, cùm æquales omninò rationes libertati humanæ faveant, sed fundatur in excellentia Dei Domini, qui, positâ æqualitate rationum utrique suffragantium, meretur præferri creaturæ servæ suæ, & in humili conditione servitutis creaturæ, quæ Deo Domino suo postponi debet.

Debetur tamen excellentiæ Dei Domini, ut Deus Dominus creaturæ suæ, & lex divina humanę libertati præferatur.

Instabis. Vitiosum est omne judicium, in quo non jura partium: sed personæ attenduntur: vitium enim est acceptio personarum: ergo vitiosum erit judicium, quo legis divinæ existentia non præcisè ex merito rationum legem probantium, sed ex Dei Domini dignitate judicabitur; in tali enim judicio non jus partium, sed personæ dignitas attendetur. Respondeo 1. Hoc Argumento probari quidem, quod volumus; libertatem scilicèt probabilem in concursu legis æquè probabilis judicari non posse; quia committitur in tali judicio vitiosa acceptio personarum: in quo nimirùm judicio non solum jus partium, sed persona etiam humana attenditur, quæ attendi non deberet: quòd si non licet judicare secundùm libertatem probabilem, jam non licebit secundùm illam operari. Respondeo 2. Vitiosa est acceptio personarum in omni judicio, in quo respicitur persona, quæ respici non debet, aut plùs respicitur quàm respici debeat: sed ubi persona, quæ respicitur, est ipsemet Deus, jam vi-

tiosus esse non potest illæ personæ respectus ; quia Deus respici debet, nec respici potest supra meritum suum : nam si fortè non respiceretur , & in pari causâ creaturæ suæ non præferretur , jam fieret indignus aliquis supremæ majestatis contemptus.

Deus respici debet, nec respici potest supra meritum suum.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Ex summâ Dei Legislatoris sapientiâ.

Summa Dei legislatoris sapientia.

VIdetur enim indignum summâ sapientiâ Dei Legislatoris , licentiam facere , ut , in concursu libertatis humanæ probabilis cum lege divina æquè probabili , libertas humana legi divinæ præferatur. Debet nimirùm sapientissimus Legislator providere non solùm honori & dignitati, sed etiam rationabili observationi legum suarum : non satis autem provideret, si talis prælationis licentiam faceret ; tum quia illa libertatis humanæ prælatio nimis foret indigna , & injuriosa legibus divinis , quæ magis merentur ipsæ præferri libertati , quàm indignè postponi ; tum quia per licentiam indignæ illius prælationis , Deus ipse legum suarum observatione , quam intendit rationabiliter , plerunque impunè frustraretur ; toties nimirùm , quoties lex divina probabilis , cum libertate æquè probabili concurrens , libertati postponeretur , quod plerunque eveniret : ergo sapientissimus Legislator, qui leges tulit, easdemque cum libertate humanâ æquè probabili plerunque concursuras prævidit , velle debuit pro sapientiâ suâ, ut in tali probabilitatis æqualitate , leges suæ divinæ præferrentur libertati humanæ.

Officium sapientissimi legislatoris.

Objicies. In dubio negativo , seu legis , seu libertatis , quando nec pro lege , nec pro libertate occurrit ratio ulla positiva , Deus sapientissimus Legislator permittit creaturæ suæ operari secundùm libertatem : ergo & in dubio positivo , quando pro lege & libertate militant rationes æquè graves , præsumendus est idem permittere : perindè enim fit dubia lex per dubium positivum , ac per negativum. Respondeo. Nego Consequentiam & paritatem. Disparitas est. Quia in dubio negativo ex rationabili Dei voluntate præsumitur esse libertas operandi , & ideo præsumitur ; quia nulla est probabilitas legis libertatem ligantis. Ratio generalis est. Quia Deus , ex quo creaturam liberam posuit in possessione suæ libertatis , sapientissimè vult , stare liberè suam illam libertatis possessionem , donec indè deturbetur , per probabile aliquod præceptum libertatem ligans ; cujusmodi præceptum nullum esse intelligitur in dubio negativo legis & libertatis : nam si tale aliquod præceptum probabiliter appareret, jam neque lex neque libertas dubia esset negativè , sed positivè. At verò in dubio positivo legis & libertatis, quando libertas creaturæ probabilis concurrit cum lege divina æquè probabili , ita probabilis est operandi libertas, ut certa esse non possit ; incertam enim & dubiam faciunt rationes graves stantes pro lege æquè probabili : ergo jam non licet operari

In dubio negativo seu legis , seu libertatis permittit Deus creaturæ suæ operari secundum libertatem.

Non verò in dubio positivo.

ſecundùm libertatem; tum quia in probabilitate æquali legis & libertatis Deus habet irrefragabile jus prælationis, in ſua excellentia fundatum, ratione cujus præferri debet lex probabilis libertati humanæ æquè probabili; tum quia operari non licet ſine conſcientia certa licentiæ operandi, ut ſupra ſtatuimus in principiis noſtris.

Duo interdum præcepta divina incompoſſibilia, æquè probabilia concurrant in mente operantis.

Inſtabis. Fieri poteſt, & aliquando fit, ut appareat probabiliter, unum aliquid eſſe prohibitum, idemque ſimul appareat æquè probabiliter eſſe imperatum: contingit enim aliquando, concurrere in mente operantis duo præcepta incompoſſibilia de una eademque re, unum affirmans, alterum negans; utrumque æquè probabile; in quo caſu etſi probabilitas præcepti affirmativi ſit æqualis probabilitati præcepti negativi; nihilominùs tamen ſequi licet probabilitatem alterutram pro arbitrio: ergo ex duabus partibus in materiâ morali æquè probabilibus, quarum una legi favet, altera libertati, licebit pariter utramlibet ſequi. Conſequentia videtur manifeſta: nam ſi Deus ſapientiſſimus Legiſlator permittit, ut ex duobus præceptis contradicentibus & æquè probabilibus determinet ſe creatura ad utrumlibet; non apparet, cur non poſſit idem ſalvâ ſapientiâ ſuâ permittere creaturæ, ut ex duabus partibus legis & libertatis contrapugnantibus & æquiponderantibus utramlibet ſequatur. Reſpondeo. Admiſsâ hypotheſi, Nego conſequentiam & paritatem. Agnoſco igitur, ubi duo præcepta divina æquè probabilia, & æquè gravia concurrunt, licere utrumlibet ſequi; quia nihil impedit, quominùs creatura determinet ſe ad alterutrum pro arbitrio: quid enim impediret? An gravitas unius major gravitate alterius? Sed ſupponuntur eſſe æquè gravia: an major, aut minor probabilitas? Sed ſupponuntur eſſe æquè probabilia: an Dei dignitas? Sed utrumque præceptum apparet æquè divinum, & videtur in utroque intervenire æqualiter ſuprema Dei dignitas: quare ex Dei dignitate non venit ullus titulus, cur unum præceptum alteri præferatur: nihil igitur habet libertas creaturæ, quo prohibeatur alterutrum ſequi pro arbitrio. Sed longè alia eſt hypotheſis libertatis humanæ probabilis concurrentis cum lege divina æquè probabili: nam etſi lex divina probabilior non ſit libertate humanâ, ac proindè ex capite probabilitatis non debeat præferri libertati, habet tamen aliundè titulum prælationis, in excellentia Dominii divini fundatum: Deus enim excellentiſſimus Dominus jus habet prælationis ſupra creaturam ſuam, ac proinde in concurſu legis divinæ probabilis cum libertate humana æquè probabili jus habet, ut divina ſua lex libertati humanæ præferatur.

In illo concurſu poteſt operans determinare ſe ad utrãlibet. Quia nullus eſt titulus cur unum præceptum alteri præferatur.

ARTICULUS TERTIUS.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Ex infinitâ Dei sanctitate.

Ex summa Dei sancti-tate.

INfinita Dei sanctitas non patitur, ut fiat licentia creaturæ, præferendi libertatem suam probabilem legi divinæ ęquè probabili : talis enim prælatio videtur esse omninò inordinata, & descendere de amore proprio, amore illo sui, usque ad contemptum Dei, non de amore Dei, usque ad contemptum sui : nam tenetur creatura præcepto divinæ charitatis magis diligere Deum, quàm se ipsam, ac proindè magis diligere legem divinam, quàm libertatem suam : ergo tenetur eodem præcepto divino, legem divinam præferre suæ libertati. Confirmatur. Deus pro sua summa sanctitate velle debet necessariò ut creatura ad æqualem boni & mali apparentiam, aut omninò hæsitet, si potest, aut certè determinet se ad sequendam potiùs apparentiam boni, quàm mali : determinare enim se ad sequendam potiùs apparentiam mali, quàm boni, videtur esse manifesta quædam inordinatio ; quam summa Dei sanctitas approbare non potest : si enim approbaret, jam summa non esset ; quia posset concipi sanctitas aliqua major, ea scilicèt quæ talem inordinationem non posset approbare : atqui si creatura, in ęquali probabilitate legis & libertatis, determinaret se ad partem libertatis probabilem sequendam, relictâ parte legis æquè probabili, jam determinaret se potiùs ad apparentiam mali, quam boni in pari causâ ; determinaret enim se ad faciendum aliquid, quod habet apparentiam mali, eo relicto, quod habet æqualem apparentiam boni : nam sicut apparentiam mali habet, quod habet apparentiam illegitimi, seu lege prohibiti ; quia idem est malum esse, quod illegitimum, seu lege prohibitum ; ita apparentiam boni habet, quod habet apparentiam legitimi, seu per legem præcepti : creatura autem, determinans se ad sequendam partem libertatis probabilem, faceret aliquid, quod probabiliter apparet illegitimum, seu legi dissonum, eo postposito, quod probabiliter apparet esse legitimum, seu legi consonum : ergo sequeretur apparentiam mali potiùs quàm boni ; quę electio cùm præpostera sit & inordinata, Deo summè sancto probari non potest.

Tenetur creatura magis diligere Deum quam seipsam.

Deus summe sanctus necessario vult ut creatura ad æqualem boni & mali apparentiam aut omninò hæsitet si potest, aut certe determinet se ad sequendam potius apparentiam boni, quam mali.

Objicies. Operari secundùm libertatem probabilem, nihil aliud est in re quàm operari secundùm Dei permissionem : non repugnat autem summæ sanctitati Dei, multa permittere creaturæ suæ, & indifferentia relinquere ; nec potest Deo summè sancto displicere, quòd creatura utatur divinâ ipsius permissione. Respondeo. Est aliqua, fateor, voluntas Dei permittens : potest Deus multa permittere, & indifferentia relinquere : potest item creatura sequi permissionem Dei, & ex ea permissione operari secundùm libertatem : nihilominùs tamen dico, peccari posse dupliciter in permissione Dei sequenda. 1. Quidem. Si, quod plerunque fit, creatura moveatur ad operandum, non tam permissione Dei, quàm

Peccari potest dupliciter in permissione Dei sequenda.

suâ ipsius cupiditate, qui modus operandi vitiosus est. 2. Si permissio probabilis concurrat cum obligatione æquè probabili; obligatio enim debet prævalere permissioni, ut per se patet: peccaret ergo, qui, probabili obligatione contemptâ, permissionem duntaxat æquè probabilem sequeretur: creatura enim minùs tangi debet voluntate permittente, quàm obligante; & longè magis curare debet, conformare se voluntati obliganti, quàm permittenti. Ratio ulterior est. Quia potest creatura non conformare se voluntati permittenti, seu Dei permissione non uti, absque peccato; sed non potest absque peccato non sequi voluntatem obligantem: ergo in pari causâ tenetur sequi voluntatem obligantem potiùs quàm permittentem. Nimirùm hanc ei facit obligationem Deus sanctus, justitiæ amans, & odio habens omnem viam iniquitatis.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTATIO SECUNDA.

Ex triplici Regulà Dei digito scriptà in tabulis cordis carnalibus.

REgulas quasdam generales & primarias, ad directionem totius hominis ordinatas præscripsit, easdemque unicuique homini ipso naturæ lumine notificavit Deus; supra quas Regulas si velit homo seriò & profundè reflectere, obligationem, quam quærimus, facilè inveniet. Tres autem omninò sunt eæ Regulæ ut jam diximus. Prima est Regula sequendæ veritatis, quæ spectat directionem intellectûs. Altera est Regula sequendæ honestatis, quæ pertinet ad directionem voluntatis. Tertia est Regula obsequii realis Deo præstandi, quæ respicit directionem externæ operationis: quas ego Regulas ita distinctè explicui Quæstione 1. ut explicationi superaddere nihil habeam. Sed ut ex his Regulis demonstravi supra obligationem sequendi majorem probabilitatem legi faventem; ita ex iisdem spero me demonstraturum obligationem sequendi probabilitatem legi faventem, in concursu probabilitatis æqualis faventis libertati.

1. Est regula sequendæ veritatis.

2. Sequendæ honestatis.

3. Est regula obsequii realis Deo præstandi.

ARTICULUS

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Regulâ veritatis.

Regula veritatis.

Triplex ſtatus operantis.

IN æquali probabilitate legis divinæ, & libertatis humanæ poteſt concipi operans habere ſe tripliciter. Nam vel ſe determinat ad judicandam legem divinam præ libertate humana æquè probabili; vel ſe determinat ad judicandam libertatem humanam præ lege divina; vel denique manet ſuſpenſus & hæſitans inter utramque. Si primum: jam fit evidens obligatio ſequendi legem divinam: tenetur enim lege qui poſitivè & determinatè credit eſſe legem; tenetur enim unuſquiſque non operari contra conſcientiam ſuam: operans autem contra legem divinam, quam credit eſſe, & ſecundùm libertatem, quam credit non eſſe, operatur eo ipſo contra conſcientiam ſuam, ac proindè contra legem aliquam ſequendæ veritatis: nam lex conſcientiæ ſequendæ eſt ipſamet lex aliqua ſequendæ veritatis.

1. Vel determinat ſe ad judicandam legem præ libertate & tenetur lege.

Si ſecundum: jam peccat, determinando ſe ad judicandam libertatem humanam probabilem, præ lege divina æquè probabili: talis enim determinatio rationem peccati habet, & quidem multiplicem: peccat enim contra legem veritatis, cujus nimirùm amore non ducitur, quo tamen duci deberet: nam ſi amore veritatis duceretur, jam non ſequeretur libertatem humanam, relictâ lege; cùm in parte legis non ſit minor apparentia veri, quàm in parte libertatis. Peccat item irrationabili prælatione; quatenus libertati humanæ veritatem adjudicat, potiùs quàm legi divinæ, idque pro libito ſuo, & ſine ullâ ratione: cùm enim lex æquè probabilis ſit, ac libertas, nihil planè occurrit, quo veritas libertati potiùs quàm legi adjudicari debeat. Peccat denique iniquo & planè indigno contemptu divinæ majeſtatis, quam non veretur creaturæ poſtponere in pari causâ; cùm tamen præferre deberet, ſi ad veritatem attenderet: eſt enim patens veritas, competere Deo jus prælationis ſupra creaturam ſuam in pari causâ; ex quo jure ſequitur, legem divinam probabilem debere præferri libertati humanæ æquè probabili.

2. Vel determinat ſe ad judicandam libertatem præ lege & peccat multipliciter.

Si tertium: jam operari non poteſt ſecundùm libertatem; quia operando ſecundùm libertatem in dubio poſitivo legis & libertatis, exponit ſe periculo, & faciendi contra legem, & deſerendi veritatem, quæ probabiliter eſt in parte legis.

3. Vel manet ſuſpenſus inter utramque tunc operari non poteſt ſecundum libertatem.

Objicies 1. Etiamſi credatur eſſe lex, nihilominùs tamen dubia ſemper remanet, ſtante ſemper æquali probabilitate libertatis: lex autem quæ dubia eſt non obligat: ergo non obligat etiam lex quę creditur eſſe. Reſpondeo. Ex quo creditur eſſe lex, deſinit eſſe dubia in mente operantis: quia judicans eſſe legem dubius non eſt de exiſtentiâ legis: eſto, de lege dubitare poſſit propter æquiponderantiam libertatis probabilis; actu tamen non dubitat an ſit lex, ut ſupponimus; ſed poſitivè & determinatè judicat legem eſſe: ergo jam tenetur lege quam judicat eſſe,

Ex quo creditur eſſe lex deſinit eſſe dubia in mente operantis.

idque ex lege ſequendæ veritatis creditæ & acceptatæ, quæ lex credentem & acceptantem obligat ad conformandam operationem ſuam veritati creditæ & acceptatæ.

Objicies 2. Qui judicat ſecundùm libertatem æquè probabilem, judicat eo ipſo probabiliter, legem non eſſe: ergo id ipſum judicat prudenter; idem enim eſt judicare prudenter, & probabiliter judicare. Judicium ergo, quo judicatur probabiliter, ſeu prudenter non eſſe legem, eſt judicium prudens: poteſt autem operans conformare operationem ſuam judicio prudenti: ergo & operari ſecundùm libertatem in concurſu legis æquè probabilis. Confirmatur. Quia tam prudenter judicare poteſt legem non eſſe, quàm poſſit prudenter judicare legem eſſe: poteſt autem judicare prudenter legem eſſe, ut nos ultro fatemur; ergo etiam poteſt prudenter judicare legem non eſſe. Major Propoſitio, in quâ ſolâ poteſt eſſe difficultas, ſatis tamen videtur patere ex æquali probabilitate legis & libertatis, quæ probabilitas æqualis eſſe ſupponitur: ex duobus enim judiciis quæ ſingula rationes habent pro ſe æquales, tam prudens eſt unum, quàm alterum. Reſpondeo. Qui judicat ſecundùm libertatem æqualis cum lege probabilitatis, judicat quidem probabiliter legem non eſſe, ſed ſecundùm quid duntaxat, non ſimpliciter: nam ſi præcisè attendantur rationes graves faventes libertati, extra concurſum rationum æqualium legi faventium, apparebit quidem libertas verè probabilis, & probabiliter judicari poterit ſecundum libertatem: ſed ſi cum rationibus libertati faventibus, attendantur quoque rationes legi faventes (ut profectò attendi debent, ex lege inquirendæ veritatis, obligante ad omnia accuratè ponderanda, quæ niſi ponderarentur, pronum eſſet à veritate deviare) jam nec libertas præ lege, nec lex præ libertate judicari poteſt prudenter: attentis enim præcisè rationibus utrimque æqualibus, non eſt cur una præ alterâ judicetur: ergo judicium prælativum, quo judicatur libertas præ lege æquè probabili, imprudens eſt. Nimirùm in tali judicio prælativo duæ ſunt ſpectandæ rationes; ratio judicii, & ratio prælativi: in ratione quidem judicii nihil apparet imprudentiæ; quia judicium fundatum in rationibus gravibus videtur eſſe prudens: ſed in ratione prælationis vitium eſt imprudentiæ; quia in æquali utriuſque partis probabilitate non eſt cur libertas legi præferatur: ergo ejuſmodi prælatio imprudens eſt, eademque contra legem determinandæ veritatis, quæ lex obligat, ne ſine ratione uni parti adjudicetur veritas potiùs quàm alteri; talis enim adjudicatio arbitraria raró veritatem aſſequitur. Dicendum ergo ſi ſpectentur præcisè rationes legis & libertatis hinc indè æquales, & nihil aliud attendatur; tam prudens eſſe unum judicium, quàm alterum, aut ut meliùs dicam, neutrum prudens eſſe, ſi prælativum; quia ex momentis præcisè rationum utrinque æquiponderantium, non eſt cur libertas legi præferatur, aut lex libertati. Sed ſi attendatur, ut profectò attendi debet, Excellentia Dominii divini, tenens ſe ex parte legis, jam non eſt probabilis licentia judicandi pro libertate contra legem æquè probabilem: eſt enim evidens, debere legem præferri libertati; quia veritas eſt naturæ lumine patens, competere Deo jus præla-

Judicium prælativum quo judicatur libertas præ lege æquè probabili imprudens eſt.

Diſtinguēda ratio judicii, & ratio prælationis.

Competit Deo jus prælationis ſupra creaturam.

tionis ſupra creaturam ſuam in cauſâ pari; eique veritati manifeſtè adverſatur quicumque libertatem humanam legi divinæ præfert in cauſâ pari. Undè ſequitur, judicium prælativum, quo judicatur lex probabilis præ libertate æquè probabili prudentiſſimum eſſe: contra verò judicium prælativum quo judicatur libertas probabilis præ lege æquè probabili eſſe imprudentiſſimum.

Objicies 3. Poteſt quis in æquali probabilitate legis & libertatis manere ſuſpenſus, neutram judicando, & inter utramque hæſitando; in quo tamen ſtatu ſuſpenſionis & hæſitationis poteſt determinare ſe ad operandum ſecundùm libertatem probabilem; quia in tali ſtatu lex propriè dubia eſt: eſt autem certum, legem dubiam non obligare. Reſpondeo. Statum illum quidem ſuſpenſionis & hæſitationis eſſe poſſibilem, eundemque prudentem & conſentaneum legi veritatis poſtulanti ne judicium temerè præcipitetur ex rationabili timore errandi: ſed nego in tali ſtatu ſuſpenſionis & hæſitationis licitum eſſe operari ſecundùm libertatem probabilem, poſthabitâ lege æquè probabili; quia in dubio poſitivo legis probabilis, non licet operari ſecundùm libertatem æquè probabilem: operari enim ſecundùm libertatem probabilem, in dubio poſitivo legis æquè probabilis, eſt ſubire nimis grave periculum violandæ legis; quod periculum ſubire non licet: ergo ut quis operetur ſecundùm libertatem probabilem, debet tollere ſe, ſi poteſt, de ſtatu dubii, & judicare ſecundùm libertatem: quod cùm ſatis prudenter, & ſine præcipitatione culpabili facere non poſſit, tenetur perſeverare in dubio poſitivo legis; eoque dubio perſeverante, ſi res urgeat, ſecundùm legem operari. Quod autem additur, legem probabilem dubiam eſſe; legem autem dubiam non obligare, diſtinguendum eſt: lex enim dubia eſſe poteſt, vel poſitivè, vel negativè: lex quidem negativè dubia non obligat; quia nullo modo apparet eſſe, ac perindè ſe habet, ac ſi non eſſet in ordine ad obligandum: ſed lex poſitivè dubia obligare poteſt; quia ſatis apparet eſſe ex rationibus gravibus, quas pro ſe habet æquiponderantes rationibus libertati ſuffragantibus, ac proindè ſatis apparet in ordine ad obligandum, ne quid contra ipſam temerè fiat. Ea nimirùm debetur reverentia legi divinæ, ut in pari cauſâ libertati humanæ præferatur.

In ſtatu dubii, non licet operari ſecundùm libertatē probabilē poſt habita lege æquè probabili.

Obligat lex non dubia quidem, negativè ſed poſitivè.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Ex Regulâ honeſtatis.

PRæmitto. Regula honeſtatis dividi poteſt in primariam & ſecundariam; quia honeſtas alia primaria eſt, alia ſecundaria: regula enim honeſtatis primariæ primaria dicitur, ex primariâ honeſtate, quam dirigit: regula verò honeſtatis ſecundariæ dicitur ſecundaria, ex honeſtate ſecundariâ, quam præſcribit. Reflectamus ſupra utramque regu-

Regula honeſtatis duplex primaria & ſecundaria.

lam, ut ex multiplici reflexione clariùs intelligatur obligatio, quam quęrimus.

Primaria consistit in amore Dei appretiativo.

Primaria igitur regula honestatis est, ut creatura rationalis Deum amet appretiativè supra omnia, etiam supra seipsam, in amore enim illo appretiativo Dei consistit primaria creaturæ honestas: nec merum consilium est, regula ista primaria, sed verum & maximum præceptum; quia amor Dei appretiativus super omnia sub præceptum cadit, juxta illud. *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis: hoc est primum & maximum mandatum.* Atqui ex amore Dei omnium maximo necesse est creaturam determinari ad Deum maximè amandum; ac proindè ad magis amandam voluntatem Dei, quàm suam: ergo necesse est eandem determinari ad legem divinam probabilem libertati suæ æquè probabili præferendam, aut certè non postponendam: nam si fortè postponeret, jam voluntatem divinam minùs amaret; quod apertè pugnat cum amore Dei appretiativo super omnia: si autem non præferret, jam Deum non magis appretiativè amaret, ac proindè non amaret satis; quia ut satis amet, debet voluntatem divinam magis amare, quàm suam: non amaret autem magis, si in pari utriusque causâ voluntatem suam prę divinâ sequeretur: sed neque amaret satis, si in ęquali utriusque probabilitate nimis hæsitans, ad neutram determinaret se; jam enim ad utramque haberet se æqualiter: non debet autem habere se æqualiter ad utramque; debet enim magis voluntatem divinam amare, quàm suam, ac proindè si æqualiter amaret utramque, jam divinam non satis amaret: ergo ut satis amet, debet sine hæsitatione voluntati suæ præferre divinam non obstante æquali utriusque probabilitate.

Objicies. Ex lege amandi Deum appretiativè super omnia ineptè colligitur obligatio sequendi legem probabilem in concursu libertatis æquè probabilis; siquidem homo intelligitur amare Deum super omnia, eo ipso quòd intelligitur paratus ad renuntiandum omnibus, potiùs quàm Deo: potest autem intelligi ita paratus, etiam si fortè libertatem suam probabilem sequi velit, relictâ lege divinâ æquè probabili; quia nimirùm lex etiam divina non est ipsemet Deus. Respondeo. Amor appretiativus Dei super omnia hominem determinare debet, non solùm ad renuntiandum omnibus potiùs quàm Deo suo, sed etiam ad sequendam voluntatem divinam obligantem, potiùs quàm suam ipsius libertatem: lex autem divina est aliqua Dei voluntas obligans: ergo ex lege amandi Deum super omnia, determinari debet homo ad sequendam legem divinam potiùs quàm libertatem suam: neque enim intelligitur amare Deum appretiativè supra se ipsum, nisi intelligatur determinatus ad volendum Deo magis placere, quàm sibimetipsi: ergo quâ lege obligatur ad amandum Deum supra omnia, obligatur quoque ad volendum Deo magis, quàm sibimetipsi placere; ac proindè obligatur ad sequendam legem divinam probabilem prę libertate suâ æquè probabili: nam si libertatem suam probabilem sequeretur, præ lege divina æquè probabili, jam magis amaret beneplacitum suum, quàm beneplacitum Dei, &

Ex lege amandi Deũ determinari debet homo ad sequendam legem divinam potius quam suam ipsius libertatem.

sibimet ipsi magis quàm Deo placere eligeret, quæ electio non tam videtur esse de amore appretiativo Dei super omnia, quam de amore appretiativo sui super ipsum Deum. Illustratur responsio nostra similitudine familiari. Aulicus Regis Legatus, pro suâ legatione obeundâ iter faciens, in bivio hæret, anceps utram viam sequatur, dexteram, an sinistram, dextera brevior est, sed difficilior, sinistra longior, sed commodior. Judicat probabiliter Legatus, mandasse sibi Regem, ut viam breviorem teneat, probabiliter item, & æquè probabiliter judicat, nihil mandasse Regem de viâ breviore tenendâ, sed permisisse ut viam commodiorem sequeretur, certus non præcepisse. Quid faciet Legatus in æquali illâ probabilitate mandati & permissionis? Utram viam sequetur? Dexteram, an sinistram? Probabile quidem est permissam sibi fuisse à Rege viam commodiorem; sed æquè probabile, viam breviorem sibi fuisse mandatam: nonne, si sapit, viam breviorem tenebit, quamvis difficiliorem? Nonne plus movebitur probabili mandato Regis, quàm probabili permissione? Movebitur sane, & sine morâ viam breviorem tenebit, probabiliter sibi à Rege mandatam: nam si secus faceret, exponeret se gravi periculo displicendi Regi, & convinceretur, non satis cordi habuisse beneplacitum Regis. Nec difficile est materiæ nostræ adoptare similitudinem: *Peregrinamur enim à Domino*, & unusquisque nostrûm viator est: omnes in viâ sumus, pro fungendâ legatione nostrâ: omnes in bivio positi, plerunque hæremus utrâ viâ gradiendum nobis sit, dexterâ, an sinistrâ; hoc est viâ legis aut libertatis; ambæ enim sunt æquè probabiles: quid ergo opus facto? Et quâ viâ gradiendum nobis est? Nonne viâ legis, potiùs quàm libertatis? Nonne mandato divino probabili moveri magis debemus, quàm probabili nostrâ libertate? Debemus plane: nam si post habito mandato divino libertatem nostram sequamur, temerarium mandati sui contemptum nobis meritò Deus exprobrare, ac pro suo jure vindicare poterit.

Illustratur similitudine Aulici.

Accedit ad Regulam primariam honestatis, regula secundaria, eaque multiplex. 1. Enim Regula aliqua honestatis secundaria est, ut homo voluntate suâ vehementer propendeat in id quod bonum & honestum est, præsertim necessarium; eaque vehemens & voluntaria propensio videtur esse obligationis & necessitatis: nam si obligationis & necessitatis non esset, jam non appareret ab optimo Authore naturæ satis bene constitutus homo. Ergo in æquali probabilitate legis & libertatis debet determinare se ad sequendam partem legis probabilis, in quâ solâ sequendâ apparet bonum & honestum necessarium. Bonum enim & honestum necessarium est obedire legi; indulgere verò præcisè libertati suæ probabili, bonum & honestum non est, sed ad summum aliquid indifferens: ergo si libertatem suam sequeretur probabilem, relictâ lege æquè probabili, jam voluntate suâ in bonum & honestum necessarium non satis propendere videretur.

Secundaria multiplex.

1 Ut propendeat homo vehementer in id quod bonum & honestum est præsertim necessariũ.

Neque dixeris vehementem illam propensionem, quam præscribit regula honestatis, respicere solùm honestum certum, & clarè cognitum, non verò honestum obscurè cognitum, & incertum; cujusmodi

Quænam debeat esse propensio ad honestũ

clare cognitum, quænam ad honestum probabile.

est honestum duntaxat probabile. Quis enim credat tantam debere esse propensionem ad umbram honesti captandam, quàm ad ipsum honesti corpus amplectendum? Atqui in parte legis probabilis cum libertate æquè probabili concurrentis, si quid boni & honesti est, totum incertum est, & obscurè cognitum; nec tam est honestum, quàm umbra & apparentia honesti. Respondeo 1. Minor quidem esse debet propensio voluntatis ad honestum duntaxat probabile, quàm ad honestum certum & evidens: nihilominùs tamen debet esse propensio aliqua vehemens, etiam respectu honesti probabilis; quia scilicèt ex propensione vehementi in bonum aliquod sequitur necessariò aliqua propensio, etiam vehemens ad ipsam apparentiam boni, præsertim si magna est, prosequendam: id quod clarè apparet in ambitiosis & avaris, qui ex cupiditate honoris, aut lucri, non modò lucrum certum, aut certum honorem, sed etiam lucrum incertum, & honorem probabilem avidè prosequuntur. Ex propensione igitur vehementi ad sectandum honestum, infertur necessariò magna quædam propensio ad ipsam honesti apparentiam probabilem sectandam. Respondeo 2. Ex quo lex divina æquè probabilis est, ac libertas, jam honestum est legem divinam sequi: ergo cùm ex regulâ honestatis vehementer debeat propendere homo in bonum honestum, determinari debet idem ad sequendam partem legis; peccaturus contra regulam honestatis, nisi sequatur: probabit enim eo ipso, non habere se vehementem illam propensionem in bonum honestum, quam tenetur habere, & quam si haberet, legem sine dubio sequeretur. Nonne debet filius bene moratus ex amore filiali vehementer propendere ad obtemperandum patri? Sit igitur tam probabile filio, patrem aliquid præcepisse, quàm non præcepisse: certus sit idem, placiturum se patri, si fecerit, quod probabile est patrem præcepisse; incertus, an displiciturus sit, si neglexerit præceptum patris probabile: quid faciet bonus filius? Nonne obtemperabit probabili præcepto patris? Debet sanè: non futurus bene moratus, si non obtemperaret; quia probaret se non satis propensum ad obtemperandum patri; nec satis timere offensam patris: atqui tam pater nemo, quàm Deus: & scriptum est: *Qui amat patrem, aut matrem super me, non est me dignus.* Quantò igitur magis debet creatura rationalis bene morata ex amore & reverentiâ filiali in Deum, obtemperare præcepto divino probabili; certò si obtemperet placitura; displicitura, nisi obtemperet; quia non obtemperando, probabit nec satis propendere se ad obtemperandum, nec Dei sui offensam satis timere.

2. Est ut aversetur homo vehementer malum turpe.

Secundo. Regula quædam secundaria honestatis est, ut voluntate suâ vehementer aversetur homo malum turpe; eaque vehemens & voluntaria aversio à malo turpi videtur esse obligationis, non minùs quàm vehemens & voluntaria propensio in bonum honestum: ergo in æquali probabilitate legis & libertatis, debet voluntate suâ retrahere se à sequendâ parte libertatis, in quâ solâ sequendâ apparet esse malum turpe: nam si talem partem sequeretur, jam nec voluntate suâ satis aversaretur malum turpe, nec datæ sibi regulæ satis congrueret.

Dices. In sequendâ parte libertatis probabilis nihil mali est; quia

malum non eſt, quod probabile eſt eſſe permiſſum: eſt autem probabile eſſe permiſſum libertatem ſequi, ut fert hypotheſis: ergo in hypotheſi malum non eſt libertatem ſequi, ac proindè ex vehementi averſione à malo turpi, qualem data regula honeſtatis præſcribit, nihil concludi poteſt pro obligatione ſequendi legem in concurſu libertatis æquè probabilis. Sed contra. In ſequenda parte libertatis probabilis concurrentis cum lege æquè probabili verè eſt malum, ac proindè regula honeſtatis, quæ præſcribit vehementem averſionem à malo, vetat eadem ſequi libertatem probabilem concurrentem cum lege æquè probabili. Quod autem opponitur, nihil mali eſſe in eo quod probabile eſt eſſe permiſſum, diſtinctione opus habet: nam quod probabile eſt eſſe permiſſum, probabilitate permiſſionis non concurrente cum ullâ probabilitate prohibitionis, fateor, hoc malum non eſſe: ubi enim nulla eſt probabilitas legis libertatem ligantis, certum eſt eſſe licitum, ac proindè non malum libertatem ſequi, ut ſtatuimus ſupra Controverſiâ 1. Quæſt. 1. C. 2. Art. 2. Sed quod ita probabile eſt eſſe permiſſum ut probabilitas permiſſionis concurrat cum æquali probabilitate prohibitionis, non poteſt non eſſe malum in tali concurſu: ergo quæ regula præſcribit vehementem averſionem à malo, præſcribit eadem, ne homo permiſſionem talem probabilem ſequatur, in concurſu legis prohibentis æquè probabilis. Num ex amore rationabili vitæ tuendæ debet homo vehementer averſari cibos venenatos & mortiferos? Probabile igitur ſit homini, cibum oblatum venenatum eſſe: probabile item ſit, & æquè probabile non eſſe venenatum: quid faciet homo ſapiens & rationabiliter amans vitam ſuam? Cibumne oblatum ſumet? An reſpuet certus ſe nihil periclitari ſi reſpuat, periclitaturus vitam ſuam, ſi ſumat? Reſpuet profectò ſi verè ſapiens eſt: nam ſi ſumeret, jam nec ſatis ſapiens eſſet, nec ſatis amans vitæ ſuæ: ergo ſimiliter cùm ex amore rationabili vitæ ſuæ ſpiritualis, & æternæ ſalutis debeat homo vehementer averſari malum morale, non minùs quàm venenum, debet idem à ſequendâ parte libertatis, in quâ ſequendâ probabile eſt, malum eſſe, tanquàm à veneno probabili abſtinere.

In ſequendâ parte libertatis videtur eſſe aliquid mali.

Tertiò. Regula honeſtatis ſecundariæ eſt, ut homo voluntate ſuâ vehementiùs feratur in bonum, quàm in malum; eaque regula notoriæ obligationis eſt: indifferentia enim voluntatis æqualiter ſe habentis ad utrumlibet, bonum aut malum evidenter mala eſt: ergo ubi probabile bonum concurrit cum malo æquè probabili, tenetur homo ferri potiùs in bonum, quàm in malum: atqui in noſtra hypotheſi operari ſecundùm libertatem probabilem, in concurſu legis æquè probabilis, tam probabile eſt malum eſſe, quam probabile ſit bonum eſſe operari ſecundùm legem probabilem: ergo in noſtra hypotheſi obligatur operari ſecundùm legem, & non ſecundùm libertatem: nam ſi non ſecundùm legem, ſed ſecundùm libertatem operaretur, jam minùs in bonum, quàm in malum voluntate ſua inclinaretur; quæ inclinatio voluntaria parum congruit regulæ honeſtatis.

3. Eſt ut homo voluntate ſuâ vehementiùs feratur in bonum quam in malum.

Dices. Ex quo probabilis eſt libertas, æquè ac lex libertatem ligans, jam non eſt malum operari ſecundùm libertatem; quia in pari causâ

potest & debet libertas probabilis prævalere legi probabili, juxta illud Juris Axioma: *Melior est conditio possidentis in pari causâ*; Libertas enim est in possessione: ergo ex regula honestatis præscribente, ut homo voluntate suâ magis feratur in bonum, quàm in malum, non prohibetur tamen operari secundùm libertatem probabilem: nam quòd secundùm libertatem probabilem operetur, non propterea intelligitur voluntate suâ ferri magis in malum, quàm in bonum, aut minùs in bonum quàm in malum; cum nullo modo malum sit operari secundùm libertatem probabilem. Respondeo. Falsò, ne dicam parum honestè dicitur legi divinæ debere aut posse prævalere libertatem humanam: habet enim lex divina jus irrefragabile prælationis supra humanam libertatem, ut intelligitur ex supremâ dominii divini excellentia: nec satis video, quo fundamento vulgare illud Juris Axioma præsenti materiæ applicetur: quocumque enim sensu accipiatur, nequaquam probat debere, aut posse libertatem in pari causâ legi divinæ prævalere. Rem sic ostendo. Libertas, quæ dicitur esse in possessione, & prævalere legi probabili titulo possessionis, vel est libertas à necessitate, vel libertas à servitute, vel libertas à lege: quidquid dicatur esse, evidens est, Axioma Juris non benè usurpari ad eximendum hominem ab obligatione legis probabilis. Ac 1. quidem. Si libertas, quæ dicitur esse in possessione dicatur esse libertas à necessitate; fateor quidem talem libertatem esse in possessione. Homo enim physicè liber est: sed possessio talis libertatis non modò non illum eximit ab obligatione legis probabilis, quin potiùs tali obligationi idoneum facit: neque enim posset obligari nisi libertatem haberet à necessitate. Nimirùm Deus ideò nos fecit à necessitate liberos, ut eosdem faceret obligationis capaces. 2. Si libertas quæ dicitur esse in possessione, dicatur esse libertas à servitute, malè dicitur; quia ut Deus essentialiter est creaturæ Dominus, ita creatura essentialiter Dei serva est: quare non est creatura in possessione libertatis, sed in possessione servitutis, quæ possessio, ut vides, creaturam ab obligatione legis probabilis non eximit, sed potiùs tali obligationi subjicit. 3. Si libertas, quæ dicitur esse in possessione, dicatur esse libertas à lege, seu immunitas ab observatione legis; istiusmodi libertas vel fundatur in naturali aliquâ creaturæ independentiâ, quæ obligationi legis probabilis creaturam subtrahat, vel in benignâ quadam indulgentia Dei creaturam à lege probabili dispensantis: vel denique in ipsâ probabili non existentiâ legis probabilis: atqui nihil eorum rationabiliter dici potest. Non 1. Quia satis patet, creaturam non esse in possessione independentiæ à Deo Domino Legislatore, sed magis in possessione servitutis, legibus divinis semper obnoxiam. Non 2. Gratuita enim est, quæ fingitur esse benigna illa indulgentia Dei à lege probabili dispensantis: siquidem nullibi exstat dispensatio divina à lege probabili; nullibi vestigium talis dispensationis. Non denique 3. Quandò enim non existentia legis libertatem ligantis dici possit esse in possessione? Cùm existentia legis tam sit probabilis, quàm non existentia, ut fert hypothesis; ac proindè non minùs sit in possessione lex, quàm libertas. Incerta profectò est & dubia ista possessio;

Nihil probat axioma juris. *Melior est conditio possidentis in causâ pari.*

Libertas quæ dicitur esse in possessione triplex distinguenda est.

Libertas à necessitate.

Libertas à servitute.

Libertas à lege.

fio; nec fundare poteſt conſcientiam certam licentiæ operandi contra legem probabilem, quæ tamen conſcientia ad rectè operandum neceſſaria eſt, ex principiis ſupra poſitis. Certa quidem eſt in creaturâ libera poſſeſſio libertatis phyſicæ ſufficientis ad opus legis faciendum, vel non faciendum pro arbitrio: ſed planè certa non eſt poſſeſſio libertatis moralis requiſitæ ad legem probabilem irreprehenſibiliter negligendam.

Quartò. Regula ſecundariæ honeſtatis eſt, ut homo moroſiùs & difficiliùs trahi ſe ſinat ſpecie, ſeu apparentia mali, quàm boni: ergo ubi ſpecies boni & mali æqualis eſt, tenetur ab eo, quod habet ſpeciem mali ſe abſtinere: nam ſi non abſtineret, jam non moroſiùs aut difficiliùs ſineret ſe trahi ſpecie mali, quàm boni; ac proindè non ſatis ſe conformaret regulæ honeſtatis: atqui ubi lex probabilis concurrit cum libertate æquè probabili, occurrit æqualis ſpecies boni & mali: eſt enim ſpecies mali in ſequenda libertate, & ſpecies boni in ſequenda lege; utraque æqualis: tam enim apparet malum ſequi libertatem, quàm appareat bonum legem ſequi: ergo debet homo moroſior eſſe & difficilior in ſequendâ parte libertatis ubi ſpecies mali eſt, quàm in ſequendâ parte legis, ubi eſt ſpecies boni: non eſſet autem moroſior & difficilior in ſequendâ parte libertatis, quàm in ſequendâ parte legis ſi partem libertatis potiùs quàm partem legis ſequeretur.

4. Eſt ut homo difficilius trahi ſe ſinat ſpecie mali quam boni.

Dices. Priùs eſt libertas à lege, quàm ſit lex libertatem ligans: neque enim ligari poteſt libertas, niſi præſupponatur eſſe ante legem ligantem: intelligitur enim vinculum ligans ſupervenire ei, quod ligatur: ergo neceſſe eſt præexiſtere libertatem ei legi, quâ ligatur libertas: quòd ſi præexiſtit libertas, jam ligari non poteſt lege probabili; quia in pari causâ *qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, juxta alterum Juris Axioma: ergo ſi potior eſt jure libertas, quàm lex, debet pro ſuo jure præferri legi probabili, ac proindè non ligatur lege probabili ſuperveniente, & quod eſt conſequens, nihil mali eſt operari ſecundùm libertatem probabilem: quare non eſt, cur ex regulâ honeſtatis debeat homo præſtare ſe moroſiorem, aut difficiliorem in ſequendâ libertate. Reſpondeo. Fieri iterum perverſam confuſionem libertatis à lege cum libertate phyſicâ: nam phyſica quidem libertas priùs intelligitur eſſe, quàm intelligatur lex ligare moraliter libertatem: neque enim poteſt ligari moraliter lege, qui phyſicam libertatem non habet: quia nimirùm omnis obligationis moralis incapax eſt qui non eſt phyſicè liber, ſeu potens operari vel non operari pro arbitrio: ſed libertas à lege nihil neceſſe eſt, ut legi præexiſtat: libertas enim à lege eſt ipſa non exiſtentia legis, quæ non exiſtentia nihil neceſſe eſt, ut exiſtentiæ legis præexiſtat: id quod patet in lege divina æternâ, quæ totâ æternitate præexſtitit libertati, quam ligare debuit in tempore: ſed eſto, prior ſit tempore libertas à lege, quàm lex, non eſt tamen potior jure. Ratio nimirùm eſt. Quia partem quæ prior eſt tempore, facere poteſt jure potiorem ea ſola prioritas quæ fundare poteſt majorem aliquam præſumptionem juris: ſed prioritas non exiſtentiæ legis fundare non poteſt præſumptionem ullam juris majorem pro libertate, ſeu non exiſtentiâ legis antecedente, contra exiſtentiam

Libertas à lege quamvis ſit prior tempore quam lex, non eſt tamen potior jure.

legis hodiernam & ſupervenientem ; quia in hypotheſi noſtrâ ſupponitur lex ſuperveniens libertati eſſe æquè probabilis ac libertas, ſeu non exiſtentia legis: ergo illud Juris Axioma non benè torquetur in favorem libertatis contra legem æquè probabilem.

5. Eſt ut homo inclinet ſe magis ad obſequendum Deo, quam ad indulgendum libertati ſuæ.

Quintò. Regula ſecundariæ honeſtatis eſt, ut inclinet ſe magis homo ad obſequendum Deo, quàm ad indulgendum libertati ſuæ: ergo in æquali apparentiâ neceſſitatis obſequendi Deo, & libertatis non obſequendi, tenetur obſequi Deo, nec poteſt libertati ſuæ indulgere: nam ſi indulgeret, minùs inclinaret ſe ad obſequendum Deo, quàm ad obſequendum ſibimetipſi, quod eſt apertè contra regulam honeſtatis. Vides, quomodò non ex unâ aliquâ duntaxat honeſtatis regulâ; ſed ex multarum complexione regularum quæſita obligatio intelligi poſſit.

ARTICULUS TERTIUS.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Ex Regulâ obſequii realis & externi.

Non ſolum ſervitus mentis, ſed etiam corporis Deo debetur.

PRæmitto. Quod explicui ſupra Quæſt. 1. Argumentatione 2. Art. 3. debere hominem Deo Domino ſuo perfectam ſervitutem, non intellectualem ſolùm, aut affectivam, ſed etiam realem & externam; tum quia totus homo Deo ſubditus eſſe debet, non mente ſolùm, ſed etiam corpore, ac proinde debet obſequi Deo, non corpore minùs quàm mente; tum quia obſequium reale & externum Deus plerunque ordinavit ad certos quoſdam fines, putà, gloriam ſuam extrinſecam, aut ædificationem publicam; ad quos planè fines obtinendos obſequium internum, ſeu intellectuale, ſeu affectivum, non ſufficeret: quare legere poteſt homo in tabulis cordis ſui, ſi redire ad cor velit, & ſupra ſe ſapienter reflectere, præſcriptam ſibi regulam obſequii realis & externi, Deo accuratè prçſtandi; ex quâ regulâ, ut ſupra demonſtravimus obligationem ſequendi legem probabiliorem, in concurſu libertatis minùs probabilis, ita demonſtranda pariter nobis eſt ex eâdem obligatio ſequendi probabilitatem legis, in concurſu probabilitatis æqualis libertati faventis. Reflectamus igitur ſupra regulam, non unicam tantum ſed multiplicem.

1. Regula obſequii realis eſt. Ut vehementer cordi habeat homo exequi quidquid ſibi à Deo præceptum eſt.

Prima Regula obſequii realis & externi præſcribit homini, ut vehementer cordi habeat, omnem actionem externam, ſibi à Deo præceptam fideliter exequi. Cujus regulæ æquitas ſatis apparet ex ipsâ penetratione terminorum; nec minùs apparet ex ipſa regula benè intellecta obligatio, quam ſuſcepimus demonſtrandam. Nam ubi tam probabile eſt, actionem aliquam eſſe à Deo præceptam, quàm probabile ſit non eſſe præceptam, debet homo determinare ſe ad actionem exequendam; quia ſi fortè ſciens & volens non exequeretur, jam probaret executionem illius ſibi vehementer cordi non eſſe; executurus enim fuiſſet, ſi executionem vehementer cordi habuiſſet. Fit tota res ſenſibilis in exemplo humano;

nam obsequium Regis sibi vehementer cordi non esse probaret subditus, eo ipso quòd rem sibi à Rege probabiliter mandatam sciens & volens facere negligeret; nec se satis tueretur, allegans pro excusatione probabilitatem permissionis: reponeret enim Rex, in æquali probabilitate mandati & permissionis debuisse subditum fidelem ex vehementi studio obsequendi rationem habere mandati probabilis, potius quàm probabilis permissionis.

Habenda est ratio mandati probabilis potius quā probabilis permissionis.

Altera Regula obsequii realis & externi Deo præstandi est, ut curet homo vehementer, ne quid externum faciat à Deo prohibitum: ergo in æquali probabilitate legis actionem aliquam prohibentis, tenetur homo abstinere ab actione facienda: nam si non abstinebit, convincetur eo ipso, non curare se vehementer, ne quid externum faciat prohibitum à Deo; quippe qui sciens & volens determinat se ad faciendum aliquid, quod tam probabile est, esse prohibitum, quàm non prohibitum. Habebit certè Dominus causam rationabilem objurgandi servum parum fidelem; *Quid fecisti?* Et objurganti Domino si respondere voluerit, *feci quod probabile erat esse permissum:* nonne reponet Dominus: *esto fuerit permissio probabilis; sed æquè probabilis erat prohibitio: ad hanc prohibitionem hæsitare debueras, & ab operando abstinere; certus, te placiturum mihi abstinendo; incertus, an displiceres operando, ausus es tamen subire probabile periculum displicendi mihi?* Ad hanc increpantis Domini vocem nunquid os omne obstruatur necesse est?

2. Ut homo vehementer curet ne quid externum faciat à Deo prohibitum.

Tertia Regula obsequii realis & externi Deo præstandi præscribit homini, ut satagat, quantùm in ipso est, ne fraudetur Deus sanctissimis finibus, ad quos obsequium reale & externum, seu positivum, seu negativum, Deo præstandum ordinatur: talem nimirùm solicitudinem debet fidelis servus Domino suo: sed qui negligit præstare Deo obsequium reale & externum, sive omittendo actionem à Deo probabiliter imperatam, sive faciendo actionem probabiliter à Deo prohibitam, non satagit, quantùm in ipso est, ne fraudetur Deus, sanctissimis finibus, quos per obsequium reale & externum sibi præstandum Deus ipse plerunque intendit: videtur enim ex modo operandi satagere, ne Deus obtineat fines intentos, quatenus se ultro sciens & volens exponit periculo faciendi ne obtineat. Explicatione aliquâ indiget tota res. Obsequium reale & externum Deo præstandum positum est, vel in actione aliquâ facienda, vel in aliquâ actione omittendâ: ex actione quidem faciendâ intendit ferè Deus gloriam suam extrinsecam, & ædificationem publicam; quod utrumque significatur his Christi verbis. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Sed neutrum finem Deus obtinebit, si bona opera, quæ præcepta sunt, non fiant; quia si non fiant, nec glorificabitur Deus, per illa glorificandus; nec ædificabitur proximus, per illa eadem, si fierent ædificandus. Ex omissione verò actionis prohibitæ intendit ferè Deus vitare aliquod seu gloriæ suæ damnum, seu proximi scandalum; quibus profectò finibus frustrabitur, si actio prohibita non omittatur: per actionem enim prohibitam, si fiat, & Deus gloriæ suæ damnum, & proximus scandalum aliquod patietur.

3. Ut curet homo ne fraudetur Deus sanctissimis finibus.

Quid intendit Deus per obsequium reale positivū?

Quid per obsequium negativum?

4. Est ut non præsumat homo sibi licere eam partẽ sequi quam si sequatur eveniet sæpius Deum fraudari obsequio sibi debito.

Quarta obsequii realis & externi Deo præstandi Regula est, ut in dubio positivo legis & libertatis non præsumat homo, licere sibi eam partem sequi, quam si constanter sequeretur, plerunque eveniret, Deum fraudari obsequio reali & externo sibi debito, & sanctissimis finibus per tale obsequium intentis: ergo in dubio positivo legis & libertatis non debet præsumere sibi licitum esse partem libertatis sequi: nam si id præsumeret sibi licitum esse, posset Deum debito obsequio reali, & finibus per obsequium reale intentis impune fraudare: quòd si posset impune, plerunque faceret; quia plerunque concurrit lex probabilis cum libertate æquè probabili: homo autem ex naturali amore suæ libertatis, libertatem probabilem præ lege probabili sequeretur.

Objicies 1. Debet quidem creatura vehementer cordi habere, nequid externum omittat à Deo imperatum: debet item curare diligenter, ne quid externum faciat à Deo prohibitum: debet quoque solicitè cavere, ne fraudetur Deus sanctissimis finibus, ad quos obsequium reale externum, seu positivum, seu negativum ordinatur: hæc enim omnia præscribuntur per regulam obsequii realis & externi Deo præstandi: sed hæc omnia videntur esse meri consilii, non præcepti; aut si præcepti sunt, respiciunt duntaxat legem certam, aut probabiliorem, non legem incertam, & simpliciter probabilem. Respondeo. Tota hæc animi præparatio ad obsequium externum seu positivum, seu negativum, Deo præstandum, veri præcepti est, non meri consilii; eademque non respicit solam legem certam, aut probabiliorem, sed etiam incertam, & simpliciter probabilem. Ratio nimirùm est. Quia vehemens ille affectus obsequii realis & externi Deo fideliter præstandi, per accuratam executionem cujuscumque legis, aliquid externum seu prohibentis, seu imperantis, importat, aut necessariò infert vehementem determinationem ad legem etiam incertam, & simpliciter probabilem exequendam: vehemens enim ille affectus servandæ totius legis, quandiu inest, non patitur ut exponat se homo periculo simpliciter probabili violandi aliquam legem: ergo non patitur, ut quis negligat observationem legis simpliciter probabilis; quia negligens observationem legis simpliciter probabilis, exponeret se tali periculo. Ex quo autem lex est simpliciter probabilis negligi non potest sine periculo simpliciter probabili negligendi veram aliquam legem; cui tamen periculo non potest exponere se, qui vehementer affectus est erga legem totam: vehemens enim affectus servandi totam legem tale periculum subire non sinit.

Tota hæc animi dispositio ad obsequium Deo præstandũ præcepti est nõ consilii.

Instabis. Ex ratiocinatione nostra sequitur, esse obligationem servandi legem minùs probabilem, in concursu libertatis probabilioris: Consequens videtur nimis durum, nec satis placiturum nobis, qui duritiem & laxitatem ex æquo fugimus; & inter utramque, velut inter duos scopulos conamur incedere, ut rectam viam veritatis constanter teneamus: sequela verò probatur: quia lex minùs probabilis & ipsa simpliciter probabilis est; ergo qui negligit legem minùs probabilem, negligit legem simpliciter probabilem, ac proindè exponit se periculo simpliciter probabili violandi veram aliquam legem, quod periculum subire non sinit ve-

hemens affectus servandæ totius legis. Respondeo. Quidquid sit de consequente, de quo infra, Nego sequelam. Ratio negandi est. Quia lex minùs probabilis in concursu libertatis probabilioris, non est probabilis simpliciter, sed ad summum secundùm quid; nec tam probabilis actu, quàm futura probabilis, si cum libertate probabiliore non concurreret: quare qui negligit legem minùs probabilem, in concursu libertatis probabilioris, non negligit legem simpliciter probabilem, ac proindè non se exponit periculo simpliciter probabili, sed alicui duntaxat minùs probabili, quod periculum prudenter contemni potest, & subiri, salvo semper vehementi affectu servandæ totius legis.

Non est obligatio sequendi legem minus probabilem in concursu libertatis probabilioris.

Objicies 2. Regula obsequii realis & externi Deo præstandi quæcumque tandem illa sit, præscribit solùm homini vehementem affectum servandi totam legem, verè obligantem ad obsequium aliquod externum Deo præstandum: potest autem stare in homine vehemens ille affectus, cum voluntate non sequendi legem probabilem in concursu libertatis æquè probabilis: ergo ex regula obsequii realis & externi Deo præstandi malè infertur obligatio sequendi legem probabilem, in concursu libertatis æquè probabilis. Prima pars Antecedentis certa nobis esse debet: secunda verò probatur. Quia scilicèt in æquali probabilitate legis & libertatis potest homo prudenter & honestè reputare se non ligatum lege probabili, in concursu libertatis æquè probabilis: neque enim ligari potest libertas, nisi à fortiore superveniente: lex autem probabilis non est fortior libertate æquè probabili; quia ex quo libertas tam probabilis est, quàm lex, non est minùs potens quàm lex, ac proindè satis potest impedire ne per legem ligetur. Potest igitur homo habere se pro libero, & legem probabilem habere pro lege non obligante: in quâ hypothesi potest idem retinere vehementem affectum servandi totam legem obligantem, uti præscribit regula obsequii realis & externi Deo præstandi. Respondeo. Admissâ primâ parte Antecedentis, Nego secundam, & Consequens ex eo deductum. Quod verò dicitur ad probationem. Absolutè nego, posse hominem prudenter & honestè reputare se non ligatum lege probabili in concursu libertatis æquè probabilis. Ratio negandi duplex est. Prima. Quia lex probabilis fortior est ad ligandam libertatem, quàm libertas æquè probabilis ad impediendum, ne per legem ligetur: lex enim vim ligandi potentiorem accipit à Deo Legislatore potentissimo qui pondere suæ authoritatis facit, ut lex præferri debeat libertati, & libertatem, quamvis æquè probabilem, indeclinabiliter & ineluctabiliter ligare possit. Altera. Quia etsi fortè lex directa probabilis non valeret se ipsâ ligare libertatem æquè probabilem, super veniret tamen lex reflexa probabilior & fortior, dictans homini, non esse subeundum periculum simpliciter probabile violandi aliquam legem Dei directam, quod periculum simpliciter probabile subiret homo, si libertatem probabilem, relictâ lege simpliciter probabili sequeretur. Explicatur reponsio similitudine. Homini fortè navigaturo occurrunt naves duæ: in unâ certus sit nihil esse periculi: in altera verò sit naufragii periculum simpliciter probabile; quia tam probabile est, perituram navem, quàm non perituram: utram,

Ligatur homo lege probabili in concursu libertatis æquæ probabilis. Propter duplicem rationem.

Exemplum hominis navigaturi

quæso, duarum eliget? Nonne tutam & securam? Eliget planè; si vehementer amet vitam suam. Applicemus similitudinem hypothesi nostræ. Homini in procinctu ad operandum duæ occurrunt partes, veluti naves duæ; pars legis, in quâ sequendâ nihil est periculi; & pars libertatis, in quâ est periculum simpliciter probabile violandi aliquam Dei legem: tam enim probabile est, esse legem, quæ prohibet operari, quam probabile sit, non esse: utram igitur partem sequetur? An partem libertatis probabilis? Sed hanc si partem sequatur, exponet se periculo simpliciter probabili violandi legem aliquam; quod periculum subire non debet, qui vehementer affectus est erga legem: nonne ergo partem legis æquè probabilis, in qua nihil est periculi? Sequetur planè, & necessariò sequetur, si vehementem affectum habuerit servandi totam legem, non habiturus affectum satis vehementem, si fortè non sequeretur.

Objicies 3. Nihil mali est, quòd libertas creata utatur jure suo adversùs legem Dei probabilem: unusquisque enim jus habet, ut in pari causâ faveat sibimetipsi magis quàm alteri: ergo potest libertas creata pro jure suo excutere à se jugum, seu obligationem legis probabilis. Respondeo. Potest quidem libertas creata uti jure suo: sed libertas creata nullum habet jus ita favendi sibimet ipsi adversùs legem, ut excutere possit à se jugum, seu obligationem legis probabilis. Habet nimirùm Deus jus quoddam altius ligandi creaturam lege probabili: jus autem altius prævalere debet inferiori, & jus inferius, si quod est, cedere debet altiori.

Non habet libertas creata jus excutiendi à se jugum legis probabilis.

Instabis. Ubi duo concurrentes jus habent æquale, potest unusquisque tueri jus suum, & favere sibimetipsi adversùs concurrentem: ubi autem libertas probabilis concurrit cum lege æquè probabili, jus utriusque est omninò æquale: nam eo ipso jus utriusque intelligitur æquale, quòd intelliguntur esse æqualia juris utriusque fundamenta: ergo libertas probabilis tueri potest jus suum, & favere sibimetipsi adversùs legem probabilem concurrentem, ac proindè rationabiliter credere potest, se nullo modo lege probabili esse obligatam. Respondeo. In æquali probabilitate legis & libertatis jus utriusque non est æquale: habet enim lex probabilis jus quoddam altius, quàm jus libertatis probabilis: intelligeretur quidem jus utriusque esse æquale, si præcisè haberetur ratio probabilitatis, quæ supponitur utrinque ex æquo favere, nec magis uni quam alteri: sed in utriusque jure sapienter æstimando non habenda est ratio solius probabilitatis; potest enim aliundè jus accrescere uni & decrescere alteri; id quod in nostra hypothesi contingit: crescit nimirùm jus legis probabilis ex suprema authoritate Dei Legislatoris; contra verò decrescit jus libertatis probabilis ex infima creaturæ servitute: debet enim velle Deus Legislator pro zelo suæ authoritatis, ut in pari causâ, sua lex libertati creaturæ præferatur; & debet velle creatura libera, servitutis suæ memor, legi divinæ libertatem suam probabilem reverenter submittere.

Habet lex probabilis jus quoddã altius, quã jus libertatis æquè probabilis.

Crescit unũ ex supremâ Dei authoritate decrescit alterum ex infimâ creaturæ servitute.

Objicies 4. Finis legis est, ut homo honestè, aut certè non malè operetur: operabitur autem honestè, aut certè non malè, sequendo

libertatem probabilem : ergo libertatem probabilem ſequendo finem legis implebit. Major propoſitio non indiget probatione : Minor autem videtur demonſtrari poſſe. Nimirùm operabitur honeſtè, aut certè non malè, ſi operabitur rationabiliter : atqui operabitur rationabiliter ſequendo libertatem probabilem : quia ſcilicèt non minùs rationabile eſt, libertatem probabilem ſequi, quàm ſit rationabile ſequi legem nihilò magis probabilem : ergo rationabiliter & honeſtè operabitur ſequendo libertatem probabilem, ut honeſtè & rationabiliter operatur, legem ęquè probabilem ſequens. Reſpondeo 1. Finis legis obſequii realis & externi Deo præſtandi non eſt ſola operandi honeſtas, ſed eſt etiam actio quædam externa, ordinata ad glorificationem Dei, & ædificationem proximi, ſeu ut meliùs dicam, glorificatio ipſa Dei, & ædificatio proximi, per actionem quandam externam à Deo imperatam, obtinenda : quem finem legis ſuæ non obtinebit profectò Deus, ſi creatura libertatem probabilem ſequatur, non legem. Atque hæc eſt ratio, cur ipſi etiam Doctores qui volunt eſſe licitum ſequi libertatem minùs probabilem in concurſu legis probabilioris, excipiant tamen à licentià hypotheſim legis cujuſcumque, cujus finis eſt non ſola honeſtas operandi, ſed etiam aliquid aliud, ab operandi honeſtate diverſum, & à Legiſlatore intentum, in tali enim hypotheſi ſapienter ſtatuunt non licere ſequi probabilitatem minorem libertati faventem, in concurſu majoris faventis legi ; excepturi fine dubio iidem hypotheſim legis probabilis concurrentis cum libertate æquè probabili : ſi nimirùm lex æquè probabilis ac libertas, finem aliquem habeat diverſum ab honeſtate operantis, & à Legiſlatore intentum : quia ſcilicèt in tali hypotheſi ſi fortè ſequi liceret libertatem æquè probabilem, tenderet ea licentia ad frandandum Deum fine aliquo legis ſanctiſſimè intento. Reſpondeo 2. Eſto, ſolus finis legis probabilis ſit honeſtas operandi ; ne hunc quidem finem obtinebit Deus, ſi non legem, ſed libertatem probabilem homo ſequatur. In ſequenda enim libertate non eſt eadem honeſtas, quæ eſt in ſequenda lege, ut per ſe patet : fraudabitur ergo Deus primario & eſſentiali fine ſuæ legis, ſpeciali nimirùm illâ honeſtate, quæ eſt in ſervandâ lege. Reſpondeo 3. Non honeſtè operaturum, ſed malè & inhoneſtè, qui libertatem probabilem ſequetur, relictâ lege æquè probabili : operabitur enim irrationabiliter, quatenus & legem poſtponet libertati, ſine ullâ ratione poſtponendi, & legi libertatem præferet, ſine ullâ ratione præferendi. Habet nimirùm lex in pari causâ libertatis rationabilem titulum prælationis ſupra libertatem, ut ſupra demonſtravimus.

Finis legis non eſt ſemper ſola operandi honeſtas.

In ſequendâ libertate non eſt eadem honeſtas quæ in ſequendâ lege.

Non agit honeſtè qui legem poſtponit libertati.

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTATIO TERTIA.

Ex Testamento Dei veteri.

QUæsivimus, & credo, invenimus obligationem quæsitam in ipsâ ideâ Dei profundè penetratâ: sed fortè non est omnium, videre arduam nimis veritatem, quantumvis in lumine vultûs divini splendescentem; quia caligant ferè mortalium oculi ad nimiam lucem, & vehementiori splendore obtusi deprimi solent deorsum, cùm maximè ferri sursum deberent. Quæsivimus quoque & invenimus in tabulis cordis carnalibus eandem obligationem digito Dei scriptam: sed paucorum est, reflectere supra se, & veritatem subtilem in tenui cordis sui tabulâ minutioribus fortè caracteribus exaratam deprehendere: utinam eandem ipsam veritatem, quam nec in ideâ Dei, nec in seipsis videre potuerunt, possint saltem de ore Dei loquentis reverenter excipere, & in Testamento Dei legatam & consignatam relegere. Atque ut est duplex Testamentum Dei; Testamentum vetus, & Testamentum novum, à veteri inquisitionem auspicabimur, quam viâ triplici prosequemur. Nam 1. Notabimus textus aliquot insignes Testamenti veteris, in quibus videtur obligatio satis expressa. 2. Evolvemus principia quædam generalia veteris Testamenti, in quibus obligatio involuta continetur. 3. Ex eodem Testamento veteri ducemus conjecturam multiplicem, quæ si de obligatione non convincat, eam saltem faciat omninò plausibilem.

Via triplex inveniendæ veritatis in veteri testamento.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Notantur Textus aliquot insignes veteris Testamenti in quibus obligatio exprimitur, aut vehementer indicatur.

Textus aliquot veteris testamēti.

Primus. *Pondus & pondus, &c.*

PRimus Textus habetur Proverbiorum 20. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura; utrumque abominabile est apud Deum.* Quo textu literaliter intellecto, decidit expressè sapientissimus Salomon, reprobari à Domino pondus & pondus, mensuram & mensuram; seu illicitum esse, & Deo abominabilem usum duorum ponderum reipsâ inæqualium, quæ tamen in commercio humano usurpantur pro æqualibus; talis enim usus arbitrarius eò tendit, ut passim proximus subtiliter & impunè fraudetur: nam Mercator, si quid vendere velit, usurpabit pondus suum levius, & ponderans minùs æquò; ita enim res suas cariùs vendet, & pluris quàm valeant: contra verò si quid ab alio velit emere, usurpabit pondus suum

Sensus literalis hujus loci scripturæ.

ſuum gravius, & plùs æquo ponderans, ut à venditore plùs mercium accipiat, quàm accipere deberet. In quo duorum ponderum uſu manifeſta injuſtitia eſt. Quod autem dictum eſt de pondere & pondere, dicendum eſt de menſurâ & menſurâ: reprobatur enim menſura & menſura, ut pondus & pondus. Nimirùm reprobatur uſus arbitrarius duarum menſurarum, quæ ſupponuntur æquales eſſe, ſeu æquè capaces; cùm tamen reipſa ſint inæquales, & inæqualiter incapaces: ideò autem reprobatur talis uſus; quia ſcilicèt fraudi nimis obnoxius eſt: nam ſi fortè quod accipitur in menſurâ majore, reddatur in menſurâ minore, minùs profectò reddetur, quàm fuerit acceptum: rectè igitur à Salomone pronuntiatum fuit: *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum.* Sed quid hoc, inquies, ad rem noſtram? Quid pondus & pondus, menſura & menſura ad probabilitatem? An probabiliſtæ pondus & pondus adhibent, aut menſuram & menſuram adhiberi poſſe definiunt? Quis de talibus ac tantis viris tam ſiniſtram & iniquam ſuſpicionem ferat? Equidem fateor, Textum illum ſapientis, ſi literaliter accipiatur, ineptum eſſe ad probabilitatem redarguendam; ſed ſi accipiatur ſpiritualiter, ut accipi poteſt, valde idoneus eſt ad vehementer indicandum fortè aliquid erroris continere, quem refutamus, probabiliſmum; Quod ſic oſtendo. In æquali probabilitate legis & libertatis intervenit *pondus & pondus*: nam pondus aliquod eſt probabilitas libertatis: pondus item eſt æqualis probabilitas legis: duo pondera in ſpeciem æqualia, reipsâ tamen inæqualia, quorum uſus dicitur eſſe arbitrarius in doctrinâ probabiliſmi: volunt enim probabiliſtæ, licitum eſſe alterutram pro arbitrio probabilitatem ſequi, ſeu licitum eſſe, ſincere ſe moveri probabilitate libertatis ad operandum ſecundùm libertatem non minùs quàm licitum ſit, ſinere ſe moveri probabilitate legis ad operandum ſecundùm legem: ex tali autem licentiâ arbitrariâ fieri neceſſe eſt, ut cupiditati hominum paſſim faveatur, & lex divina plerunque fraudetur.

In æquali probabilitate legis & libertatis reperitur. *Pondus & pondus.*

Confirmatur 1. *Abominatio eſt Domino pondus & pondus; ſtatera doloſa non eſt bona*, ut inculcat idem ſapiens eodem capite 20. verſu 29. Nimirùm pondus & pondus abominatio eſt, non ratione ſui, ſed ratione finis, in quem ordinatur: nam ſi fortè quis pondus & pondus adhiberet, non in favorem ſui, ſed in favorem proximi, jam pondus & pondus non eſſet iniquitas abominabilis, ſed charitas laudabilis: ergo pondus & pondus non ratione ſui abominatio eſt Domino, ſed ratione abuſus in quem ferè refertur, & propter quem communiter adhibetur. Solent nimirùm in commercio humano cupidi & avari homines adhibere pondus & pondus in favorem ſui, & in fraudem proximi; quæ iniquitas abominatio eſt Domino juxta ſapientem: atqui ſimile quid videtur eſſe in uſu arbitrario probabilitatis æqualis, ſeu legis, ſeu libertatis, qualem uſum arbitrarium probabiliſtæ fieri poſſe definiunt in favorem ſui: eſt enim hoc adhibere *pondus & pondus*, probabilitatem ſcilicèt legis, & probabilitatem libertatis, utramque æqualem, nec tamen utramque, quod mirum eſt, æquiponderantem; quia in iſtâ ſtaterâ minùs ponderat lex divina, quàm

Abominatio eſt pondus & pondus non ratione ſui, ſed ratione finis.

libertas humana, non obstante æquali utriusque probabilitate: libertas enim humana quæ gravior non est, perindè ac si gravior foret, legem elevat quæ non est levior; atque ita affectu voluntatis stateræ lancem inclinante, determinatio fit secundùm libertatem, lege exsufflatâ. Ubi reverentia legis?

Probabilismus est instar stateræ dolosæ.

Confirmatur 2. *Statera dolosa abominatio est apud Deum; & pondus æquum voluntas ejus.* Ut testatur idem Ecclesiasticus eodem capite. Atqui doctrina probabilismi æqualis & arbitrarii statera dolosa videtur esse, quæ magis inclinat in partem minùs gravem, aut nihilò graviorem parte alterâ contraponderante: talis autem est doctrina probabilismi æqualis & arbitrarii; inclinat enim in partem libertatis minùs gravem, aut certè nihilò graviorem parte legis æquè probabili: ergo doctrina probabilismi dolosam stateram sapit.

Confirmatur 3. Dolosa est statera, in quâ non æquiponderat, quod est æquè grave: atqui in doctrinâ probabilismi æqualis & arbitrarii non æquiponderat, quod est æquè grave: lex enim æquè gravis ac libertas, non æquiponderat tamen libertati nihilò magis gravi.

Confirmatur 4. Dolosa est statera, in quâ præponderat, quod levius est, & elevatur, quod est gravius: in doctrinâ autem probabilismi æqualis & arbitrarii præponderat, quod levius est, & elevatur lex, per libertatem; libertas tamen est levior esse, & lex gravior est libertate, non ratione probabilitatis, quę supponitur lege æqualis in utrâque, sed ratione authoritatis divinæ, quæ legi addita magnum momentum affert, & legem facit libertate graviorem.

Confirmatur 5. Ex ratione fundamentali, quâ probat sapiens, stateram dolosam abominationem esse apud Deum: rationem verò illam fundamentalem continet clausula illa Textûs supra citati, verbis sequentibus expressam. *Et pondus æquum voluntas ejus.* Cujus clausulæ duplex sensus esse potest. Primus est, Voluntatem Dei esse ipsam *pondus æquum*, quatenus voluntas ejus est amantissima recti; omnia ex æquitate ponderans, secundùm illud: *Judicia Domini recta, exquisita in omnes voluntates ejus.* Alter sensus est, velle Deum & necessariò velle, ut creatura rationalis conformet se voluntati divinæ regulæ suæ, studeatque ex pręcepto & exemplo Dei, omnia ex æquitate ponderare: undè intelligitur, stateram dolosam, in quâ res non ex æquitate, sed ex arbitrio ęstimari solent non posse non reprobari à Domino. Uterque autem ille sensus non planè convenit probabilismo æquali & arbitrario; in quo scilicèt voluntas operantis nec ipsa est *pondus æquum*, seu ponderans ex æquitate, sed pro arbitrio suo; nec studet conformare se voluntati divinæ regulę suæ, quæ *virga æquitatis est*, omnia ex æquitate dijudicans; sed ei voluntati æquissimæ præstat se difformem, quatenus pro gustu suo, non ex æquitate, determinat se in favorem libertatis, posthabitâ lege divinâ, quam libertati præferre debuisset, non quidem ratione probabilitatis, sed ratione dignitatis, ut jam supra demonstratum fuit.

Cur statera dolosa à Deo rejicitur.

Quo sensu voluntas Dei *pondus æquum*.

Objicies 1. Iisdem ferè Argumentis probari potest, doctrinam Antiprobabilismi esse stateram dolosam. Nam 1. Statera dolosa est, in qua fit

inclinatio versus unam partem nihilò graviorem parte alterâ contraponderante: talis autem est doctrina Antiprobabilismi, in quâ fit inclinatio versus partem legis nihilò graviorem parte libertatis. 2. Statera dolosa est, in quâ non æquiponderat, quod debet æquiponderare: talis autem est Antiprobabilismi doctrina, in quâ libertas non æquiponderat legi, cui tamen æquiponderare deberet, cùm sit libertas æquè probabilis, ac proindè æquè gravis ac lex. 3. Statera dolosa est, in quâ præponderat, quod non deberet præponderare: in doctrinâ autem Antiprobabilismi lex præponderat libertati, cui præponderare non deberet, cùm nec probabilior sit, & consequenter nec gravior libertate. 4. Statera dolosa est, in quâ non ex momento, aut pondere rationum, sed ex affectu voluntatis res determinantur: talis autem est Antiprobabilismi doctrina, in qua determinatur existentia legis, non ex momento, aut pondere rationum, quæ supponuntur non esse graviores pro lege quàm pro libertate; sed ex inclinatione voluntatis. Respondeo. Inter utramque doctrinam discrimen immensum esse. Ratio nimirùm discriminis est. Quia lex cui favet Antiprobabilismus, omnibus perpensis, gravior est simpliciter & absolutè quàm libertas: libertas autem cui favet probabilismus, omnibus perpensis, simpliciter & absolutè levior est quàm lex. Fateor quidem, id quod est, libertatem esse æquè probabilem, ac legem: fateor item, habitâ præcisè ratione probabilitatis non esse cur lex preferatur libertati: sed habet aliundè lex undè præferatur: habet enim alium titulum prælationis & aliud momentum quo fiat gravior libertate; authoritatem scilicèt Dei Legislatoris, quæ profectò habet aliquid ponderis. Quare dici non debet doctrinâ Antiprobabilismi statera dolosa, ex eo quòd inclinet magis in partem legis, quàm in partem libertatis; decidatque non libertatem legi, sed legem libertati præponderare; futura certè dolosa, si non ita decideret. Nec ullâ ex parte culpandus venit pius affectus voluntatis quo fidelis operans determinat se ad partem legis, seu judicandam, seu exequendam: affectus enim ille simpliciter & absolutè rationabilis est; quippe qui in eam partem impellit, quam ratio & æquitas dictat esse sequendam.

Non benè dicitur doctrina Antiprobabilismi statera dolosa.

Objicies 2. In staterâ bonâ determinatio fieri non debet in favorem legis, nisi possit existentia legis prudenter judicari præ non existentiâ: atqui in concursu libertatis æquè probabilis non potest judicari prudenter existentia legis, præ non existentiâ: in æquali enim apparentiâ legis & libertatis judicium prælativum legis supra libertatem non magis potest esse prudens, quàm judicium prælativum libertatis supra legem; quia in tali æqualitate apparentiæ, non est ratio cur una alteri preferatur: debet ergo in eâ æqualitate suspendi omne judicium, seu legis, seu libertatis; in quâ suspensione non obligat lex: neque enim potest obligare lex, nisi prudenter judicetur esse, aut saltem possit prudenter judicari. Respondeo 1. In concursu libertatis æquè probabilis judicari posse existentiam legis ex pio quodam voluntatis affectu. Tum quia affectus ille erga legem augere potest apparentiam legis, ut in amatoribus sui nimius propriæ libertatis amor augere solet apparentiam libertatis. Tum quia ma-

Judicatur existentia legis ex pio voluntatis affectu.

nente præcisè æquali legis & libertatis apparentiâ, suppetit tamen causa rationabilis determinandi se in favorem legis; Dei scilicet supremi Legislatoris dignitas, ratione cujus lex præferri meretur libertati. Respondeo 2. Esto judicari non possit existentia legis præ non existentia, & fiat inter utramque necessaria quædam judicii suspensio; dico tamen esse obligationem determinandi se ad exequendam legem, tum quia in pari causâ habet Deus titulum prælationis; tum quia est obligatio in creaturâ rationali non exponendi se tam gravi periculo violandi legem divinam, cui periculo se exponeret, si ex amore suæ libertatis probabilis, legis probabilis observationem negligeret.

Existentia legis esto judicari non possit est tamen obligatio determinandi se ad exequendam legem.

Alter Textus Veteris Testamenti habetur Ecclesiastici 19. 2. *Cor durum male habebit in novissimo, & qui amat periculum peribit in illo.* Quo Textu si non exprimitur clarè & formaliter, saltem vehementer indicatur obligatio sequendi legem probabilem in concursu libertatis æquè probabilis. Nimirum textus illius duæ sunt partes, ambæ eandem veritatem inculcantes. Quod ut melius appareat utramque persequamur.

Secundus veteris Testamenti textus *cor durum*, &c.

Prima pars Textus hæc est: *Cor durum malè habebit in novissimo.* Undè sic ratiocinari possumus. Si cor durum malè habebit in novissimo, cor durum, est cor aliquod nequam: nam si nequam non esset, apud Deum scrutatorem cordium, & justum vindicem, non haberet malè in novissimo: atqui cor negligens, aut prætergrediens legem probabilem, in concursu libertatis æquè probabilis, est verè cor durum: nam in sensu Scripturæ quid est cor durum? Nisi cor irreverens, quod Dei majestatem non satis reveretur. Tale autem videtur esse cor hominis præferentis libertatem suam probabilem legi divinæ æquè probabili: in tali enim prælatione contemptus est aliquis divinæ legis, & audax nimis irreverentia erga majestatem Dei, in suâ lege probabili satis apparentem. Quid est cor durum in sensu Scripturæ? Nisi cor grave, quod non ad primum Dei nutum, sed ne ad ipsum quidem probabile Dei jubentis imperium de loco suo moveri potest? Tale autem videtur esse cor hominis hæsitantis in suâ libertate probabili, nec se moventis ad ipsam voluntatem divinam, pro potestate imperantem, ut se moveat. Quid est cor durum in Scripturæ sensu? Nisi cor indocile, quod vix, ac ne vix quidem tangitur ipsâ Dei voce satis sonante. Tale autem videtur esse cor hominis non expavescentis ad grande tonitru, seu ad Dei vocem graviter tonantem, de qua tamen scriptum est: *Vox Domini confringentis Cedros; vox Domini concutientis desertum; vox Domini præparantis Cervos, &c.* Quid est cor durum in Phrasi Scripturæ? Nisi cor lentum & morosum, quod ægrè & tardè progreditur ad exequendam legem Dei, perpetuas moras trahens, & nunquàm ad metam perveniens? Tale autem videtur esse cor inter suas probabilitates suspensum, retardatum, & amore suæ libertatis impeditum, ne sequatur legem probabilem, quam alacriter & expeditè sequi deberet. Habebit igitur malè in novissimo, ut sapienter minatur, & futurum prædicit Ecclesiasticus.

Textûs pars 1.

Quid *cor durum.*

Objicies 1. Negari quidem non potest, quin cor durum sit cor aliquod nequam: durities enim nequitia quædam cordis est; sed durum aut ne-

quam dici non poteſt cor hominis eo præcisè quòd negligat legem nondùm ſatis apparentem, cujuſmodi eſt lex probabilis, cum libertate æquè probabili concurrens. Nimirùm in hoc legis neglectu durities non eſt, ſed ſoliditas cordis, renuentis captare umbram legis pro lege. Reſpondeo. Quæ cordis ſoliditas eſſe dicitur, vera durities eſt: nam vera durities eſt, non ſoliditas, immenſam Dei majeſtatem parum ſentire, & non ſatis revereri: immenſam autem Dei majeſtatem parum ſentit, nec ſatis reveretur, qui negligit legem Dei probabilem, in quâ ſatis apparet immenſa Dei majeſtas, in ordine ad obſequium creaturæ exigendum. Nec quidquam obſtat periculum captandi umbram legis pro lege: minùs enim malum eſt ſubire periculum captandi umbram legis pro lege, quàm exponere ſe æquali periculo violandi veram aliquam legem. Patet res in Exemplo. Fiat rumor probabilis Regem eſſe qui prætergreditur, quamvis fortè regio ſuo ſatellitio deſtitutum; nonne ad rumorem illum probabilem boni & fideles ſubditi Regem prætergredientem proni in terram ſalutarent? Minùs timentes ſalutare pro Rege qui fortè Rex non eſt, quàm verum Regem inſalutatum præterire. Nimirùm ex perſonæ majeſtate fit ipſa perſonæ umbra reverenda: ergo ex majeſtate Dei Legiſlatoris, ubi eſt probabilitas legis à Deo latæ, ipſa legis divinæ probabilis umbra reverenda eſt, & fideli obſequio honoranda: quare duri cordis eſt, qui non reveretur, ſed inhonoratam tranſgreditur, ut probabilem ſuæ libertatis umbram ſequatur.

Quæ cordis ſoliditas eſſe dicitur vera interdum durities eſt.

Nihil obſtat periculum captandi umbram legis pro lege.

Objicies 2. Gravitas non eſt, ſed firmitudo cordis ſtare immobiliter in poſſeſſione ſuæ libertatis probabilis, nec ſinere ſe indè deturbari per exceptionem legis nihilò probabilioris libertate: talis autem eſt diſpoſitio probabiliſtæ, ſtantis firmiter in ſuâ libertate, & legem negligentis æquè probabilem: ergo non de gravi corde culpandus eſt, ſed de corde firmo laudandus. Reſpondeo. Non laudabilis firmitudo, ſed gravitas quædam reprehenſibilis, & vera obſtinatio eſt, ſtare immobiliter in loco, quando jus potentioris & honoratioris exigit, ut quis ſe loco moveat. In hypotheſi autem noſtra jus Dei potentioris & honoratioris exigit, ut homo ſe ſuo loco moveat, ſeu libertatem ſuam probabilem legi divinæ æquè probabili poſtponat: ergo ſi fortè detrectet movere ſe, præferens legi divinæ libertatem ſuam, jam non laudandus eſt de firmitudine, ſed de gravitate & obſtinatione ſua mulctandus. Rideretur ſanè & mulctaretur Magiſtratus urbanus, ſi ad probabilem rumorem de adventu Regis in urbem, nollet ipſe urbe exire ad ſalutandum Regem, allegans non decere conſulem moveri rumore probabili; ſed libertatis aut dignitatis conſularis eſſe expectare firmiter & tranquillè in ſuâ ſede, donec de adventu Regis fiat certior, per ipſammet Regis præſentiam: rideretur ille quidem, & non ſine causâ mulctaretur ut læſæ majeſtatis reus; ſuperbâ enim illâ ſuâ gravitate majeſtatem regiam inhonoraret, quatenus non occurrens ſtatim ad rumorem probabilem adventûs Regis, exponeret ſe periculo diſplicendi Regi; certus idem ſe Regi placiturum, ſi confeſtim ei occurreret. Difficile non eſt applicare hypotheſi noſtræ ſimilitudinem. Nimirùm ex probabilitate legis divinæ fit probabilis rumor divinæ majeſtatis venientis ad

Quæ gravitas & firmitudo cordis dicitur, obſtinatio eſt.

Probatur exemplo familiari.

exigendum à creaturâ suâ honoris & obedientiæ tributum: quid autem facit probabilista? Indignum ratus moveri se rumore probabili, stat quietus & immobilis in suâ libertate, nec festinat præstare Deo debitum honoris & obedientiæ tributum; certus tamen se placiturum Deo, si confestim & sine morâ præstaret; incertus idem, an Deo sit displiciturus, aut ut meliùs dicam, certus se non ei placiturum si præstare detrectaverit. Nonne & ipse de suâ gravitate & obstinatione mulctandus est?

Male indocilitas cordis donatur nomine generositatis.

Objicies 3. Cor indocile non habet, ac proindè nec durum, quicumque Dei vocem satis sonantem paratus est audire & sequi: paratus est autem probabilista audire quamcumque Dei vocem satis sonantem: sed vox Dei ex quo nihilò probabilior est libertate non est satis sonans: neque enim satis sonans est vox illa Dei quæ satis discerni non potest, an sit vox Dei, necne; seu quæ talis est, ut tam probabile sit non esse vocem Dei, quàm esse: ergo nil mirum est, si tali Dei voce probabilista nec confringatur, nec concutiatur, nec ad operandum præparetur: quare non tam indocilitas cordis est, quàm generositas, eâ voce non concuti: bonarum quidem & simplicium mentium est, timere ubi non est timor; sed generosæ & solidæ mentis est ubi ferè ridere, ubi simplices timent. Respondeo. Vocem Dei probabilem satis sonantem esse, ut à corde docili audiatur, ac proindè satis sonantem, ut cor docile concutiat, atque ad operandum efficaciter excitet: ergo si cor hominis tali voce non concutitur, satis docile non est, sed nimis durum. Nimirùm vox Dei verè probabilis magnam habet apparentiam vocis divinæ: magna autem apparentia vocis divinæ, seu præcipientis aliquid, seu prohibentis, satis valet ad concutiendum cor docile, excitandumque ad operationem obsequiosam; nec nisi ineptè talis indocilitas donari potest nomine generositatis: resistere enim ordinationi divinæ, & magnâ illius apparentiâ non tangi cor hominis, impudentia quædam est, non generositas. Bonarum quidem mentium est, inquit Gregorius, timere, ubi non est timor, seu timere sine causâ timendi; sed planè perversæ mentis est, ibi nihil timere, ubi timor est rationabilis, & probabilis causa timendi.

Non est hominis prudentis hæsitare ubi probabilitas legis concurrit cum æquali probabilitate libertatis.

Objicies 4. Duri quidem cordis est, lentè & morosè progredi ad exequendam legem Dei sufficienter propositam: sed ubi lex non est sufficienter proposita, hæsitare & moras trahere, donec fiat sufficiens legis propositio, cordis prudentis videtur esse, non duri: atqui ubi probabilitas legis concurrit cum æquali probabilitate libertatis, lex non est sufficienter proposita: ergo non durities sed prudentia est legem inter & libertatem hæsitare, judiciumque & operationem, si fieri potest, suspendere. Respondeo. Ubi probabilitas legis concurrit cum æquali probabilitate libertatis, censeri debet lex sufficienter proposita, tum in ordine ad existentiam legis, ex pio voluntatis affectu judicandam, tum in ordine ad operandum secundùm legem. Ratio nimirùm est. Quia in æquali probabilitate legis & libertatis, reverentia debita Deo Legislatori postulat, ut res decidatur in favorem legis, seu judicando, seu operando. Habet scilicèt Deus jus irrefragabile prælationis supra creaturam suam in pari causa: ergo hæsitare & moras trahere in prælatione legis facienda, duri cordis est,

non prudentis. Sed hæc ſatis de prima parte Textûs; veniamus ad alteram illuſtrativam & confirmativam prioris.

Altera autem pars Textus hæc eſt. *Et qui amat periculum, peribit in illo.* Ex qua parte Textûs ſic argumentor. Periculum amat, qui ultro ſciens & volens exponit ſe periculo, quod rationabiliter vitare poteſt & debet: ſequens autem libertatem probabilem in concurſu legis æquè probabilis exponit ſe periculo violandi legem probabilem, quod periculum vitare rationabiliter poteſt & debet: ergo amat periculum violandi legem divinam, & quod eſt conſequens peribit in illo, ſeu quod idem eſt, in ipſo periculi amore peccabit. Major ſyllogiſmi noſtri propoſitio patet ex terminis: nam quid eſt amare periculum, niſi ſcienter & ſponte periculum ſubire, quod poteſt & debet rationabiliter vitari. Minor verò non videtur habere difficultatem: Ex quo enim lex æquè probabilis eſt, ac libertas, tam probabile eſt, legem eſſe, quàm non eſſe: ergo legem probabilem negligens exponit ſe periculo probabili violandi veram legem; quia tam probabile eſt, violatum iri veram legem, quàm ſit probabile veram eſſe, quæ negligitur: Conſequentia evidenter ſequitur ex Præmiſſis, & evidentiam refundit in utrumque conſequens.

Textûs pars 2.

Quid ſit amare periculum.

Sequens libertatem probabilem in concurſu legis æquè probabilis exponit ſe periculo violandi legem. Ergo periculum amat.

Argumentationem hanc noſtram exempla quædam humana firmabunt, & magis illuſtrabunt. Ponamus igitur 1. Subditum ita eſſe diſpoſitum, ut amet exponere ſe periculo probabili offendendi Regem, eamque ſubditi diſpoſitionem Regi notam eſſe: nonne Regem offendet tam inordinata diſpoſitio ſubditi? Nonne periculi amans ſubditus, per ipſummet periculi amorem, præbebit Regi cauſam rationabilem offenſionis? Quantò igitur magis creatura ita diſpoſita, ut amet periculum probabile offendendi Deum, ſuâ illâ diſpoſitione Deum offendet: nonne amanti periculum ſuus ille periculi amor peccato imputabitur? Ponamus 2. Sponſam liberiorem verſari perpetuò inter amatores ſuos ſponſo nimis ſuſpectos, & amare periculum probabile violandi fidem ſponſo datam: nonne per ipſum amorem periculi probabilis liberior ſponſa ſponſum abalienabit? Quantò igitur magis à creaturâ abalienabitur Deus vel ex hoc ipſo quòd creaturam videt amare & ſubire periculum probabile violandæ fidei ſibi datæ. Ponamus 3. Filium nihil curare pericula probabilia tranſgrediendi præceptum Patris, eaque pericula audacter ſubire: nonne per illam ſuam ſeu negligentiam, ſeu audaciam bonum alioqui patrem exaſperabit? Ponamus 4. Amicum Magnatis ita deſidem aut imprudentem in colenda amicitia patroni ſui, ut ſponte, ſciens & volens exponat ſe probabili periculo diſplicendi amico Magnati patrono ſuo: nonne ſuâ illâ deſidiâ aut imprudentiâ meretur perdere Magnatis patroni amicitiam & benevolentiam de qua tam parum eſt ſolicitus. Ponamus 5. Hominem ita ſui negligentem, ut ſe ultro & abſque neceſſitate probabili mortis periculo exponat, cibum ſumens quem tam probabile eſt venenatum eſſe, quàm non eſſe: nonne veſania illa hominis contraria eſt charitati propriæ quâ tenetur habere rationabilem curam vitæ ſuæ? Nonne ex ipſo ſuo periculi amore, ſi forte non moriatur, tamen peccabit? Stet ergo quod demonſtrare voluimus, Deo, qui & Rex, & ſponſus, & pater,

Illuſtratur argumentatio exemplis humanis.

Subditi erga regem malè diſpoſiti.

Sponſæ erga maritũ.

Filii erga patrem.

Amici erga patronum.

Hominis erga vitam ſuam.

& amicus eſt, non poſſe non diſplicere creaturam rationalem amantem periclitari, & obſequium Regi debitum, & fidem ſponſo datam, & reverentiam filialem, & amicitiam divinam, & vitam ſuam ſpiritualem vitâ temporali longè potiorem.

Textus Eccleſiaſtici non tantum militat contra occaſiones peccandi lubricas, ſed etiam contra usũ ſequendæ libertatis probabilis.

Dices 1. Textus ille Eccleſiaſtici militat unicè contra occaſiones quaſdam violentas & lubricas quæ vel ſuapte naturâ, vel pravâ diſpoſitione ſubjecti vehementer ad peccandum alliciunt: tales enim occaſiones qui ſubire amat, neceſſe eſt ut in illis peccet & pereat: hic eſt verus ſenſus Eccleſiaſtici graviter & ſapienter monentis: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Ergo non tangit Eccleſiaſticus hypotheſim libertatis probabilis cum lege æquè probabili concurrentis: in quâ ſcilicèt hypotheſi nulla intervenit, ſaltem neceſſariò & ordinariè, occaſio peccandi lubrica. Sed contra. Fateor quidem, Textum Eccleſiaſtici militare fortiter adversùs occaſiones peccandi lubricas, & à Concionatoribus ſapienter adhiberi poſſe contra imprudentiam hominum amantium ambulare ſemper in lubrico, & perpetuò verſari in ejuſmodi occaſionibus quas tamen fugere oportet; quia cùm vehementer ad peccandum alliciant, faciunt eædem probabile peccandi periculum; quod periculum qui ſubire amat, peribit in illo, ut pronuntiat Eccleſiaſticus. Ratio igitur fugiendi occaſiones ejuſmodi non alia eſt in ſenſu Eccleſiaſtici, quàm quia probabile peccandi periculum inducunt: ergo cùm in ſequendâ libertate probabili reperiatur periculum æquè probabile violandi legem nihilò minùs probabilem cum libertate concurrentem, neceſſe eſt eodem Textu Eccleſiaſtici prohiberi uſum ſequendæ libertatis probabilis cum lege æquè probabili concurrentis: nam qui ſequitur, periculum amat, & quod eſt conſequens, peribit in illo.

Imo majus apparet periculũ peccandi in ſequendâ libertate probabili, quã in ſubeundâ violentâ quadam peççandi occaſione.

Confirmatur noſtra hæc ratiocinatio. Quia longè majus apparet periculum peccandi in ſequendâ libertate probabili, quàm in ſubeundâ violentâ quâdam peccandi occaſione: ſiquidem periculum, quod venit ex occaſione violentâ, non eſt ſemper periculum ineluctabile, aut inſuperabile ſubeunti; poteſt enim quis, etiam in violentâ furandi occaſione poſitus, non furari ſi velit: contra verò periculum veniens ex uſu libertatis probabilis cum lege æquè probabili concurrentis, inſuperabile eſt ſubeunti, & ab ejus libertate prorſus independens: ex quo enim determinat ſe ad ſequendam libertatem probabilem, & periculum ſubeundum violandæ legis probabilis, jam non poteſt impedire ne violetur lex probabilis, cujus tranſgreſſionem pro ſuâ libertate periclitatur: neque enim magis poteſt impedire ne lex violetur, quàm poſſit impedire ne ſit lex: atqui ſequendo libertatem probabilem non poteſt impedire ne ſit lex: ergo non poteſt impedire ne ſi forte exiſtat lex, violetur: ex quo igitur determinat ſe ad ſequendam libertatem probabilem exponit ſe periculo ineluctabili & inſuperabili violandæ illius legis, cujus violandæ periculum audacter ſubit; quod periculum ineluctabile & inſuperabile non continuò ſubit qui exponit ſe occaſioni peccandi probabili: poteſt enim in ipsâ peccandi occaſione idipſum non facere ad quod faciendum occaſio peccandi invitat: quare ſi non licet ſubire occaſionem peccandi probabilem, propter probabile peccandi periculum quod occaſio inducit,

quamvis

quamvis non insuperabile subeunti; quantò minùs licebit sequi libertatem probabilem, & eam sequendo subire periculum violandæ legis probabile simul & insuperabile subeunti.

Dices 2. In sequendâ libertate probabili adversùs legem probabilem concurrentem, nec formale peccatum est, nec periculum peccati formalis, excusante scilicèt nescientiâ, aut ignorantiâ invincibili legis probabilis non satis propositæ ad obligandum, quandiu probabilis est libertas concurrens: esto igitur sit peccatum aliquod materiale, aut periculum peccati materialis; tale profectò peccatum, aut talis peccati periculum non est adeò formidandum, ut illius vitandi causâ debeat homo ligare se, & in arctum redigere libertatem suam. Ratio ulterior est. Quia peccatum materiale non est propriè peccatum, sed cadaver & umbra peccati; nec magis verum peccatum, quàm cadaver hominis sit verus homo. Respondeo. Esto, in sequendâ libertate probabili adversùs legem probabilem concurrentem non sit formale peccatum, sed materiale duntaxat; ipsum quoque peccatum materiale, & periculum peccati materialis vitandum est si rationabiliter vitari possit: atqui in hypothesi nostra & peccatum materiale & periculum peccati materialis vitari potest rationabiliter; quia potest homo rationabiliter sequi legem probabilem cum libertate probabili concurrentem: nam si legem sequeretur, & peccatum materiale, & periculum peccati materialis certò vitaret. Nec modò vitare potest, sed etiam debet: tenetur enim creatura ratione suæ servitutis facere, quantùm in ipsa est rationabiliter ne lex divina violetur: ergo cùm possit rationabiliter, posthabitâ libertate suâ probabili, legem divinam probabilem sequi, & impedire sequendo, ne lex divina violetur, tenetur sequi legem probabilem posthabitâ libertate: quare si non legem sequatur, sed libertatem, jam peccat peccato formali; quia non vitat periculum peccati materialis, consistentis in transgressione legis divinæ probabilis, quod periculum rationabiliter vitare posset & deberet: peccat, inquam, peccato formali, non præcisè quòd operetur contra legem probabilem cum libertate æquè probabili concurrentem, fortè adhuc non satis apparentem, & probabilitate libertatis nimis obscuratam; sed quòd operetur contra legem reflexam de non subeundo periculo peccati materialis, quod periculum rationabiliter vitare posset & deberet; lex enim illa reflexa certa & evidens est, in laudato Ecclesiastici Textu satis expressa. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Ipsum peccatum materiale, & periculum peccati materialis in nostra hypothesi vitari potest & debet.

Tenemur ratione servitutis nostræ facere quantum in nobis est rationabiliter, ne lex divina violetur.

Dices 3. Nulla est obligatio vitandi periculum peccati materialis, consistentis in transgressione legis invincibiliter ignoratæ: nam si qua esset obligatio vitandi tale periculum jam invincibilis ignorantia legis à peccato non excusaret; quod est planè erroneum: atqui lex probabilis cum libertate æquè probabili concurrens, lex est invincibiliter ignorata: ignoratur enim invincibiliter lex quæcumque invincibiliter & inculpabiliter nescitur an reipsa sit, necne: talis autem est lex probabilis concurrens cum libertate æquè probabili. Respondeo. Ignorantia legis simpliciter & absolutè invincibilis à peccato excusat non modò transgressionem legis, sed ipsum etiam periculum transgressionis: ex quo enim ignorantia

Ignorantia legis probabilis cum libertate æquè probabili concurrentis non est simpliciter invincibilis.

legis excuſat à peccato trangreſſionem legis, nulla eſt obligatio vitandi periculum tranſgreſſionis: ſed nego, ignorantiam legis probabilis cum libertate æquè probabili concurrentis, eſſe ſimpliciter & abſolutè invincibilem: nimirùm ignoratur ea lex, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundùm quid, & ex parte tantùm: partim quidem ignoratur; ſed partim etiam ſcitur: ignoratur enim an exiſtat lex; ſed ſcitur probabilitas exiſtentiæ: ex quo autem ſcitur probabilitas exiſtentiæ legis, ſcitur eſſe periculum probabile tranſgrediendi legem in ſequendâ libertate: ergo ſatis ſcitur, ut obliget ad operandum ſecundùm legem, & non ſecundùm libertatem: quare ſi creatura operetur ſecundùm libertatem, & non ſecundùm legem, ſubibit eo ipſo periculum tranſgrediendi legem; quod periculum ſubire non licet juxta illud. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Partim quidem ignoratur ea lex ſed partim ſcitur.

Dices 4. Non magis ſcitur an ſit lex, quàm ſciatur an ſit libertas à lege: utraque enim ſupponitur eſſe æquè probabilis: nec magis ſcitur probabilitas unius quàm probabilitas alterius: ergo ſi non ſatis ſciatur eſſe libertas probabilis in ordine ad operandum ſecundùm libertatem, non ſatis ſcitur lex probabilis in ordine ad operandum ſecundùm legem. Reſpondeo. Nego Conſequentiam & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, Quia ex nullo capite obligatur creatura ad operandum ſecundùm libertatem probabilem: poteſt enim renuntiare honeſtè & laudabiliter libertati ſuæ, idque ſine ullo periculo, & cum aliquo merito ſuo; ſed obligatur eadem ſequi legem probabilem; quia niſi ſecundùm legem probabilem operaretur, exponeret ſe probabili periculo violandæ legis, quod periculum vitare debet; in illo peritura ſi non vitaret.

Ex nullo capite obligatur homo ad operandum ſecundum libertatem probabilem.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Evolvuntur in Teſtamento veteri Principia quædam generalia in quibus obligatio involuta continetur.

Lex divina duplici modo ſpectari poteſt. Vel abſolutè in ſeipſa. Vel reſpectivè.

LEx divina, quæcumque tandem illa ſit ſpectari poteſt, vel abſolutè in ſeipsâ; vel reſpectivè; tum ad Deum Legiſlatorem à quo eſt; tum ad creaturam rationalem cui datur; tum ad finem propter quem datur; ſecundùm autem multiplicem illam legis divinæ conſiderationem habentur in Teſtamento veteri Principia generalia, in quibus Principiis continetur involuta obligatio, quam quærimus: ejuſmodi verò principia evolvere nihil aliud eſt, quàm demonſtrare ex iiſdem inferri poſſe per conſequentias rationabiles obligationem ſequendi legem probabilem in concurſu libertatis æquè probabilis.

Principium multiplex circa legem abſolute ſumptam.

Dico igitur 1. Habentur in Teſtamento veteri Principia generalia circa legem divinam ſumptam abſolutè & in ſeipſa. Unum Principium eſt. Legem divinam ſolicitè & diligenter inquirendam eſſe; dicitur enim

Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Beatus autem prædicatur qui non abiit in consilio impiorum, & in cathedrâ pestilentiæ non sedit, sed de lege inquirenda sollicitus meditatur die ac nocte: ideò beatus; quia erit tanquàm arbor fructifera, secus decursus aquarum plantata, & doctrinæ divinæ salutaribus aquis irrigata fructum datura in tempore suo; *& folium ejus non defluet; & omnia quæcumque faciet prosperabuntur;* quia prosperè & feliciter facturus est omnia secundùm legem. 1. Lex divina sollicitè, & diligenter inquirenda.

Quorsum autem diligens illa & sollicita legis divinæ inquisitio præcipitur? Nisi ut lex non ignoretur, & ignorata prætereatur: quare si defectu sufficientis inquisitionis ignoretur lex, & prætereatur ignorata, peccatur tamen ignorantiâ non excusante præteritionem legis: inquisitionem enim negligens exponit se periculo prætereundæ legis: atqui sciens legem esse probabilem, idemque negligens operari secundùm legem, non exponit se minori periculo prætereundi legem: ergo non minùs peccat, quàm inquisitionem negligens: neque enim magis excusatur negligentia legis probabilis, veniens ex probabilitate libertatis, quàm excusetur ignorantia legis veniens ex defectu sufficientis inquisitionis: ideo enim ignorantia legis veniens ex defectu sufficientis inquisitionis à peccato non excusat, quia inquisitionem negligens ex defectu inquisitionis legem ignorans exponit se voluntario periculo prætereundi legem, quam defectu inquisitionis ignorat: atqui confisus in probabilitate libertatis, si fortè legem probabilem negligat, exponit se periculo probabili prætereundi legem probabilem, eamque magis apparentem, quàm appareat lex ignorata ex defectu sufficientis inquisitionis: ergo non minùs, aut fortè aliquanto magis peccat quàm ille.

Alterum Principium est. Legem divinam vehementi affectu ex toto corde esse prosequendam. Quò pertinet illud hominis justi Elogium: *Lex Dei ejus in corde ipsius.* Et illud: *Dilexi legem tuam in toto corde meo.* Et illud: *Concupivi desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Aliæque similes Psalmistæ Regis protestationes, toto ferè Psalterio dispersæ: atqui legem divinam non videtur toto corde amare, qui libertatem humanam probabilem amat supra legem divinam æquè prababilem; legem probabilem deserens, ut sequatur libertatem nihilò magis probabilem. Et verò ut amans auri & argenti contemnere non solet aurum & argentum probabile; ut avidus piscator gemmarum respuere non solet gemmas probabiles: ita nec legis divinæ studiosus amator legem probabilem respuere debet aut negligere; non satis amaturus si respuat, aut negligat. 2. Lex divina vehementi affectu prosequenda.

Tertium Principium est. Legem divinam fideliter & accuratè exequendam esse. Intelligitur ex ante dictis: quorsum enim debet lex & diligenter inquiri, & amari vehementer, nisi ut tota lex fideliter & accuratè observetur: non observatur autem tota lex, si negligatur observatio legis probabilis: ex tali enim negligentia fieri necesse est, ut pleræque leges inobservatæ prætereantur. Quare, ut vides, dogma de licentia sequendi li- 3. Lex divina fideliter exequenda.

bertatem probabilem, in concursu legis æquè probabilis, nullo modo congruit Principiis generalibus in veteri Testamento expressis circa legem divinam absolutè & in seipsa consideratam.

Principia supra posita restringi nō possunt ad solam legē certam & evidentem.

Objicies. Negari quidem non possunt Principia supra posita, & in veteri Testamento satis expressa: sed ea Principia respiciunt duntaxat legem certam & evidentem, non merè probabilem, de qua sola quæstio est, ac proindè nihil faciunt ad controversiam nostram. Respondeo. Principia supra posita, saltem omnia, restringi non posse ad solam legem certam & evidentem. 1. Enim Principium de lege diligenter & solicitè inquirenda non spectat legem certam & evidentem: neque enim necesse est inquirere id quod jam certò & evidenter tenetur: lex autem, ex quo certa & evidens est, tenetur certò & evidenter: Principium igitur de lege inquirenda spectat propriè legem incertam & inevidentem: lex autem merè probabilis in concursu libertatis æquè probabilis, lex est incerta & inevidens: ergo debet inquiri, ut habeatur, si fieri potest, major illius probabilitas, & certitudo quædam moralis, ad promptiorem executionem necessaria, aut certè utilis. Moneo tamen, inquisitione pendente circa legem probabilem, non licere continuò operari secundùm libertatem, etiam probabilem; quia operari secundùm libertatem in concursu legis æquè probabilis est formaliter exponere se periculo probabili violandi legem probabilem, quod planè non licet. Ubi observa discrimen aliquod esse inter legem negativam & affirmativam: nam si lex negativa est, seu prohibens aliquid fieri, jam non licet sequi libertatem probabilem legi negativæ contradicentem; quia sequendo libertatem subiretur periculum probabile violandi legem negativam; quod periculum subire non licet, ut jam diximus ex lege reflexâ tale periculum certò prohibente: quare suspendenda est operatio per legem negativam probabilem prohibita, & ulterior inquisitio facienda, donec fortè fiat libertas lege negativâ probabilior, & moraliter certa; quo casu operari licebit secundùm libertatem, relictâ lege minùs probabili. Quod si lex affirmativa sit, seu præcipiens aliquid fieri; iterum distinguendum est: nam executio legis affirmativæ vel moram patitur, vel non patitur: si moram non patitur executio legis affirmativæ probabilis; jam est obligatio repræsentandi opus legis: nam si opus legis non repræsentaretur, subiretur periculum probabile violandi legem affirmativam probabilem, quod periculum non licet subire, ut jam sæpius dictum est: sed si fortè moram patitur executio legis affirmativæ probabilis potest suspendi operatio per legem affirmativam præcepta, donec tempus legis necessariò implendæ advenerit; quo tempore adveniente instat obligatio exequendi legem affirmativam probabilem, propter rationem supra dictam, ne, si differatur executio subeatur periculum probabile violandi legem probabilem: intra verò illud tempus licitæ suspensionis debet inquisitio fieri, ex sincero affectu inveniendæ veritatis: nam si fortè inquirendo fieret probabilior libertas quàm lex, liceret quidem operari secundùm libertatem: sed si fortè per inquisitionem fiat lex probabilior quàm libertas, aut non magis probabilis libertas quàm lex, operandum erit secundùm legem probabilem,

Non 1. quia non inquiritur id quod jam certo tenetur.

2. Principium de amanda lege, & vehementi affectu prosequenda, spectat quidem legem certam & evidentem, sed non solam; spectat enim quoque legem probabilem, etsi incertam & inevidentem. Ratio nimirùm est. Quia vehemens amor boni extendit se ad ipsum bonum probabile; ut fuga mali vehemens ad malum ipsum probabile se extendit: id quod patet in avaris amantibus lucrum probabile, iisdemque damnum probabile fugientibus: ergo vehemens affectus legis, affectus est non solius legis certæ & evidentis, sed etiam probabilis. 3. Principium de lege accuratè & fideliter exequenda non pertinet solùm ad legem certam & evidentem, sed complectitur etiam legem probabilem. Ratio est. Quia vehemens affectus legis determinat ad legem accuratè exequendam: ergo si vehemens est affectus legis etiam probabilis, qualis profectò esse debet, necesse est ut efficaciter determinet ad legem etiam probabilem accuratè exequendam. Vides, quàm bellè & quàm solidè ex principiis generalibus veteris Testamenti circa legem divinam sumptam absolutè & in seipsâ inferatur obligatio sequendi legem probabilem in concursu libertatis æquè probabilis.

Non 2. quia vehemens amor boni extendit se ad ipsum bonū probabile.

Non 3. quia accurata legis executio complectitur legē ipsam probabilem.

Dico 2. Habentur in Testamento veteri Principia quædam generalia circa legem divinam consideratam respectivè ad Deum Legislatorem, ex quibus Principiis inferri potest non minùs solidè eadem obligatio. Nimirùm prædicatur passim in Testamento veteri Deus Legislator, ut Dominus potentissimus, sapientissimus, sanctissimus: tria autem illa Dei Legislatoris prædicata totidem sunt principia demonstrativa obligationis, quam statuere habemus. Ac 1. quidem prædicatur in veteri Testamento Deus Legislator, ut Dominus potentissimus. *Ego Dominus omnipotens. Omnipotens nomen ejus.* Singulisque legibus divinis apponitur ferè ea clausula, veluti ratio & momentum legis. *Ego Dominus.* Nimirùm rationabile est, ut omnipotens Dominus plùs moveat ad operandum vel uno verbo suo, aut levi aliquo nutu suæ voluntatis, quàm moveant Domini subalterni, longâ & expressâ voluntatis suæ significatione: tales autem sunt terreni Reges & Principes, respectu Dei supremi Domini sui: ergo Deus supremus ille & omnipotens Dominus movere debet ad operandum per ipsam legis suæ apparentiam probabilem; quia per probabilem legis divinæ apparentiam satis innuitur, aut declaratur suprema voluntas Dei Legislatoris: quicumque igitur per probabilem divinæ legis apparentiam non movetur ad operandum secundùm legem, injuriam facit omnipotenti dominio Dei Legislatoris. Confirmatur 1. Immensam omnipotentis Dei majestatem non satis reveretur, quicumque temerè & imprudenter periclitatur ei displicere operando: negligens autem legem Dei probabilem temerè & imprudenter periclitatur Deo operando displicere: postulat enim immensa Dei majestas, ne quis temerè & imprudenter ei displicere periclitetur. Confirmatur 2. Majestatem regiam offendit, quicumque Edictum Regis probabile audacter violare præsumit; exponit enim se periculo probabili violandi verum Edictum Regis; quod periculum subire vetat reverentia Regi debita: quantò igitur magis vetare debet reverentia debita Deo Legislatori, ne quis legem Dei

Principium multiplex circa legem divinam consideratā respectivè ad Deum Legislatorem.

1. Ad Deum legislatorē potentissimum.

Legislator omnipotēs movere debet ad operandum vel levi nutu suæ voluntatis.

2. AdDeum legiſlatorem ſapientiſſimum. probabilem violare audeat, vel præſumat: nam *quis ut Deus?* 2. Prædicatur Deus, Legiſlator ſapientiſſimus: dicitur enim Pſal. 108. *Omnia in ſapientia feciſti.* Pſal. 144. *Cujus ſapientiæ non eſt numerus.* Sapientiſſimus autem Legiſlator præſumendus eſt velle, ut leges ſuæ probabiles vim habeant obligandi: ergo vim obligandi reipſa habent; talem enim ac tantam vim habent, qualem & quantam habere vult Legiſlator ſapientiſſimus: vult autem ſapientiſſimus Legiſlator, & rationabiliter vult, ut leges ſuæ probabiles vim habeant obligandi, etiam in ſtatu ſuæ probabilitatis; id enim velle debet pro ſua ſapientia, tum causâ ſui, tum etiam causâ legum ſuarum: nam ſi fortè id nollet, jam leges ſuas frequenti periculo tranſgreſſionis exponeret, atque ita fraudaretur ipſe obſequio ſibi debito, nec fines per legum ſuarum lationem intentos obtineret.

Sapientiſſimi legiſlatoris eſt velle ut leges ſuæ probabiles obligent.

3. AdDeum legiſlatorem ſanctiſſimum. 3. Prædicatur in Teſtamento veteri Deus Legiſlator ſanctiſſimus 1. Reg. 2. *Non eſt ſanctus, ut eſt Dominus.* Dicitur *ſanctum & terribile nomen ejus.* Pſal. 110. dicitur *Sanctus in omnibus operibus ſuis*; eique propterea decantatur illud Triſagion. *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth.* Iſai. 6. Atqui ſanctiſſimus Legiſlator facere non poteſt ſubditis licentiam violandi leges ſuas probabiles: talis enim licentia apparet indigna Legiſlatore ſanctiſſimo; ipſaque impotentia talis licentiæ faciendæ videtur importari in idea ſanctiſſimi Legiſlatoris: nam ſanctior eſſe intelligitur Legiſlator, qui talem licentiam facere non poſſit, quàm qui poſſit. Ratio ulterior eſt. Quia in idea ſanctiſſimi Legiſlatoris importatur eſſentialiter, & ſumma quædam in bonum morale inclinatio, & ſumma quædam à malo morali averſio: bonum autem morale eſt libera legis divinæ obſervatio; malum verò morale eſt legis ejuſdem libera tranſgreſſio: ergo Deus pro ſua ſumma ſanctitate propendere debet in obſervationem legis à creatura procurandam: ſatis autem non propenderet, ſi obſervationem legis probabilis à creatura non exigeret. Debet item pro ſua ſumma ſanctitate ſummè averſus eſſe à tranſgreſſione legis: non eſſet autem ſummè averſus à malo morali, ſi tranſgrediendę legis probabilis licentiam faceret, ac proindè non videretur eſſe ſummè ſanctus, qualis eſſe prædicatur in Teſtamento veteri. Confirmatur 1. Quia Legiſlator ſummè ſanctus, qualis eſt Deus, velle debet, ut creatura non modò malum morale, ſed ipſam etiam mali moralis apparentiam fugiat, præſertim magnam: in ſequenda autem probabilitate libertatis, concurrente cum æquali probabilitate legis, magna eſt apparentia mali moralis: ergo Legiſlator ſummè ſanctus velle debet, ne creatura ſequatur probabilitatem libertatis, concurrentem cum æquali probabilitate legis. Confirmatur 2. Quia Legiſlator ſummè ſanctus velle debet, ut creatura rationalis ex amore boni moralis neceſſarii, non modò ipſum bonum morale neceſſarium ſequatur, ſed ipſam etiam boni moralis neceſſarii apparentiam, præſertim ſi magna fuerit: in ſequenda autem probabilitate legis, cum libertate æquè probabili concurrentis, eſt magna apparentia boni moralis neceſſarii: ergo Legiſlator ſumme ſanctus velle debet, ut creatura rationalis ſequatur legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem.

Sanctiſſimus legiſlator facere non poteſt licentiam violandi leges ſuas probabiles.

Vera ſanctiſſimi legiſlatoris idea.

Objicies. Magnifica quidem sunt prædicata illa Dei Legislatoris, nec minùs justa, quàm magnifica; sed non videntur probare efficaciter obligationem sequendæ legis probabilis cum libertate æquè probabili concurrentis: id enim si probarent, probarent eadem obligationem sequendæ legis minùs probabilis in concursu libertatis probabilioris: Consequens autem videtur durum nimis & intolerabile, nec nobis credo extrema vitantibus placiturum: probarent item, quod absurdum dictu est, obligationem sequendi quamcumque apparentiam legis, etsi tenuem & levem: ex tali enim obligatione Deo Legislatori, ejusque divinis perfectionibus omnipotentiæ, sapientiæ, & sanctitati aliqua commendatio accresceret, ut accrescere volumus ex obligatione sequendi legem probabilem, in concursu libertatis æquè probabilis. Respondeo. Jam supra luculenter ostendimus, talia nobis in veteri Testamento repræsentari prædicata Dei Legislatoris, ut ex iis rationabiliter inferri possit obligatio sequendi legem probabilem cum libertate æquè probabili concurrentem: sed ex iisdem non continuò probatur obligatio sequendi legem minùs probabilem, concurrentem cum libertate notabiliter probabiliore. Ratio nimirùm est. Quia lex minùs probabilis cum libertate probabiliore concurrens non est verè probabilis: neque enim verè probabile est, quod rationabiliter probari non potest viro sapienti: lex autem minùs probabilis, cum libertate probabiliore concurrens, viro sapienti rationabiliter probari non potest; quia probari non potest rationabiliter viro sapienti, quod omnibus perpensis prudenter judicari debet non esse; nec nisi imprudenter judicaretur esse: atqui talis est lex minùs probabilis, in concursu libertatis probabilioris: nam si fortè judicetur esse, nonnisi imprudenter judicatur: vetat enim lex prudentiæ judicare secundùm minorem apparentiam veri contra majorem. Hîc observa magnum aliquod altumque principium. Perfectiones quidem divinæ summæ sunt in seipsis, & summè invicem concordes, nec tam concordes, quàm eædem; sunt enim unus idemque realiter Deus: concipiuntur tamen singulæ habere diversos effectus; nec diversos tantùm, sed etiam quandoque oppositos: quare concipiuntur diversæ, ratione effectuum diversorum, seque invicem quoad effectus suos contemperare. Exemplum sit in misericordia & justitia: nam eæ perfectiones etsi summæ sint in seipsis, & summè invicem concordes, habent tamen diversos effectus, nec diversos tantùm, sed oppositos, cujusmodi sunt punire, & misereri: nam punire ad justitiam pertinet, & misereri ad misericordiam: quare ratione effectuum suorum diversę sunt, & se mutuò contemperant, altera alteram: etsi enim misericordia inclinet ad gratiam cuicumque peccatori faciendam, per justitiam tamen ita temperatur, ut non omni peccatori gratiam faciat: justitia vicissim summa quidem est, & ita summa, ut possit quemcumque peccatorem punire; sed ita per misericordiam temperatur, ut non omnem peccatorem puniat. Applicemus principium materiæ nostræ. Summa quidem est omnipotentia divina, potens secundùm se, & præcisè sumpta ab aliis perfectionibus divinis, obligare creaturam rationalem ad sequendam legem Dei, non modò verè probabilem, sed & minùs probabilem; imò quamcum-

Ex illis Dei perfectionibus male infertur obligatio sequendæ legis minus probabilis in concursu libertatis probabilioris.

Quia lex minus probabilis cum libertate probabiliore concurrens non est verè probabilis.

Perfectiones Dei sese mutuo temperant. Et quomodo.

que legis apparentiam, quantumvis tenuem: ſed temperatur per ſummam Dei veracitatem, ne obliget ad legem minùs probabilem ſequendam; quia ex ſumma ſua veracitate determinatur Deus, non modò ut ſequatur ipſe neceſſariò & conſtanter veritatem, ſed etiam ad volendum ut creatura rationalis veritatem, aut certè majorem veriſimilitudinem ſequatur: quare ubi major eſt veriſimilitudo libertatis, quàm legis, debet creatura in judicando ſequi libertatem probabiliorem, præ lege minùs probabili: ex quo autem ſequi debet in judicando libertatem probabiliorem, poteſt eandem ſequi in operando, ac proindè non tenetur ſequi in operando legem minùs probabilem, cum libertate probabiliore concurrentem. Summa item eſt ſapientia divina, potens ſecundùm ſe ſpectata providere omni medio obſervationi legum ſuarum: ſed ſapientia illa ſumma temperatur per ſummam clementiam, & impeditur, ne obliget ad minorem, aut tenuem quamcumque legis probabilitatem ſequendam; quia ſi ita obligaret, durè nimis cum creatura ſua, nec ſatis clementer ageret; de qua tamen ſapientia dictum eſt: *Attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Summa denique eſt divina ſanctitas, Deum ſummè avertens à peccato, & ita avertens, ut inducat in Deo abſolutam peccandi impotentiam, eundemque determinans ad volendum, ut creatura rationalis non modò peccatum omne fugiat, ſed ipſam etiam cujuſcumque peccati apparentiam probabilem; imò ſi ſpectetur ſumma ſanctitas abſolutè, & præcisè ab omni alia Dei perfectione, concipitur determinare creaturam ſuam ad vitandum quodcumque peccati periculum, & vel minimam peccati umbram fugiendam: ſed per alias Dei perfectiones, clementiam & veracitatem temperatur, & impeditur, ne creaturæ obligationem faciat fugiendi periculum peccati minùs probabile, aut levem aliquam peccati umbram: nam ſi talem obligationem faceret, jam durè nimis & auſterè ageret cum creatura ſua, eandemque à ſequenda veritate, aut majore veriſimilitudine captanda averteret, ad inanes ferè umbras ſcrupuloſè ſectandas determinans, quæ determinatio Dei veracitati & clementiæ non congruit. Concludo igitur ex perfectionibus divinis, omnipotentia, ſapientia, & ſanctitate, per alias perfectiones temperatis, ita intelligi obligationem ſequendi legem probabilem, in concurſu libertatis æquè probabilis, ut ex iiſdem non intelligatur pariter obligatio ſequendi legem minùs probabilem, in concurſu libertatis probabilioris.

Variæ diſpoſitiones in homine requiſitæ ad rectam legis obſervationem.

Dico 3. Habentur in Teſtamento veteri Principia quædam generalia circa legem divinam, ſumptam reſpectivè ad creaturam rationalem legi ſubditam, in quibus principiis videtur eſſe involuta obligatio, quam quærimus. Nimirùm in creatura rationali legi ſubdita divinæ, requiruntur diſpoſitiones quædam ad rectam totius legis obſervationem; eæque diſpoſitiones paſſim inculcantur in Teſtamento veteri, & ſunt omninò tres: ſummus Dei timor, ſumma dilectio, & ſumma ſervitus: atqui diſpoſitiones ejuſmodi habent ſe veluti principia generalia ex quibus evolutis intelligi poteſt obligatio ſequendi legem probabilem, in concurſu libertatis æquè probabilis, ut facilè apparebit eunti per diſpoſitiones ſingulas.

Prima

Prima igitur diſpoſitio, ad rectam legis obſervationem requiſita, eſt ſummus aliquis timor Dei, in ipſa latione legis & promulgatione inculcatus: propterea enim, Moyſe de ore Domini legem accipiente, ut narratur Exodi 20. *Cunctus populus videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem; & perterriti, ac pavore concuſſi ſteterunt procul, & dixerunt Moyſi: loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur: & ait Moyſes ad populum: nolite timere, ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror ejus eſſet in vobis, & non peccaretis.* Atqui timor Dei, ſi ſummus eſt, determinat efficaciter ad obſervationem legis, non modò certæ & evidentis, ſed etiam incertæ & probabilis: nam ſi ſummus eſt timor, efficaciter determinat ad vitandam offenſionem probabilem perſonæ, quæ ſummè timetur: ad vitandam verò offenſionem Dei probabilem, neceſſe eſt obſervare legem divinam etiam probabilem; quia niſi vitabitur violatio legis divinæ probabilis, probabilis offenſio Dei incurretur. Confirmatur. Timor Dei, ſi ſummus eſt, talis ac tantus eſt, ut vi illius plùs timeatur Deus, quàm quilibet alius Dominus: ergo talis ac tantus eſt, ut Dei ſubditos timoratos prohibeat efficaciter à ſubeundo periculo probabili diſplicendi Deo ſupremo Domino ſuo, & ſupra omnes timendo: inferiores enim Domini, minùs timendi quàm Deus, ita timeri ſolent, ut ex illorum timore fugiant ſubditi periculum probabile illis diſplicendi.

1. Eſt ſummus Dei timor determinans efficaciter ad ſequendam legem probabilem.

Objicies. Si ſummus timor Dei determinet efficaciter ad ſequendam legem probabilem, determinabit idem ad legem minùs probabilem pariter ſequendam, ne ſi fortè negligatur ea lex, offenſionem Dei probabilem incurrat negligens, aut ſe probabili periculo exponat diſplicendi Deo: nam lex minùs probabilis & ipſa probabilis eſt, ac proindè ſi negligatur, incurritur probabilis offenſio Dei: periculum item minùs probabile, & ipſum probabile eſt: ergo ſi ex timore Dei vitari debet periculum ſimpliciter probabile diſplicendi Deo, vitari quoque debet periculum minùs probabile. Reſpondeo. Nego ſequelam, ejuſque probationem. Ratio negandi eſt. Quia lex minùs probabilis non eſt verè & propriè loquendo probabilis; concurrit enim cum libertate notabiliter probabiliore, ut ſupponimus; in quo concurſu judicari non poteſt prudenter exiſtentia legis minùs probabilis: quare negligendo legem minùs probabilem, non propterea incurritur offenſio Dei probabilis: eſt enim moraliter certum, Deum permittere, & indulgere creaturæ ſeu rationali, ut ſequatur libertatem ſuam probabilem, quam prudenter eſſe præſumit. Sed neque ſubitur periculum probabile diſplicendi Deo, per negligentiam legis minùs probabilis: quia ex quo Deus creaturæ indulget, ut ſequatur libertatem ſuam, cum lege minùs probabili concurrentem, indulget quoque, ut legem minus probabilem negligat concurrentem cum libertate probabiliore.

Non determinans ad ſequendam legem minus probabilem.

Hinc nec incurritur offenſio Dei.

Inſtabis. Contingere poteſt, ut lex minus probabilis, ſit vera aliqua lex: quod ſi fortè ita contingat, violari non poterit lex minùs probabilis, quin violetur vera aliqua lex: ergo quicumque violat legem minùs probabilem, periculum ſubit violandi veram aliquam legem; quod pericu-

Nec ſubitur periculum diſplicendi Deo.

lum subire non patitur Dei timor, si summus est. Respondeo. Admissâ totâ hypothesi Antecedentis, quæ totâ possibilis est, fateor, qui violat legem minùs probabilem, in concursu libertatis probabilioris, subire periculum violandi veram aliquam legem, quatenus sequitur libertatem probabiliorem, cum lege minùs probabili concurrentem: atqui libertatem probabiliorem sequitur prudenter & irreprehensibiliter: ergo prudenter & irreprehensibiliter subit periculum violandi legem minùs probabilem, cum libertate probabiliore concurrentem; quod periculum subire non vetat timor Dei etiam summus; quia qui summus est, idem est & rationabilis, futurus fortè major si tale periculum vitaret, sed minùs rationabilis & nimis scrupulosus.

Si subitur prudenter subitur.

Instabis iterum. Timor Dei summus, idemque rationabilis, vetat subire quodcumque periculum displicendi Deo: ergo non patitur violari legem minùs probabilem, in concursu libertatis probabilioris; in violatione enim legis minùs probabilis subitur semper aliquod periculum displicendi Deo; quia nimirùm in violatione legis minùs probabilis periculum est violandi, saltem materialiter, veram aliquam legem Dei: displicet autem Deo, & rationabiliter displicet, violari materialiter legem aliquam suam. Respondeo. Nego Consequentiam, ejusque probationem: aliud enim est violari materialiter legem aliquam Dei, & aliud Deo displicere: neque enim Deo displicet quæcumque materialis violatio legis suæ: Deo quidem displicet materialis violatio legis suæ facta imprudenter & culpabiliter; sed ei non displicet violatio materialis, facta prudenter & inculpabiliter; cujusmodi est violatio legis minùs probabilis, in concursu libertatis probabilioris: ex quo autem potest creatura prudenter & irreprehensibiliter sequi libertatem probabiliorem, potest eadem prudenter & irreprehensibiliter violare legem minùs probabilem cum libertate probabiliore concurrentem.

Non displicet Deo violatio materialis legis prudenter facta.

Altera dispositio ad rectam totius legis observationem necessaria, & in Testamento veteri expressa, est summa Dei dilectio; tum quia ipsa dilectio pars est aliqua, & quidem præcipua legis: in lege enim scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*; tum quia absque movente Dei dilectione difficile est, ne dicam impossibile, cæteras leges constanter & perfectè servari: atqui dilectio Dei, si summa est, movere debet efficaciter ad servandam Dei dilecti voluntatem obligantem, eamque non modò certam & evidentem, sed etiam incertam & merè probabilem: nam si determinaret solùm ad legem certam & evidentem, jam non conciperetur esse summa: concipitur enim major esse, si determinet quoque ad legem incertam & probabilem: ergo si dilectio Dei summa præcepti est, ut profectò est, præcepti quoque esse dicenda est legis probabilis & incertæ executio, quàm ipsa dilectio efficaciter trahit. Confirmatur 1. Quia dilectio Dei summa non patitur subire periculum probabile displicendi Deo summè dilecto: in transgressione autem legis divinæ probabilis subitur periculum probabile displicendi Deo summè dilecto: ergo dilectio Dei summa non patitur fieri transgressionem legis divinæ probabilis. Confirmatur 2. di-

2. Est summa Dei dilectio movens efficaciter ad servandam Dei voluntatem etiã incertam & probabilem

Summa Dei dilectio præcepti est.

Dilectio

lectio Dei summa, est dilectio quædam prælativa & appretiativa Dei super omnia: talis autem ac tanta dilectio, in æquali probabilitate legis & libertatis, non potest non movere efficaciter ad legem divinam probabilem, libertati humanæ nihilò magis probabili præferendam; nam si non moveret, prælativa & appretiativa non esset. Confirmatur 3. dilectio Dei summa, est dilectio quâ Deus diligitur supra omne, quod Deus non est, ac proindè supra patrem, aut matrem; supra filium, aut filiam; supra sponsum, aut sponsam: scriptum est enim: *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus; & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus, &c.* Talis autem ac tanta dilectio determinat necessariò ad mandatum Dei probabile exequendum: nam filius amans patris, ex amore in patrem, exequi debet probabile mandatum patris: filia amans matris, ex suo in matrem amore parere debet imperio matris probabili: sponsa sponsum amans, ex amore sponsi, sequi debet probabilem sponsi voluntatem: ergo creatura, ex amore Dei Creatoris, sequi debet legem divinam probabilem, posthabitâ libertate suâ æquè probabili.

Dei summa prælativa est & appretiativa Dei super omnia.

Objicies. Charitas non est dispositio necessaria ad rectam legis totius observationem: sufficit enim in eum finem solus timor, seu servilis, seu filialis, ut patet tum in peccatore, tum in homine justo: nam peccator quidem, qui charitatem nullam habet, solo timore movetur interdùm efficaciter ad servandam legem: justus verò etsi charitatem habeat, sinit tamen se moveri timore, legem servans, quia timet pœnam subire, aut Deo displicere: ergo ex necessitate charitatis malè infertur obligatio sequendi legem probabilem. Respondeo. Initium quidem sapientiæ est timor Domini; & per timorem intrat charitas, ut loquitur Augustinus; quatenus servili timore pungente, peccator movetur ad legem habendæ charitatis implendam: sed charitas perfecta foras mittit timorem servilem, ut inutilem, aut minùs perfectum, ipsaque per se & per timorem filialem sibi individuum longè efficacius movet ad cæteras leges accuratè & fideliter exequendas; summè amans Deo placere, & summè timens ei displicere: ex amore autem summo placendi, & ex summo timore displicendi Deo dilecto, fit in amante determinatio efficax, ad sequendam legem probabilem, præ libertate probabili: nam si legem sequatur in tali concursu, certus est, se Deo placiturum; displiciturus eidem, si libertatem sequeretur, aut certè periclitaturus displicere.

Instabis. Absque movente charitate potest honestè servari tota lex: nam si timor movere potest efficaciter ad servandam legem habendæ charitatis, non apparet, cur non possit idem satis movere ad quamcumque aliam legem honestè servandam: ergo nulla est necessitas charitatis ad servandam legem, ac proindè ex necessitate charitatis ineptè colligitur obligatio sequendi legem probabilem, in concursu libertatis æquè probabilis. Respondeo. Esto, charitas non sit determinatè necessaria necessitate medii ad servandam totam legem, quia fortè præsto est aliud medium, in eum finem sufficiens; negari tamen non potest, quin charitas sit necessaria, necessitate præcepti: est enim verum & rigorosum præ-

Non satis amabitur Deus si negligatur præceptum Dei probabile.

ceptum divinæ charitatis: ex quo autem divina charitas sub præceptum cadit, necesse est cadere & illud omne, quod ex charitate præcepta necessariò sequitur; cujusmodi est executio legis probabilis; talem quippe executionem trahit divina charitas: neque enim satis amabitur Deus, si negligatur præceptum Dei probabile, aut subeatur periculum probabile Deo displicendi: quare toties peccatur contra charitatem divinam, quoties negligitur lex divina probabilis.

Instabis iterum. Potest ab homine justo, & divinam charitatem habente, negligi lex probabilis: ergo divina charitas non trahit necessariò executionem legis probabilis: Antecedens patet: quia justus ipse, non obstante charitate, quam habet, violare potest legem, non modò probabilem, sed etiam certam & evidentem. Respondeo. Distinguo Antecedens. Potest ab homine justo, & divinam charitatem habente, negligi lex probabilis, in sensu composito retentæ charitatis; Nego: in sensu diviso; Concedo Antecedens & Nego Consequentiam. Nimirùm potest homo justus, & charitatem habens peccare: potest item peccando charitatem perdere, & quod est consequens, potest charitate perditâ violare legem Dei, non modò probabilem, sed etiam certam & evidentem: sed charitate retentâ, non modò non potest violare legem certam & evidentem graviter obligantem, sed ne quidem probabilem; quia neutrius legis violationem compatitur divina charitas perseverans: alterutra enim violetur, seu certa, seu probabilis, peccabitur contra divinam charitatem.

3. Est summa hominis servitus exigens ut homo obtemperet mandatis Dei probabilibus.

Tertia dispositio ad rectam & accuratam totius legis observationem est summa servitus, in Testamento veteri graviter commendata. Deuteron. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*; præcipuâ scilicèt & singulari servitute, qualem meretur supremus omnium Dominus: summa autem illa servitus videtur omninò exigere, ut creatura rationalis probabilibus quibuscumque Dei mandatis obtemperet; nec ad obtemperandum expectet certitudinem & evidentiam mandatorum: nam si expectabit, jam nec satis promptè, nec satis securè, nec satis plenè serviet. Ac 1. quidem non satis promptè serviet: hæsitabit enim & moras trahet ad executionem mandatorum Dei probabilium: ista verò hæsitatio & morositas non est promptè servientis. 2. Non serviet satis securè exponet enim se frequenti periculo repugnandi voluntati Dei Domini sui: ista autem frequens & voluntaria periclitatio repugnandi, non est securè servientis. 3. Demum non satis plenè serviet: negliget enim pleraque Dei mandata; quia pleraque sunt duntaxat probabilia: ista autem negligentia mandatorum non est plenè servientis. Ergo creatura rationalis, ut promptè, securè, & plenè serviat, necesse habet, ut mandata etiam probabilia exequatur. Confirmari potest 1. Ex servitute rationabili, quam debent subditi Dominis suis: nam rationabiliter fit, ut eorum mandatis probabilibus obediant subditi, nec ausint probabile subire periculum iis displicendi: ergo longè potiori jure ex servitute, quam debet creatura rationalis Deo Domino suo tenetur mandatis divinis probabilibus obedire; nec subire potest periculum probabile Deo displicendi per transgressionem

1. Promptè.

2. Securè.

3. Plenè.

legis divinæ probabilem. Confirmari poteſt 2. Quia ex ſumma ſervitute, quæ debetur Deo Domino, tenetur creatura, Deo magis quàm ſibimetipſi ſervire: ergo ubi libertatem ſuam concurrere videt cum voluntate divina æquè probabili, tenetur voluntatem divinam præferre libertati ſuæ, & poſthabitâ libertate ſuâ probabili, voluntatem divinam æquè probabilem fideliter exequi.

Objicies. Debetur quidem Deo ſupremo Domino ſumma creaturæ ſervitus: ſed quantacumque debeatur, obligationem non facit ſequendi legem probabilem concurrentem cum libertate æquè probabili: nam ſcriptum quidem eſt; *ſervite Domino in veritate:* ſed non eſt ſcriptum; *ſervite in probabilitate:* & ideò ſcriptum non eſt; quia in probabilitate non eſt ſatis conſtans veritas, quam unicè attendi vult Dominus in executione legum ſuarum. Reſpondeo. Servire in veritate, quod jubet Scriptura, nihil aliud eſt, quàm verè & ex animo, ſeu ſincerè & non ſimulatè ſervire: quærit nimirùm Deus, qui adorent eum in ſpiritu & veritate; tales adoratores quærit; hypocritas & ſimulatores reprobans, ſecundùm illud: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Deo igitur in veritate ſervitur, quando ex ſincero animo ei placendi lex divina probabilis executioni mandatur: non ſervitur autem Deo in veritate, quando propter libertatem probabilem lex divina probabilis negligitur; tunc enim non legi divinæ, ſed libertati humanæ ſervitur. Non eſt ſcriptum, fateor; *ſervite Domino in probabilitate:* ſed neque ſcribi debuit; & ideò non debuit; quia ſi ſcriptum fuiſſet, ſenſum fortè aliquem falſum ingeneraſſet: potuiſſet enim ſignificari, ſerviendum eſſe ſecundùm apparentiam, Deumque Dominum, probabilitate & apparentiâ ſervitutis contentum, veram & realem ſervitutem à creatura non exigere: ſcribi igitur debuit; *Servite Domino in veritate:* ſed non debuit ſcribi; *Servite in probabilitate.*

Quid ſervire Domino in veritate.

Cur ſcriptum non eſt ſervite in probabilitate.

Inſtabis. Lex merè probabilis, cum libertate æquè probabili concurrens, plerunque non eſt vera, ſed falſa quædam lex, & quoddam idolum legis; ſpeciem legis habens, rem non habens: ergo ſervire legi probabili quandoque, imo plerunque eſt idolo ſervire, aut certè alicui idololatriæ ſe exponere: atqui ut præceptum eſt ſervire ſoli Deo vivo & vero, ita prohibitum eſt idolo ſervire. Confirmatur. Non magis licet ſequi legem probabilem & incertam, quàm liceat ſervire Deo cuipiam probabili & incerto: non licet autem ſervire Deo probabili & incerto; quia Deus incertus & probabilis non eſt verus Deus: ergo nec licet ſequi legem probabilem & incertam; quia lex probabilis & incerta non eſt vera lex. Reſpondeo. Fortè quidem lex merè probabilis & incerta, non eſt vera lex, ſed falſa: quandoque enim imò plerunque fit, ut magnam ſpeciem legis præ ſe ferat, quæ rem non habet: nego tamen, in ea ſequenda eſſe ullum periculum idololatriæ; quia etiam in ea ſequenda ſervitur Deo vivo & vero; quatenus ex ſincero affectu placendi Deo vero & vivo executioni mandatur, quod rationabiliter creditur fuiſſe à Deo vero & vivo imperatum. Quod autem additur ad Confirmationem, inane eſt ex duplici capite. 1. Quidem quia verus Deus non poteſt

Servire legi probabili non eſt idolo ſervire.

VerusDeus non poteſt eſſe incertus & merè probabilis.

esse incertus & merè probabilis homini rationali, veram Dei ideam habenti: in idea enim Dei importatur summa & evidens existendi necessitas: undè merito ridet Tertullianus Deos illos ignotos & incertos, quibus Aram exstruxerant Athenienses, veram ideam Dei non habentes: sed nihil repugnat, veram esse legem, quæ tamen eadem merè probabilis & incerta sit: lex enim, quantumvis divina sit, reipsa tamen contingens est; & ita à Deo prodiit, ut potuerit non prodire, pro summa libertate Dei, qui potuit abstinere à ferenda lege, quam re ipsa tulit: ex qua legis contingentia fit, ut possit divina aliqua lex incerta esse & merè probabilis, sed etiam penitus ignorata. 2. Quia si fortè verus Deus esset idem incertus & merè probabilis, exponeret se periculo idololatriæ materialis, qui tali Deo serviret; quia credens, servire se vero Deo, fortè tamen reipsa idolo serviret: sed nihil tale contingit sequenti falsam aliquam legem, quam præsumit veram esse; & ideò sequitur, quia credit esse verè divinam, & à vero Deo Legislatore prodiisse; cui tum maximè in spiritu & veritate servit, quando ex animo serviendi ipsius legem incertam duntaxat & probabilem, religiosè & reverenter exequitur.

Vera lex potest esse incerta.

Dico 4. Habentur in veteri Testamento Principia quædam generalia circa legem divinam consideratam respectivè ad fines propter quos lata est lex: ordinatur enim legislatio ad glorificationem Dei Legislatoris, ad bonum Communitatis, cui lex imponitur, & ad privatam subditorum directionem: atqui fines ejusmodi habent se veluti principia generalia, ex quibus bene intellectis deduci potest obligatio sequendi legem probabilem, in concursu libertatis æquè probabilis, quod sic demonstro.

Ex triplici legis fine probatur eadem obligatio.

Primò quidem dubitari non potest, quin ad gloriam Dei Legislatoris referatur legislatio: nam si universa propter semetipsum operatus est Dominus, propter semetipsum quoque operatus est legislationem; legislatio enim est unum aliquid de universis: eatenus autem dicitur Dominus operari propter semetipsum, quatenus propter gloriam suam operatur: ergo propter gloriam legislationem operatus est, seu ut meliùs dicam; ex fine gloriæ suæ determinavit se ad legem ferendam. Nimirùm ad gloriam Dei Legislatoris conducit multipliciter legislatio: quia in legislatione sapientia, potentia, justitia, bonitas, aliæque Dei perfectiones insigniter apparent: atqui si Deus Legislator in gloriam suam ordinavit legislationem, ut profectò ordinavit, rationabiliter præsumendus est fecisse obligationem sequendi leges suas probabiles; quia in tali obligatione facienda, intelligitur fieri magnum aliquod gloriæ Dei incrementum: siquidem eo ipso crescere intelligitur gloria Dei, quòd exaggeratur idea majestatis Dei Legislatoris: exaggeratur autem idea majestatis Dei Legislatoris, si concipiatur talis ac tantus esse Legislator Deus, ut ipso pondere suæ majestatis obligationem faciat exequendi leges suas, non modò certas, sed etiam probabiles. Confirmatur 1. Quia si Deus non fecit obligationem sequendi leges suas probabiles, jam intelligitur aliquo modo prodigus gloriæ suæ: cùm enim possit rationabiliter magnam aliquam gloriam trahere ex obedientia creaturæ, respectu legum suarum

1. Finis est gloria Dei; quo præsumitur Deus obligasse hominem ad sequendas leges suas probabiles.

probabilium; talem gloriam intelligitur neglexisse & prodegisse, eo ipso quòd obedientiæ præstandæ fundamentum, obligationem scilicèt legum probabilium, subtraxisse intelligitur: ergo præsumendus est, legum suarum probabilium obligationem fecisse, ne gloriam suam neglexisse, aut prodegisse videatur ille ipse, de quo scriptum est: *Ego Deus Zelotes; & gloriam meam alteri non dabo.* Confirmatur 2. Quia si Deus libertatem fecit transgrediendi leges suas probabiles, jam videri potest fecisse potentiam inhonorandi se per contemptum legum probabilium: talem autem licentiam facere non potuit Deus gloriæ suæ zelator; id quod patere videtur ex terminis: probatur autem sequela. Quia per contemptum & transgressionem legum divinarum probabilium verè inhonoratur Deus: nam eo ipso Deus inhonoratur, quòd majestas divina irreverenter & indignè tractatur: tractatur autem indignè & irreverenter divina majestas, ex quo jussa ipsius divina negliguntur: debetur enim hæc reverentia, hic honor divinæ majestati, ut jussa ipsius divina, etiam probabilia, non negligantur; cùm ne majestatis quidem humanæ, quæ infinitè minor est majestate divinâ, jussa etiam probabilia negligi soleant.

Objicies. Deus, non obstante zelo gloriæ suæ, permittere potest, ut creatura peccet transgrediendo leges, non modò probabiles, sed etiam certas & evidentes: potest enim peccata permittere: ergo ex zelo gloriæ suæ non intelligitur Deus fecisse obligationem sequendi leges suas probabiles. Respondeo. Nego Consequentiam. Nam potest quidem Deus, non obstante zelo gloriȩ suæ permittere physicè, ut creatura peccet; quia potest ei physicam potestatem facere peccandi, non impediendo peccatum, cùm physicè possit impedire: talis autem permissio physica rectè cohæret cum zelo gloriæ Dei, quatenus decrementum illud gloriæ, quod patitur Deus ex inobedientia creaturȩ, compensaturus est per vindictam inobedientiæ. Sed non potest Deus permittere moraliter peccatum, seu licentiam facere transgrediendi leges suas, etiam probabiles, verè obligantes: talis enim licentia Deo prorsus indigna est, & malè cohæret cum fine Dei Legislatoris, rationabiliter intendentis gloriam suam, ex obedientia creaturæ legibus etiam probabilibus præstanda.

Non bene cohæret cū gloria Dei licentia violandi leges probabiles.

Instabis. Potest Deus multis modis facere ne lex probabilis obliget, seu, quod idem est, facere libertatem à lege probabili. Nam 1. Qui potuit non sancire legem quam sanxit, potest idem abrogare sancitam, & abrogando facere ne ulteriùs obliget. 2. Potest, seclusâ etiam revocatione à lege lata dispensare pro tempore; quo planè tempore non obligabit lex, propter interventum dispensationis. 3. Potest legis obligationem limitare ad certas quasdam circumstantias; quæ circumstantiæ si defuerint, evacuabitur obligatio legis. 4. Potest vim obligandi universam facere dependentem à clara & certa legis propositione; ex qua dependentia fiat, ut non magis obligare possit lex probabilis, quàm lex invincibiliter ignorata. Respondeo. Distinguendam esse legem positivam à lege naturali: & legis quidem positivæ obligationem fateor solvi posse multis modis. 1. Abrogatione; nam qui potuit pro sua libertate

Obligatio legis positivæ solvi potest multis modis.

Sed in nostrâ hypothesi locus non habet abrogatio legis.

non sancire legem, potest idem abrogare sancitam: sed ut eo modo solvatur obligatio, constare debet de abrogatione legis: tandiu enim obligat lex sancita, quandiu non satis constat fuisse abrogatam: atqui non satis constat fuisse abrogatam, quandiu probabile est, abrogatam non fuisse: ergo tandiu obligat lex, quandiu probabile est, non fuisse abrogatam. 2. Solvi potest dispensatione: nam si potest supremus Legislator legem latam omninò abrogare, potest idem multò magis pro tempore & loco in favorem alicujus personæ ab eadem lege sua dispensare: sed ad legis obligationem dispensatione solvendam necesse est, ut dispensatio notoria sit ei, qui dispensatur: non erit autem notoria dispensatio, quandiu probabilis erit negatio dispensationis: ergo quandiu negatio dispensationis probabilis erit, obligabit lex, non obstante dispensatione.

Nec à lege dispensatio.

Nec limitatio legis ad certas circumstantias.

3. Solvi potest obligatio limitatione legis ad certas circumstantias, extra quas nolit Legislator, legem suam obligare: sed notificari debet illa legis limitatio: nam nisi satis notificabitur, perindè erit ac si non esset: non satis autem notificabitur; ubi tam probabile erit, non limitari legem, quàm limitari: ergo in æquali utriusque probabilitate, limitationis & non limitationis, manet tota obligatio legis illimitata, & secundùm extensionem suam totam. 4. Solvi potest obligatio defectu propositionis sufficientis: sed non deest sufficiens propositio legis, ubi lex apparet æquè probabilis ac libertas; quia tunc lex ita apparet, ut contemni non debeat: tenetur enim creatura rationalis in pari causa præferre legem divinam libertati suæ; nec subire potest probabile periculum violandæ legis, ut suæ libertati serviat: quare non se habet lex probabilis, ut lex invincibiliter ignorata: lex enim invincibiliter ignorata ad nihil obligat; quia nullo modo apparet esse, & quidem absque ulla culpa ignorantis: at verò lex probabilis aliquo modo apparet esse; probabiliter scilicèt, ac proindè sufficienter ne contemnatur, aut negligatur ejus executio; quippe quæ negligi, aut contemni non potest, sine periculo probabili violandi aliquam Dei legem. Respondeo 2. de lege naturali longè minorem difficultatem esse: cùm enim lex naturalis sit aliqua lex, de voluntate Dei necessaria descendens, patet, minùs solvi posse obligationem legis naturalis, quàm positivæ. Nam quomodò lex naturalis solveretur? An abrogatione? Sed lex naturalis abrogari non potest. An dispensatione? Sed in lege naturali non habet locum dispensatio. An limitatione? Sed circumstantiæ, in quibus obligat lex naturalis, excipi ab obligatione non possunt. An defectu propositionis sufficientis? Sed præterquamquòd lex naturalis plerunque patens est ipso naturæ lumine, videtur proponi sufficicienter, eo ipso quòd intelligitur esse probabilis. Respondeo 3. seu naturalis, seu positiva sit lex, eo ipso quòd est æquè probabilis ac libertas, videtur esse juris naturalis, ut præferatur libertati; quia competit Deo jus naturale prælationis in pari causa supra creaturam suam; pertinetque ad naturalem creaturæ servitutem obligatio non subeundi periculum probabile violandæ cujuscumque legis divinæ; contra quam obligationem de jure naturæ venientem, peccat evidenter, quicumque legem aliquam Dei probabilem, seu naturalem, seu positivam transgreditur.

Nec defectus propositionis sufficientis.

Lex vero naturalis nullo modo solvi potest.

Videtur esse juris naturalis ut omnis lex præferatur libertati.

Instabis.

Instabis. Fundamentum istius obligationis, si quod est, aliud esse non potest, quàm zelus gloriæ suæ in Deo Legislatore necessarius, & Deum ipsum necessitans ad talem obligationem creaturæ suæ faciendam: tale autem fundamentum videtur esse imaginarium: nam Deus non potest necessitari ex zelo gloriæ illius suæ, quâ potest privare se, si velit: potest autem Deus privare se, si velit, gloriâ illâ suâ, quantamcumque sperat ex obedientia creaturæ suæ rationalis: siquidem Deus ita liberè producit creaturam suam rationalem, ut possit non producere; eandemque semel productam possit deindè si velit annihilare, pro summa sui sufficientia, & absoluta à creaturis suis independentia: in qua hypothesi privaret se gloriâ illâ suâ, quantamcumque trahit, aut trahere potest ex obedientia creaturæ suæ rationalis: ergo potest privare se gloriâ, quantamcumque trahit, aut trahere potest ex obedientia præstanda legibus suis probabilibus: nam si zelo gloriæ suæ non necessitatur Deus ad creaturam rationalem producendam, aut conservandam, quantò minùs necessitabitur ad faciendam obligationem legum suarum probabilium. Respondeo. Absolutè quidem & antecedenter ad omnem hypothesim, non necessitatur Deus ad ullam gloriam extrinsecam sibi procurandam se ipso planè contentus, & sibi summè sufficiens: summa enim sui sufficientia, & independentia à creaturis suis excludit à Deo necessitatem omnem antecedentem & absolutam producendi creaturas, & procurandi sibi gloriam ex productione creaturarum secuturam: sed in hypothesi creationis rerum, in qua sumus, necessitatur Deus creaturas ad se referre, & ex illarum productione gloriam aliquam captare: necessitas enim omnia referendi ad se, & ad gloriam suam, magna quædam perfectio est, perfectio pura & simpliciter simplex, melior ipsa, quàm non ipsa. Ex quo principio certo & inconcusso sapienter inferunt Theologi, non potuisse produci à Deo creaturam materialem solam, sed fuisse omninò necesse, ut creaturæ materiali socia adderetur creatura spiritualis & intelligens, quæ sola Deum glorificare potest de productione creaturæ materialis: nam si creaturam materialem solam produxisset, jam illam non retulisset ad se, seu non ordinasset in gloriam suam, quod facere omninò tenetur Deus zelantissimus gloriæ suæ, & summè necessitatus referre ad se, quidquid extra se produxerit. Inferunt item, productioni creaturæ materialis debuisse necessariò anteriorem esse, aut simultaneam productionem creaturæ alicujus intelligentis; quia si productioni creaturæ materialis anterior, aut simultanea non esset productio creaturæ intelligentis, jam in primo signo existentiæ creatura materialis, nullo modo glorificaretur Deus de ipsius productione. Ratio evidens est. Quia in primo illo signo non intelligeretur esse creatura spiritualis, quæ tamen sola capax est Deum glorificare, ac proindè astra illa matutina, ut cum Scriptura loquar, seu creaturæ intelligentes, non laudarent Creatorem de primo signo existentiæ creaturæ materialis: neque enim laudare, seu glorificare possent, nisi in signo ipsarum existentiam consequente; quia priùs est existere, quàm glorificare: non existerent autem in primo signo existentiæ creaturę materialis, ut fert hypothesis: ergo in primo illo signo Deum non glorificarent, ac

Absolutè non necessitatur Deus ad gloriam extrinsecã sibi procurandam.

Sed tantum consequenter & hypothetice.

proindè in primo illô ſigno Deus non glorificaretur de productione creaturæ ſuæ materialis. Nec difficile eſt idem ipſum principium applicare materiæ noſtræ. Nimirùm Deus, ex quo creaturam ſpiritualem & intelligentem produxit, neceſſitatus fuit ad eandem legibus quibuſdam, ſeu naturalibus, ſeu poſitivis dirigendam; quia neceſſitatus fuit ad exigendum à creatura ſerva homagium aliquod ſuæ ſervitutis, & quoddam gloriæ ſuæ tributum, obedientiam ſcilicèt legibus ſuis divinis, à creatura præſtandam: ex hypotheſi autem legiſlationis, neceſſitatus fuit idem ad faciendam creaturæ obligationem legum ſuarum probabilium; tum quia non potuit negligere gloriam ſibi venturam ex obedientiâ creaturæ legibus ſuis probabilibus debita; tum quia licentiam facere non potuit inhonorandi ſui, per contemptum legum ſuarum probabilium: inhonoraretur autem Deus, ſi contemnerentur leges divinæ probabiles; quia per talem contemptum, indigne & irreverenter tractaretur divina majeſtas, creaturâ paſſim ſubeunte periculum probabile violandi veras aliquas leges divinas, idque impune, & ex ipsâ Dei permiſſione, quod planè non in gloriam, ſed in Dei opprobrium verteretur.

2. Finis eſt bonum cõmunitatis.

Secundò. Alter finis, ad quem legiſlatio ordinatur, eſt bonum communitatis, cui lex imponitur: lex enim non eſt præceptum aliquod privatum, aut ſingulare, uni alicui perſonæ factum, ſed publicum & commune, toti Communitati impoſitum, propter bonum ipſius Communitatis. Duplex autem diſtingui poteſt bonum Communitatis à legiſlatione veniens; unum generale, alterum ſpeciale: generale appello, quod Communitati venit generatim de omni lege, quæcumque tandem illa ſit: nam ex quo lex Communitati imponitur, membra Communitatis novo quodam vinculo colligantur inter ſe, & cum Deo Legiſlatore, cui uniformiter & unanimiter ſervire tenentur; undè fit, ut & ſuaviùs, & alacriùs, & fideliùs ſerviant, juvantes ſe invicem mutuo exemplo ad ſerviendum; more viatorum, eandem ſimul viam decurrentium, quibus ipſa currendi ſocietas pro ſtimulo eſſe ſolet & pro vehiculo. Speciale bonum Communitatis appello, quod Communitati venit de una lege ſpeciatim, ita ut non veniat de altera: unaquæque enim lex ſpeciale aliquod bonum Communitati affert, ſeu procurando aliquod commodum membris Communitatis, ſeu damnum aliquod ab iiſdem arcendo. Exemplum ſit in lege: *Non fœneraberis fratri tuo*: qua lege curatur, ut detur mutuum indigentibus, ad ſubveniendum ipſorum indigentiæ, & ſimul cavetur gravamen uſuræ, quo pauperes opprimerentur. Atqui ex illo fine legiſlatoris inferri poteſt obligatio legum probabilium: nam ſi leges probabiles non obligarent, fraudaretur paſſim Deus Legiſlator bono illo communi, quod per legiſlationem intendit, ſeu generali, ſeu ſpeciali; jam enim membra Communitatis non colligarentur invicem communi vinculo legum probabilium non obligantium; cùm vis obligandi ſit ipſummet vinculum ligans; quo vinculo ſolverentur, probabilitate libertatis exſufflante probabilitatem legis: jam non unanimiter, aut uniformiter Deo Legiſlatori ſervirent; aliis jugum legis ſubeuntibus; aliis pro ſua libertate excutientibus: jam non mutuo exemplo juvarent ſe ad ob-

Duplex eſt, generale, & ſpeciale.

Fraudaretur Deus bono illo communi ſi leges probabiles non obligarent.

ſequendum ; ſed alii alios ab obſequendo impedirent, aut retardarent. Fraudaretur item Deus bono ſpeciali, per legiſlationem intento : nam ſi lex probabilis non obligaret, jam non obtineretur bonum illud ſpeciale, quod per legem probabilem intendebat Deus procurare Communitati ; nec caveretur damnum illud ſpeciale, quod caveri volebat Deus, & cui cavendo legem illam ſuam deſtinaverat. Ergo, ut vides, magni intereſt ad bonum Communitatis, ut leges probabiles vim obligandi ſuam non perdant, ex probabilitate libertatis concurrente, ſed planè retineant ; & ex quo verè probabiles ſunt, verè obligent. Confirmatur. Quando finis præcepti non eſt ſola honeſtas operantis, ſed aliquid ab honeſtate operandi diſtinctum, jam non eximit à præcepto probabilitas libertatis, ut fatentur ipſimet probabiliſtæ : atqui finis legis non eſt ſola honeſtas operandi, ſed bonum Communitatis, ſeu generale, ſeu ſpeciale ab operandi honeſtate diſtinctum : ergo à lege non eximit probabilitas libertatis ; eſto fortè eximat à pręcepto aliquo ſingulari ad ſolam obediendi honeſtatem ordinato : ſed à lege non eximit, quæ ordinatur ad bonum aliquod ab obediendi honeſtate diſtinctum.

Objicies. Potuit Deus non ferre legem, quæ probabilis eſt ; imò probabile eſt eam non tuliſſe ; fortè etiam non tulit : ponamus ergo, non tuliſſe reipſa : ſtaret nihilominùs bonum Communitatis à Deo Legiſlatore intentum : nam ſatis adhuc colligarentur membra Communitatis per alias leges certas & evidentes, in quibus obſervandis uniformiter & unanimiter currerent : ergo bonum Communitatis non requirit obligationem legis probabilis, ac proindè nec evincit. Reſpondeo. Fieri poteſt, fateor, ut Deus legem probabilem non tulerit ; ſed probabile eſt tuliſſe, & fortè etiam reipſa tulit : ponamus igitur reipſa tuliſſe : in hac hypotheſi, intendit Deus per lationem legis bonum aliquod Communitatis, ſeu generale, ſeu ſpeciale, quod tamen bonum non obtinebit, ſi lex probabilis habeatur pro lege non obligante : ergo quicumque legem probabilem habebit pro lege non obligante, Deum fraudabit, aut certè exponet ſe probabili periculo fraudandi bono illo Communitatis, ſeu generali, ſeu ſpeciali quod Deus per legem probabilem intendebat : fortè quidem ſtabit bonum Communitatis à Deo Legiſlatore intentum per leges certas & evidentes : ſed profectò non ſtabit bonum illud Communitatis, quod intendit Deus per legem probabilem, ac proindè ſapientiſſimus Legiſlator fraudabitur bono, per legem aliquam ſuam intento.

Potuit Deus non ferre legem probabilē. Sed probabile eſt tuliſſe.

Inſtabis. Lex probabilis poteſt eſſe falſa aliqua lex : lex autem falſa obligare non poteſt : neque enim ligare poteſt imaginarium aliquod vinculum quod non eſt : ſed ſi lex probabilis falſa non obliget, non obligabit quoque lex probabilis vera ; cum ſit eadem propoſitio utriuſque legis, ſeu veræ, ſeu falſæ ; nec magis appareat exiſtentia unius, quàm alterius. Reſpondeo 1. Lex probabilis etiam falſa verè obligat ; quia etſi non exiſtat realiter, exiſtit tamen objectivè, quod ſufficit : vinculum enim morale, cujuſmodi eſt lex, non requirit ad ligandum exiſtentiam ſui realem & phyſicam, ſed intentionalem duntaxat & objectivam : reale quidem & phyſicum vinculum ligare non poteſt, niſi phyſicè exiſtens in ſe : ſed

Lex probabilis etiam falſa verè obligat.

Discrimen vinculi moralis, & vinculi physici.

vinculum morale, quale est lex ligare potest, etiamsi physicè & realiter non existat. Ratio discriminis est. Quia vinculum physicum & reale ligat immediatè duntaxat, & se ipso: quare si ipsum physicè & realiter non existat in se, jam ligare non potest: at verò vinculum morale legis non ligat immediate & se ipso, sed per idoneam sui propositionem: potest autem fieri idonea propositio legis non existentis, ac proindè verè ligare potest lex, quæ physicè & realiter non existit; dummodò existat objectivè per idoneam sui propositionem. Respondeo 2. Lex probabilis, seu vera, seu falsa, ligare potest, si non ratione sui, saltem ratione alterius veræ legis generalis & reflexæ, quâ Deus vult, ut lex quæcumque probabilis, seu vera, seu falsa, religiosè servetur. Deus nimirùm Legislator sapientissimus, legum suarum probabilium observationi providit, per leges quasdam naturales & reflexas, easque ferè certas & evidentes, ut olim explicuimus in Tractatu de Regula actionum humanarum, & infra sub finem hujus nostri Tractatûs repræsentabimus.

3. Finis est privata directio singulorum legi subjacentium.

Tertiò. Finis tertius, ad quem legislatio refertur, est privata directio singulorum legi subjacentium: cùm enim homines ignorantiâ suâ, seu naturali, seu pœnali passim aberrarent à termino, & perversâ suâ voluntate per avia & invia agerentur in præceps, necesse habuerunt à Deo directore instrui de termino quò tendere deberent; & viam doceri quà tenderent. Atque hanc salutaris disciplinæ necessitatem, quotquot in Testamento veteri vixerunt sancti viri, seu Patriarchæ, seu Prophetæ agnoscentes, gemitibus suis magis quàm verbis declararunt: sed tali ac tantæ necessitati providere poterat solus Deus, & reipsa efficaciter providit per legem suam, seu naturalem, seu scriptam; seu exteriorem, seu interiorem; est enim divina lex *via Domini*, seu præstituta à Domino; quâ via itur ad terminum, secundùm illud: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Via justitiæ*; quia per legem divinam justitia obtinetur, & exercetur, juxta illud: *Doce me viam justificationum tuarum. Via pacis* cum Deo habendæ & conservandæ; quam viam monstrare habuit præsertim ille de quo scriptum est. *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Via* denique *salutis* & intelligendæ & adipiscendæ, ut testatur idem qui supra Zacharias, sub finem Testamenti veteris. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Hæc sunt elogia divinæ legis respectivè ad privatam singulorum directionem, in veteri Testamento familiaria: ex quibus elogiis videtur affulgere novum & copiosum lumen pro collustranda obligatione sequendi legem probabilem. Nam 1. Si lex divina recta quædam & tuta via est quà itur ad terminum sine scopulo & offensione; apparet statim obligatio sequendi legem probabilem cum libertate æquè probabili concurrentem: nam quis prudens in bivio positus non eligat viam tutam in qua nullum scopuli, aut præcipitii periculum apparet, præ alia via, in qua scopuli, aut præcipitii probabile periculum est: atqui ubi occurrit bivium legis probabilis, & probabilis libertatis, in sequenda lege probabili nullum apparet scopuli aut præcipitii, seu peccati periculum; in

Lex divina via Domini est.

Via justitiæ.

Via pacis.

Via salutis.

Hinc infertur obligatio sequendi legem probabilem.

ſequenda verò libertate probabili, probabile peccati periculum eſt : ergo ex lege prudentiæ fit obligatio ſequendi legem probabilem, præ libertate probabili. 2. Si lex divina eſt via quædam juſtitiæ, patet obſequium legi probabili præſtitum, eſſe quoddam juſtitiæ exercitium probabile & probabiliter neceſſarium, ac proindè obſequii defectum, eſſe probabilem quandam injuſtitiam : tenetur autem creatura ex amore juſtitiæ non negligere exercitium juſtitiæ probabile, & non ſubire periculum probabile injuſtitiæ. 3. Si lex divina eſt via pacis cum Deo habendæ & conſervandæ intelligitur lex divina probabilis, eſſe gradus probabilis ad pacem cum Deo habendam ; negligentia verò legis probabilis intelligitur eſſe gradus aliquis ad pacem cum Deo turbandam : tenetur autem creatura ex ſtudio pacis cum Deo habendæ & conſervandæ id omninò præſtare quo probabiliter pacem cum Deo habere poſſit ; nec quidquam facere quo ſe exponat periculo probabilis pacis cum Deo perdendæ, aut turbandæ. 4. Si lex divina eſt via ſalutis & felicitatis æternæ à Deo præſtituta homini ad ſalutem & felicitatem conſequendam, ſequitur legem divinam probabilem, eſſe viam quandam ſalutis probabilem & probabiliter neceſſariam : obligatur autem homo ex amore ſui rationabili non declinare à via ſalutis probabili & probabiliter neceſſaria, ne ſi fortè declinaverit, exponat ſe periculo probabili nunquàm perveniendi ad metam ſalutis, & felicitatis æternæ ſibi à Deo Legiſlatore præſtitutam. Vides præclara illa & luminoſa elogia divinæ legis, per totum vetus Teſtamentum diſperſa, quàm ſplendidè colluſtrent obligationem ſequendi legem probabilem in concurſu libertatis æquè probabilis.

Objicies. Lex probabilis non eſt via magis recta, aut magis tuta, quàm libertas æquè probabilis : quia non eſt minus errandi periculum in ſequenda lege probabili, quàm in ſequenda probabili libertate : tam enim probabile eſt non eſſe legem, quàm ſit probabile non eſſe libertatem ; cùm ferat hypotheſis utrumque eſſe æquè probabile : ergo lex probabilis non minùs inepta eſt ad privatam ſingulorum directionem, quàm libertas probabilis cum lege æquè probabili concurrens. Reſpondeo. Nego Antecedens ejuſque probationem. Equidem fateor in exiſtentia legis probabilis judicanda non minus eſſe periculum errandi, quàm in judicanda exiſtentia libertatis probabilis ; quia æqualiter incerta eſt exiſtentia utriuſque : quare ad vitandum errandi periculum neutra judicanda eſt ; ſed debet fieri ſuſpenſio judicii circa utrumque : in qua tamen ſuſpenſione ita licebit operari ſecundùm legem probabilem ut non liceat pariter operari ſecundùm probabilem libertatem. Ratio nimirùm eſt. Quia operando ſecundùm legem probabilem nullum apparet peccandi periculum ; cùm tamen ſit probabile periculum peccandi operando ſecundùm libertatem. Fateor item poſſe ſine ullo errandi periculo judicari probabilitatem libertatis, non minùs quàm probabilitatem legis ; quia æquè certa eſt utriuſque probabilitas, ſeu legis, ſeu libertatis : ſed ex probabilitate libertatis inferri non poteſt licentia operandi ſecundùm libertatem : poteſt autem inferri ex probabilitate legis, non modò licentia, ſed etiam obligatio operandi ſecundùm legem. Ratio diſcriminis eſt.

Lex probabilis eſt via rectior ac tutior libertate æquè probabili.

Quia in pari causa habet Deus jus irrefragabile prælationis supra creaturam suam. Nimirùm in æquali probabilitate legis & libertatis accedit probabilitati legis suprema dignitas Dei Legislatoris; ex quo supremæ dignitatis accessu fit, ut probabilitas legis præponderet probabilitati libertatis: undè ulteriùs sequitur, legem probabilem in concursu libertatis æquè probabilis, esse solam viam rectam & tutam; libertatem verò probabilem, in concursu legis æquè probabilis, nec rectam, nec tutam viam esse. Confirmatur responsio. Quia etsi fortè ad directionem intellectûs videri possit lex probabilis non esse via magis tuta, quàm libertas æquè probabilis; non potest tamen non videri magis tuta in ordine ad directionem voluntatis: voluntas enim bona debet magis inclinare se ad sequendam legem probabilem, quàm ad sequendam probabilem libertatem; sive ex lege prudentiæ, nihil periclitantis; sive ex amore justitiæ exercendæ; sive ex studio pacis habendæ cum Deo; sive demum ex desiderio salutis & felicitatis consequendæ: quam inclinationem & bonam voluntatem profitebatur se habuisse Propheta Rex dicens: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.*

ARTICULUS TERTIUS.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Deducuntur ex Testamento veteri validæ quædam conjecturæ in favorem obligationis.

Conjecturæ aliquot ex veteri Testamento deductæ.

POst allegatos Textus aliquot formales, & evoluta multa Principia generalia veteris Testamenti in favorem obligationis sequendi leges probabiles, cum libertate æquè probabili concurrentes, etsi non videatur admodùm necesse adhibere conjecturas; placet tamen unam aut alteram hìc apponere, quæ argumentationes nostras, tum ex sacris Textibus, tum ex Principiis generalibus supra deductas, fortè nimis subtiles, & nimiâ subtilitate suâ plerisque imperceptibiles, facere possint, & magis sensibiles & plausibiles magis.

Prima est, in veteri Testamento nulla sit exceptio legum probabilium.

Prima igitur conjectura ex eo sit, quòd in veteri Testamento nullibi fiat exceptio legum probabilium: inculcatur passim obligatio totius legis: nusquàm excipitur ab obligatione lex probabilis, quæ profectò alicubi excipienda erat, si non obligaret: ergo credenda est & ipsa obligare, vel ex hoc uno, quòd ab obligatione nullibi excipitur. Confirmatur 1. Quia sine ullo dubio prævideratt Deus sagacissimus Legislator futurum, ut pleræque leges suæ obscurarentur, & decursu longi temporis, non jam certò & evidenter apparerent, sed duntaxat probabiliter: leges autem ejusmodi si noluit obligare in statu suæ probabilitatis, easdem clarè & distinctè excipere debuit ab obligatione, ne Fideles suos pateretur irretiri imaginario vinculo quod ipse non strinxisset: nusquàm tamen excepisse legitur: ergo præsumendus est legibus suis probabilibus totam vim

obligandi reliquisse; excepturus haud dubiè; pro sua sapientia, si non reliquisset. Confirmatur 2. Quia viri sancti, Patriarchæ & Prophetæ, divinæ legis interpretes qui toti fuerunt in lege Domini meditanda & interpretanda, exceptionis tamen legum probabilium nullam omninò mentionem fecerunt; facturi profectò & ipsi aliquam, si vel in Scriptura, vel in Traditione factam invenissent. Confirmatur 3. Quia nullus de populo fideli veteris Testamenti reperitur excusasse se ab observatione legis, eo solo pretextu quòd esset lex duntaxat probabilis; plerique tamen ita se excusassent, si legitimam excusationem esse credidissent. Confirmatur 4. Quia nulli, quod sciamus, legis veteris prævaricatori venit unquàm in mentem opponere, pro defensione sua probabilitatem libertatis: opposuissent autem plerique pro defensione suæ prævaricationis, si fortè reputassent, factam fuisse exceptionem legis probabilis: sed ideò non opposuerunt; quia suo tempore nondùm audita fuerat talis exceptio: quare ex alto illo silentio veteris Testamenti, de exceptione legum probabilium; valida ducitur conjectura pro legum probabilium obligatione, in statu etiam suæ probabilitatis perseverante.

Silentium illud militat pro obligatione.

Objicies 1. Conjectura nostra videtur nimis probare: probaret enim esse obligationem legis etiam ignoratæ: nihil enim habetur in veteri Testamento, quo lex ignorata ab obligatione excipiatur: quin imò multa notantur in veteri Testamento peccata ignorantiæ: nulla autem notantur peccata probabilitatis; notanda tamen & ipsa, non minùs quàm peccata ignorantiæ, si probabilitas à peccato non excusaret; cùm lex probabilis non minùs frequenter violaretur ex probabilitate libertatis, quàm ex ignorantia violaretur lex ignorata. Ecce quàm futilis sit, quæ valida dicebatur conjectura; & quàm validè torqueri possit contra obligationem legis probabilis illud ipsum veteris Testamenti silentium quo talem obligationem statuere conati sumus. Respondeo. Stat adhuc conjectura nostra cum toto robore suo, non obstante qualicumque illa objectione: quod ut clarè appareat: distinguenda est duplex species ignorantiæ legis; una vincibilis & culpabilis; alia invincibilis & inculpabilis. Ignorantia quidem invincibilis & inculpabilis transgressorem legis ignoratæ à peccato excusat, ut videtur patere ipso naturæ lumine: nam quis æquus rerum æstimator damnare possit, aut reprehendere hominem, quòd fortè legem non servaverit, quam nec scire potuit, nec debuit? sed probabilitas legis, cum probabilitate libertatis concurrens non se habet ut ignorantia legis invincibilis & inculpabilis: lex enim eo ipso satis sciri intelligitur, quòd habetur probabilis ejus existentia; quare meritò reprehendi potest qui legem probabilem cum libertate probabili concurrentem transgreditur, & transgrediendo subit periculum probabile violandi veram aliquam legem: talis enim seu transgressio, seu periclitatio voluntaria transgressionis videtur manifestè reprehensibilis. Longè ergo meliùs assimilaretur probabilitas legis ignorantiæ legis vincibili & culpabili, quæ ignorantia non excusat à peccato transgressionem legis vincibiliter & culpabiliter ignoratæ: nam sicut transgressor legis vincibiliter & culpabiliter ignoratæ intelligitur reus esse violatæ legis quia ex ignorantia vincibili & culpabili

Ignorantia invincibilis legis excusat à peccato. Non vero probabilitas libertatis.

transgreditur legem, quam scire potuit & debuit: ita qui transgreditur legem probabilem, ut sequatur probabilem libertatem cum lege probabili concurrentem, intelligitur reus esse violatæ legis probabilis; quia voluntariè & culpabiliter subit periculum probabile violandi veram aliquam legem, cujus vel umbram ipsam, ne dicam probabilitatem magnam, revereri potuit, & debuit. Quod verò additur, notari in veteri Testamento peccata ignorantiæ; nusquàm verò notari peccata probabilitatis; agnosco ita esse: sed hoc discrimen, qualecumque sit, non favet licentiæ sequendi libertatem probabilem cum lege æquè probabili concurrentem. Ratio discriminis hæc est. Notabantur scilicèt in veteri Testamento peccata ignorantiæ; quia plerique peccatores ad excusandum se, prætendere solebant ignorantiam legis: cujus excusationis vanitatem ut ostenderent viri sancti Patriarchæ & Prophetæ, inculcabant ipsam ignorantiam quæ prætendebatur, voluntariam esse & culpabilem, quippe quæ veniret ex negligentia inquirendi: esse nimirùm veram obligationem inquirendi de lege, cujus inquisitio si negligeretur, eo ipso peccari. Inculcabant item, ex eadem ipsa ignorantia culpabili necessariò fieri, ut transgressio legis culpabiliter ignoratæ sit imputabilis transgressoribus: atque hinc esse, cur in lege distinctè notarentur peccata ignorantiæ, & pro iisdem expiandis sacrificia præscriberentur. Sed in veteri Testamento non leguntur notata pariter peccata probabilitatis; quia non erat ratio, cur notarentur: peccabatur quidem in Testamento veteri, in sequenda probabilitate libertatis, contra probabilitatem legis; nec mirum; cum peccaretur etiam contra legem certam & evidentem: sed planè mirum est, quòd peccantes contra legem probabilem, non excusarent peccatum suum ex probabilitate libertatis. Ratio verò cur se ita non excusarent, alia esse non potest, nisi quia legem probabilem habebant omnes pro lege obligante: audiebant passim commendari graviter observationem totius legis: nusquàm audiebant fieri exceptionem legis probabilis: sciebant omnes ipsam probabilitatem legis, esse propositionem aliquam legis sufficientem, ac proindè quamcumque legem, ex quo non minùs apparet probabilis quàm libertas, verè obligare; nec dubitabant, in pari causa legis & libertatis, quin esset lex probabilis necessariò præferenda libertati probabili. Hæc est vera & sola ratio, cur legum probabilium transgressores prævaricationem suam non excusarent ex probabilitate libertatis; excusaturi sine dubio, si legum probabilium exceptionem alicubi factam invenissent.

Notantur in veteri Testamento peccata ignorantiæ, non vero peccata probabilitatis. Et cur?

Instabis. Satis incredibile est non fuisse factam antiquis temporibus exceptionem, quam nostrâ ætate fieri videmus: nihil enim sub sole novum, ut ait sapiens; nam quid est quod faciendum est nisi quod factum est? fiebat igitur in veteri Testamento exceptio legum probabilium, ut ferè fit in Novo: nusquàm tamen legitur in veteri Testamento talis exceptio reprehensa: ergo neque in Novo videtur esse reprehendenda. Respondeo. Incredibile non est quod passim contingit: contingit autem quotidie, ut innovationes fiant, & emergant hæreses quæ ab initio non fuerunt: nihil ergo habet incredibile, quòd hodie fiat exceptio legum probabilium, quæ facta olim non fuit; præsertim contradicentibus, & contra novam exceptionem

ceptionem reclamantibus, veris amatoribus antiquitatis. Stet igitur, in Testamento veteri leges probabiles non fuisse ab obligatione exceptas, sed habuisse veram vim obligandi, etiam in concursu libertatis æquè probabilis.

Instabis iterum. Fundamentum conjecturæ nostræ solidum non est, sed planè imaginarium: gratis enim & falsò supponimus, leges probabiles, cum libertate probabili concurrentes, non fuisse exceptas ab obligatione, à qua tamen fuere exceptæ, ut facilè demonstrari potest: nam fuit excepta quæcumque lex invincibiliter & inculpabiliter ignorata, ut nos ipsi fatemur: lex autem probabilis, cum libertate æquè probabili concurrens, lex est aliqua invincibiliter & inculpabiliter ignorata: ignoratur enim lex, eo ipso quòd nescitur an sit: atqui lex probabilis, concurrens cum libertate æquè probabili, nescitur an sit, idque invincibiliter & inculpabiliter, post adhibitam sufficientem inquisitionem: supponimus enim, quæcumque fiat, aut facta sit inquisitio, non magis apparere existentiam legis, quàm non existentiam. Respondeo, quod jam supra non semel responsum fuit. Legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem, non ignorari simpliciter, sed satis sciri in ordine ad obligandum: quia probabilitas legis facit magnam quandam apparentiam, & vehementem existentiæ legis suspicionem, eamque talem ac tantam, ut nec deponi, nec contemni prudenter possit: vehemens enim illa existentiæ legis suspicio, ut prudenter deponeretur, aut contemneretur, deberet elevari per apparentiam non existentiæ legis contraponderantem: atqui elevari non potest per contraponderantem non existentiæ legis apparentiam. Ratio in promptu est. Quia ut una apparentia alteram elevet, debet esse alteri præponderans: apparentia autem non existentiæ legis præponderans non est, sed ad summum æquiponderans apparentiæ legis: ergo apparentia non existentiæ legis elevare non potest apparentiam existentiæ legis; ac proinde nec facere, ut prudenter deponatur, aut contemnatur vehemens illa suspicio existentiæ legis, quam facit legis probabilitas, æqualis probabilitati libertatis; quâ tamen suspicione perseverante, contra legem operari non licet.

Lex probabilis non ignoratur invincibiliter.

Non potest prudenter contemni suspicio existentiæ legis probabilis.

Instabis 3. In æquali probabilitate legis & libertatis, non magis scitur lex, quàm libertas a lege: ergo si libertas à lege non satis sciatur, ut sit licentia operandi secundùm libertatem; non satis quoque scitur lex ut fiat obligatio operandi secundùm legem: in æquali enim utriusque seu apparentia, seu ignorantia, non est cur uni magis faveatur, quàm alteri; & si fortè alterutri favendum est, videtur favendum magis libertati quàm legi; quia, ut vulgò dicitur, favores ampliandi sunt, odia restringenda. Respondeo. Distinguo Antecedens. In æquali probabilitate legis & libertatis, non magis scitur lex, quàm libertas à lege; speculativè; Concedo: practicè; Nego. Explicatur Distinctio. In æquali probabilitate legis & libertatis, non magis quidem scitur lex, quàm libertas à lege, in ordine ad judicandam unam præ altera; quia non magis apparet una, quàm altera; ac proindè non magis judicari potest existentia unius, quàm alterius; & hoc est non magis sciri unam, quàm alteram speculativè:

In ordine ad judicandum non magis scitur lex quàm libertas.

In ordine vero ad operandum lex magis ſcitur quam libertas.

ſed magis ſcitur lex, quàm libertas practicè, ſeu in ordine ad operandum: quia ex quo lex eſt æquè probabilis ac libertas, jam intelligitur eſſe obligatio operandi ſecundùm legem, & non eſſe licentia operandi ſecundùm libertatem. Ratio ulterior eſt. Quia in æquali probabilitate legis & libertatis, fit neceſſariò vehemens ſuſpicio exiſtentiæ legis, & quidem talis ac tanta, ut nec deponi poſſit, nec prudenter contemni. Undè ſequitur, eſſe obligationem non operandi contra legem probabilem, &, quod eſt conſequens, non eſſe licentiam operandi ſecundùm probabilem libertatem, cum lege æquè probabili concurrentem.

Neque tamen hinc ſequitur eſſe obligationem operandi ſecũdum legem minus probabilem.

Inſtabis 4. Si valeret ratiocinatio noſtra, eſſet pariter obligatio operandi ſecundùm legem minùs probabilem, etiam in concurſu libertatis probabilioris: Conſequens videtur nimis durum: ſequela verò probatur: quia ex probabilitate legis, etiam minore, fit gravis aliqua ſuſpicio exiſtentiæ legis, & quidem ſuſpicio non contemnenda viro prudenti. Reſpondeo. Nego ſequelam & paritatem. Diſparitas eſt. Quia quantacumque fiat ſuſpicio exiſtentiæ legis ex minore legis probabilitate, deponi facilè poteſt, aut prudenter contemni ex majore probabilitate libertatis: ex quo autem deponi poteſt, aut prudenter contemni, quæcumque ſuboritur ſuſpicio exiſtentiæ legis, poteſt haberi licentia operandi ſecundùm libertatem: ſed ea tamen licentia non haberetur, ſi fortè, quod fieri poteſt, ſuſpicio exiſtentiæ legis retineretur, aut non actu contemneretur; requiritur enim contemptus actualis, nec ſufficit poteſtas contemnendi. At verò vehemens exiſtentiæ legis ſuſpicio quam movet legis probabilitas æquiponderans probabilitati libertatis, nec deponi poteſt, nec prudenter contemni ex æquali probabilitate libertatis; quia probabilitas libertatis non præponderat probabilitati legis: quare rationabiliter creditur fuiſſe exceptam ab obligatione legem minùs probabilem, in concurſu libertatis probabilioris; quæ exceptio diſtinctiùs explicabitur, & ſolidiùs infra ſuo loco ſtatuetur: ſed non ita credi poteſt fuiſſe exceptam legem probabilem in concurſu libertatis æquè probabilis: nullibi enim exſtat veſtigium talis exceptionis.

Inſtabis 5. Ex quo libertas à lege fit æquè probabilis ac lex, poteſt intellectus determinari prudenter in partem libertatis, non minùs quàm in partem legis, ſeu poteſt judicari prudenter libertas à lege, non minùs quàm exiſtentia legis: ex quo autem judicabitur prudenter libertas à lege, deponetur omninò, aut prudenter contemnetur, quæcumque ſuſpicio exiſtentiæ legis, atque ita facilè exſufflabitur tota obligatio legis probabilis. Reſpondeo 1. In concurſu legis probabilis cum libertate æquè probabili, non apparet, quo tandem modo determinari poſſit intellectus ad partem libertatis judicandam: neque enim determinari poteſt per evidentiam objecti; cùm nulla ſit evidentia libertatis, ſed mera probabilitas: determinari item non poteſt, per ſpem rationabilem veritatis aſſequendæ, per judicium libertatis; quia ſcilicet quantùm allicit ad libertatem judicandam rationabilis ſpes aſſequendæ veritatis, tantùm retrahit à judicando rationabilis timor impingendi in falſitatem; tam enim probabile eſt, eſſe legem, quàm non eſſe: hæſitabit igitur neceſſariò intellectus inter

Intellectus non poteſt bene ſe determinare in favorem libertatis æquè probabilis.

utramque partem suspensus, & neutram judicabit: in tali autem hæsitantis intellectûs suspensione, certum est, non licere operari secundùm libertatem; & si qua fortè urgeat necessitas determinandi se ad operandum, determinatio fieri debet secundùm legem. Sed neque potest intellectus per imperium voluntatis moveri, ad judicandam libertatem, potiùs quàm legem; tale enim voluntatis imperium foret essentialiter irrationabile & imprudens; quia imperaret prælationem aliquam irrationabilem & imprudentem: est enim, in pari causa legis & libertatis, prælatio libertatis essentialiter imprudens & irrationabilis; cùm ex reverentia Deo Legislatori debita nimis pateat, debere in causa pari legem divinam præferri libertati humanæ. Respondeo 2. Etsi fortè determinatio intellectus fieret in favorem libertatis, ex hoc tamen non continuò liceret secundùm libertatem operari; quia cum tali determinatione staret adhuc necessariò vehemens suspicio existentiæ legis, quâ suspicione stante fieri non posset licentia operandi contra legem, nec desineret apparere periculum probabile violandæ legis, quod periculum subire non licet.

Etsi determinaret se non tamen liceret operari secundum libertatem.

Instabis 6. Si potest prudenter judicari non esse lex, potest quoque deponi, aut prudenter contemni suspicio existentiæ legis: atqui ubi libertas non est minùs probabilis quàm lex, potest prudenter judicari non esse lex: rationes enim probabiles quæ favent libertati, non minùs possunt fundare judicium prudens libertatis, quàm possint rationes probabiles faventes legi fundare judicium prudens existentiæ legis: ergo ex judicio prudenti libertatis deponi potest, aut prudenter contemni quæcumque suspicio existentiæ legis. Respondeo. Utramque Præmissam falsam esse. Nego igitur Majorem Syllogismi Propositionem: quia rationes probabiles quæ stant pro lege satis valent ad fovendam & sustentandam suspicionem vehementem de existentia legis, non obstante judicio prudenti de legis non existentia: judicium enim illud prudens de non existentia legis, ut destruere non potest probabilem legis apparentiam, ita nec potest vehementem existentiæ legis suspicionem elevare. Poterit igitur cum judicio prudenti libertatis remanere vehemens suspicio existentiæ legis: tali autem suspicione remanente, non erit licentia operandi secundùm libertatem. Nego item Minorem Propositionem. Ratio negandi est. Quia rationes probabiles, quæ stant contra legem, non sunt simpliciter & absolutè probabiles in concursu rationum æquè gravium quæ stant pro lege: ergo ineptæ sunt ad fundandum judicium prudens de non existentia legis, futuræ aptæ ad fundandum tale judicium, si fortè non concurrent cum rationibus æquè gravibus, existentiam legis suadentibus. Nimirùm idem ferè usu venit in foro interno, & privato, ut ita dicam, tribunali sapientis, quod evenire solet in foro externo & publico; ubi quando est æqualitas suffragiorum, hinc indè æquiponderantium, jus non dicitur, sed judicium suspenditur: ergo sicut in foro externo & publico duo aut tria Judicum suffragia, quæ Titio favent, non sufficiunt, ad causam Titio adjudicandam, in concursu duorum aut trium suffragiorum faventium Sempronio, quamvis tamen eadem sufficerent ad causam Titio

Quia non potest prudenter contemni suspicio existentiæ legis.

adjudicandam, si fortè non concurrerent, cum æqualibus suffragiis Sempronio faventibus; ita rationes graves libertati faventes contra legem non sufficiunt, ad judicandam libertatem in concursu rationum ęqualium faventium legi; quamvis fortè sufficerent eædem extra concursum cum rationibus æquè gravibus legi suffragantibus.

2. Conjectura ducitur ex modo quo præcipitur universæ legis observatio.

Altera conjectura duci potest ex modo, quo præcipitur in Testamento veteri universæ legis observatio: Psal.118. *Mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Quo Textu, ut vides, fit clara & expressa mentio mandati alicujus reflexi: *Mandasti:* per mandatum autem illud reflexum, *Mandasti, mandata tua custodiri*; eaque custodia debet esse accurata ad excessum usque & scrupulum: *Mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Quod mandatum reflexum invenerat Propheta Rex graviter expressum & inculcatum Deuteron. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus est: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: scribe verba hæc, quæ Ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere; dormiens, atque consurgens; & ligabis ea in manu tua; eruntque & movebuntur inter oculos tuos; scribesque ea in limine, & in ostiis domûs tuæ.* Hæc sunt verba, quibus Moyses minister Domini, post tabulas fœderis restitutas, populo duræ cervicis inculcabat diligentiam in lege Domini inquirenda, attentionem in meditanda, fidelitatem in exequenda: quæ verba cùm relegeret Propheta Rex, stupefactus & tremens meritò pronuntiabat. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Atqui si mandavit Dominus, custodiri nimis mandata sua, ex tali mandato reflexo videtur posse conjici vehementer, ne dicam demonstrari, mandasse eundem Dominum, custodiri mandata sua probabilia, etiam in concursu libertatis æquè probabilis: nam si fortè non mandavit Dominus, custodiri mandata sua probabilia, jam non mandavit, ea custodiri satis, pro ipsorum merito & dignitate; quippe qui non mandavit, ea præferri libertati, cui tamen præferri merentur in pari causa. Confirmatur 1. Si Deus licentiam fecit sequendi libertatem probabilem, in concursu mandatorum æquè probabilium, jam licentiam fecit subeundi periculum probabile transgrediendi vera aliqua mandata sua: ergo non mandavit, mandata sua custodiri nimis: neque enim dici potest custodiri nimis, cujus violandi probabile periculum subitur. Confirmatur 2. Si Rex fortè mandaret Gubernatori arcis, ut arcem sibi creditam custodiret nimis: ex hoc Regis mandato intelligeretur Gubernator obligatus, non exponere arcem sibi creditam probabili periculo expugnationis: ergo ex quo Deus homini mandavit, ut divinam legem suam custodiat nimis, tenetur homo divino illo mandato non exponere legem divinam probabili periculo transgressionis. Confirmatur 3. Si providus pater moriens tutorem testamento reliquerit dilecto filio suo, eundemque paternâ authoritate obligaverit, ad voluntatem tutoris sequendam, in administratione bonorum suorum; tenebitur eo patris mandato filius pupillus, tutoris voluntatem etiam probabilem sequi, ne si fortè non sequatur, exponat se probabili periculo dilapidandi bona sua, contra expressam voluntatem patris;

Mandata Dei nimis custodienda.

Mandata Dei præferri debent libertati in pari causa.

Non custoditur nimis cujus violandi probabile periculum subitur.

ergo cùm Deus homini legem ſuam divinam, in vitæ regimine, tutoris loco eſſe voluerit, tenetur homo ſequi probabilem legis voluntatem, ne ſi fortè non ſequatur, exponat ſe probabili periculo vitæ ſuæ malè regendæ. Confirmatur 4. Si juniori puellæ ſuæ mandaverit Matrona ſapiens diligentem cuſtodiam virginitatis: Matronæ mandato tenetur puella, non ſubire probabile periculum deflorationis; nec cauta ſatis futura, nec fortè ſatis caſta, ſi tale periculum ſubierit: ergo cùm ſapiens Dei providentia, quæ mater eſt optima, mandaverit animæ fideli, gratiam & innocentiam cuſtodire nimis; tenetur anima fidelis eo mandato, non exponere ſe probabili periculo gratiæ & innocentiæ ſuæ perdendæ; gratiam & innocentiam non modò non cuſtoditura nimis, ſed ne ſatis quidem, ſi tali periculo expoſuerit. Confirmatur 5. Si præceperit Medicus ægroto ſuo, ut curet diligenter valetudinem ſuam; tenetur ægrotus præcepto Medici, venenum omne non modò certum, ſed etiam probabile reſpuere; non curaturus ſatis valetudinem ſuam, aut præcepto Medici ſatisfacturus, ſi non reſpuat: ergo cùm Deus homini infirmo præceperit, ut ſpiritualem animæ ſuæ ſalutem diligenter curet; tenetur homo infirmus ita curare, ut peccatum quodcumque, non ſolùm certum & evidens, ſed etiam incertum & probabile omninò fugiat; ſpirituali ſaluti ſuæ non ſatis conſulturus, ſi non fugiat. Ratio nimirùm iſtarum omnium Conſequentiarum generalis hæc eſt. Quia non cuſtoditur nimis, imò nec ſatis cuſtoditur, quodcumque probabili jacturæ periculo ultro & gratis exponitur: atqui quoties indulgetur libertati probabili, in concurſu mandatorum æquè probabilium, ſubitur toties periculum probabile tranſgrediendi vera aliqua Dei mandata: ergo toties non cuſtodiuntur nimis, imò nec ſatis cuſtodiuntur mandata Dei, quæ tamen Dominus mandavit cuſtodiri nimis, juxta Davidicum illud teſtimonium: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

Objicies 1. Mandatum illud reflexum à Davide commemoratum, quo mandavit Deus, mandata ſua cuſtodiri nimis, reſpicit propriè ſola mandata certa & evidentia, in tabulis lapideis Deo digito exarata, & per Moyſen, tubâ clangente, inter fulgura & tonitrua, univerſo Iſraëli clarè & diſtinctè promulgata; quæ ſola, ne fortè obſcurarentur, aut oblivione præterirentur, præcepit deindè Moyſes aſſiduâ meditatione verſari, inter oculos moveri, in manu ſignari, in limine & oſtiis domûs inſcribi, &c. quam ſcrupuloſam mandatorum cuſtodiam relegens & admirans Propheta Rex, rectè pronuntiavit: *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis:* hoc eſt, ſupra modum & ultra quàm neceſſe foret providiſti, ut in hominum memoria cuſtodiantur: ſed hæc Dei mandantis providentia nullo modo tangere videtur mandata probabilia, quippe quæ talem ac tantam providentiam non merentur. Reſpondeo. Mandatum illud reflexum pertinet quidem propriè ad mandata certa & evidentia, quatenus, multiplici mandato ſuo, abundanter & ſuperabundanter providit Deus, ut memoria illorum perpetuâ & conſtanti traditione ſervaretur: ſed longè ſolicitiùs providiſſe credendus eſt mandatorum executioni quàm memoriæ; cùm memoria mandatorum ad eorundem executionem

Mandatum illud reflexum locum maximè habet in mandatis probabilibus.

referatur: executionem autem mandatorum probabilium, non minùs quàm certorum & evidentium procurare debuit; imò ut videtur aliquantò magis, idque duplici titulo. Ac 1. quidem. Quia mandata certa & evidentia nihil opus habent mandato reflexo, quo commendentur; in ipsa enim sui evidentia patentem obligationem, velut in fronte præ se ferunt. 2. Quia talia sunt, ut non possint custodiri nimis: ex quo enim certò & evidenter apparet suprema Dei mandantis authoritas, uti profectò apparet in mandatis certis & evidentibus, non videtur esse posse respectu illorum obedientia nimia; neque enim potest esse nimia, ubi summa debetur: at verò mandatum reflexum locum habere potest in mandatis probabilibus, in quibus non apparet certò & evidenter suprema Dei mandantis authoritas, sed probabiliter tantùm: quare opus est mandato reflexo, in quo illorum obligatio certò & evidenter appareat. Accedit, quòd facilè concipi potest, quo sensu mandata probabilia dicantur *custodiri nimis*; ratione scilicèt habitâ suæ probabilitatis, quæ nihilò major est probabilitate libertatis: in æquali enim probabilitate libertatis & mandatorum, non habent mandata, præcisè ex sua probabilitate, ut mereantur præferri libertati, sed ei duntaxat coæquari debent: undè si fortè præferantur, fit aliquid supra meritum ipsorum probabilitatis; eademque si, spretâ & relictâ libertate æquæ probabili, custodiantur, verè custodiuntur nimis, habito præcisè respectu ad suam probabilitatem præcisè æqualem probabilitati libertatis: aliundè tamen non custodiuntur nimis, respectu habito ad dignitatem mandantis Dei, quia Deus, ratione excellentiæ suæ, habet in pari causa jus irrefragabile prælationis supra creaturam suam, & meretur, ut mandata sua libertati creaturæ præferantur. Deus igitur ex suprema dignitate sua necessitatur obligare creaturam suam ad obsequendum mandatis divinis probabilibus; & ex reverentia Deo debita tenetur creatura iisdem mandatis probabilibus obsequi, spretâ suâ libertate non minùs probabili; ac proindè tenetur mandata probabilia custodire nimis, seu supra meritum probabilitatis ipsorum. Atque hæc satis, ut intelligas, quàm solidè simul & subtiliter pronuntiavit Propheta Rex. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*.

Neque id est dilatare philacteria, & magnificare fimbrias.

Objicies 2. Mandatum reflexum, de mandatis divinis custodiendis, velle extendere ad mandata etiam probabilia, nihil aliud est, quàm dilatare philacteria sua, & magnificare fimbrias, more Pharisæorum, quos tamen Christus ea de re acriter & apertè reprehendit. Nam quid est dilatare philacteria sua, nisi legem divinam ad ea extendere, ad quæ Deus Legislator non extendit? Quid est, magnificare fimbrias, nisi obligationem legis supra modum ampliare, contra mentem & voluntatem ipsius Legislatoris: ergo Antiprobabilismus noster videtur esse verus Pharisaismus. Respondeo. In Pharisæis quidem reprehendit Christus Dominus, quòd dilatarent philacteria sua, & magnificarent fimbrias, eo solùm animo, ut viderentur accurati observatores legis, quales tamen non erant: dilatabant nimirùm vani homines philacteria sua, & magnificabant fimbrias, quatenus legis mandata in manu, in fronte, in veste, in ostio domûs suæ, grandioribus caracteribus expressa habere affectabant, ad gloriam

hominum de sua religione captandam, in quo vanitas erat meritò reprehendenda, & à Christo reipsa graviter reprehensa: *Omnia*, inquit, *faciunt, ut videantur ab hominibus.* Dilatabant hypocritæ philacteria sua, & magnificabant fimbrias, ut specie disciplinæ severioris, enormia & pudenda peccata sua obtegerent; eoque securiùs legem ipsi violarent, quò rigidiùs & severiùs ab aliis eam exigerent; in quo erat hypocrisis abominanda, quam revelavit Christus ipse, Pharisæos comparans sepulchris dealbatis, *quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Math. 23. Dilatabant denique philacteria sua, & magnificabant fimbrias homines cœci, quatenus in traditionibus suis humanis, quas legi divinæ superinduxerant, religiosi & superstitiosi, vera Dei mandata negligebant; *excolantes culicem, & camelum deglutientes*; in quo erat stultitia quædam cœca, quam Christus non dissimulavit: *Væ vobis duces cœci, qui dicitis: quicumque jurat per Templum, nihil est: qui autem juraverit in auro Templi, debet: stulti & cœci! quid enim majus, aurum, an Templum, quod sanctificat aurum?* Sed non ita se habent Antiprobabilistæ nostri: sicubi enim obligationem legis ad mandata probabilia extendunt, ad extensionem illam faciendam, non vanitate, non hypocrisi, non stultitiâ quâdam pharisaicâ ducuntur: quærunt nimirùm isti gloriam Dei, non suam; facientes ipsimet, quod dicunt esse faciendum; mandata probabilia observantes, quæ aliis observanda præscribunt; nec libidine arbitrariâ onera gravia imponentes, sed quæ fuerunt à Deo imposita prudenter & rationabiliter, pro zelo suo declarantes, juxta Davidicum illud: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Absit igitur à Magnis & sanctis viris, zelum Dei habentibus secundùm scientiam, vana suspicio Pharisaismi, aut injuriosa comparatio cum Pharisæis, Philacteria sua dilatantibus: si quos tamen Antiprobabilistas non zelus gloriæ Dei, sed vel gloriæ propriæ amor, vel alienæ laudis invidentia, vel hypocrisis, vel sententiæ durities, ad sectandum Antiprobabilismum moveret; nihil repugnarem, quin & ipsi accenserentur Pharisæis dilatantibus philacteria sua, & fimbrias suas magnificantibus: nam in illis quidem displiceret animus Pharisaicus, sententia tamen minimè Pharisaica non displiceret.

Objicies 3. Ex Testamento veteri jam abrogato nulla est consequentia ad Testamentum novum, in quo vivimus: siquidem Testamentum vetus, Testamentum fuit rigoris; Testamentum verò novum, Testamentum est amoris; Testamentum vetus servorum fuit; Testamentum autem novum filiorum est, in quo clamamus *Abba Pater*: atqui duriùs agitur cum servis, quàm cum filiis & mitiùs tractantur liberi, quàm servi: ergo quamvis daremus, fuisse in Testamento veteri obligationem mandatorum probabilium, etiam in concursu libertatis æquè probabilis, non continuò sequeretur, superesse eandem obligationem in novo Testamento. Respondeo. Ex veteri quidem Testamento non valet consequentia ad Testamentum novum, quoad omnes leges: pleræque enim leges Testamenti veteris fuerunt per Testamentum novum abrogatæ; quia ut docet Apostolus, *jam non sumus ancillæ filii, sed liberæ; quâ libertate Christus nos liberavit.* Negari tamen non potest, quin pleræque leges utrique Testamento communes sint; cujusmodi

Pleræque leges communes sunt utrique Testamento.

sunt leges omnes naturales, quæ de necessaria Dei voluntate veniunt: talis est autem lex illa reflexa, de mandatis probabilibus accuratè servandis; quam legem ex ipsa majestate Dei mandantis, & profunda humilitate creaturæ servientis subtiliter intellexit Propheta Rex, & intellectam ingenuè declaravit: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Quod verò additur de excellentia Testamenti novi, supra Testamentum vetus, nihil derogat obligationi mandatorum probabilium: agnosco enim, Testamentum novum filiorum esse; quia Deus illud non per Moysem servum suum, sed per Jesum Christum filium suum unigenitum nobis tradidit; & qui multifariam multisque modis loquebatur olim in Prophetis, novissimis temporibus nobis locutus est in filio: verùm ea differentia plùs videtur valere ad aggravandam obligationem mandatorum probabilium in Testamento novo, quàm ad minuendam; quia scilicèt plùs debetur reverentiæ Legislatori filio, quàm servo. Agnosco item, Testamentum novum, esse Testamentum libertatis, quatenus in Testamento novo erepti sumus de potestate tenebrarum, & translati in Regnum filii dilectionis; non jam ancillæ filii, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit, relaxans corticem antiquarum cerimoniarum Mosaicæ legis, ut salutarem legis Evangelicę medullam aperiret; & pro mortuo corpore veteris legis quæ vivificare non poterat, donans nobis vivificantem spiritum gratiæ suæ: sed cum libertate illa Evangelica stare potest, & reipsa stat, obligatio ad viam justitiæ perfectioris & difficilioris, ut declarat ipsemet Christus, nostræ libertatis author, verbis expressis Math. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Et paulò post: *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis; diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, &c.* Ergo nihil derogat libertati Evangelicæ, obligatio sequendi legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem. Agnosco denique, Testamentum novum, Testamentum amoris esse; tum quia plura & insigniora incentiva amoris habentur in Testamento novo, in quo nimirùm & Deus Pater sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, & Deus Filius animam suam pro nobis posuit, & Deus Spiritus sanctus in novos Fideles sese abundè effudit, ut eosdem divino amore inflammaret; tum quia in Testamento novo voluit Deus, Fideles suos moveri magis amore, quàm timore: finis enim legis Evangelicæ est charitas: sed Testamento amoris non modò non repugnat, sed omninò congruit obligatio mandatorum probabilium: nam talis obligationis, si qua fortè durities est, ipso amore mitigabitur, & gratiâ Spiritûs sancti abundantiore lenietur. Verùm ne cui ad excutiendam obligationem fucum faciat, seu libertas, seu suavitas, seu filialis illa adoptio, quæ propria est novi Testamenti, demonstrare speciatim aggredior, in novo Testamento, non minùs quàm in veteri, vigere obligationem sequendæ legis probabilis, cum libertate æquè probabili concurrentis. Sit igitur.

Excellentia novi Testamenti nihil derogat obligationi mandatorũ obligationum.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTATIO QUARTA.

Ex Testamento novo petita pro obligatione sequendi legem probabilem in concursu libertatis æquè probabilis.

OCcurrunt in novo Testamento, ut in Testamento veteri plerique Textus in quibus talis obligatio graviter indicatur: occurrunt item Principia generalia, in quibus virtualiter continetur: occurrunt denique vehementes conjecturæ ex quibus deducitur.

Argumenta petita ex novo Testamento.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Producuntur Textus aliquot Testamenti novi in quibus obligatio graviter indicatur.

PRimus Textus habetur Math. 5. his verbis. *Sit autem sermo vester, Est, Est; Non, Non:* Quo Textu præcipere videtur Christus constantiam, tam in affirmando, quàm in negando: geminatum enim illud Est, Est; constantiam affirmationis significat: illud verò Non, Non repetitum sonat constantiam negationis: ergo, quod est consequens, prohibet idem Christus levitatem & instabilitatem, seu in affirmando, seu in negando: nam ex quo præcipitur homini, constantem esse, præcipitur eidem non esse instabilem; constantia enim instabilitati opponitur. Ratio verò, cur Christus & constantiam præcipiat, & instabilitatem prohibeat, in promptu est. Quia nimirùm constantia, tam in affirmando, quàm in negando, venit ferè de sapientia & amore veritatis, ac proindè digna est viro sapiente & veraci, veritatem amante, amatam quærente, quæsitam inveniente, & inventam firmiter retinente: instabilitas autem insipientis & levis animi est, veritatem aut non sapientis, ac proindè nec invenientis, aut fortè inventam facilè dimittentis; quam insipientiam & levitatem non potuit non damnare Christus, qui sapientia & veritas est. Atqui dogma de licentia sequendi pro arbitrio utramlibet probabilitatem, seu legis, seu libertatis, in æqualitate unius cum altera, favet instabilitati, quam Christus prohibuit; nec satis cohæret cum ea constantia quam Christus Discipulis suis præscripsit: *Sit autem sermo vester Est, Est; Non, Non:* ergo Dogma de Probabilismo æquali videtur à Christo fuisse reprobatum. Minorem Propositionem non est difficile demonstrare. Quia secundùm Dogma de Probabilismo æquali Doctor Probabilista interrogatus an sit

1. *Sit Sermo vester Est, Est; Non, Non.*

Præcipit Christus constantiã tum in affirmando, tum in negando.

Quam constantiam non videntur habere probabilistæ.

obligatio legis, poteſt ex probabilitate legis cum libertate æquè probabili concurrentis reſpondere eſſe obligationem legis: poteſt item ex probabilitate libertatis concurrentis cum lege æquè probabili reſpondere non eſſe obligationem legis: ergo interrogatus an ſit obligatio legis, necne, poteſt per *Eſt* & *Non* reſpondere, prout ei libuerit: nam ſi judicet eſſe legem, poteſt reſpondere; *Eſt obligatio*: ſi autem judicet non eſſe legem, poteſt reſpondere; *Non eſt obligatio*: in qua reſponſione deſideratur, ut vides, conſtantia à Chriſto requiſita. Sed quod mirabilius eſt, poteſt idem interrogatus à duobus an liceat ſequi libertatem cum lege probabili concurrentem, poteſt inquam dicere uni, *licet*; alteri verò, *non licet*: ergo poteſt reſpondere, *Eſt* & *Non eſt licentia*: in quo reſpondendi modo apparet manifeſtè inſtabilitas à Chriſto reprehenſa.

Objicies 1. Textus ille Chriſti Domini: *Sit ſermo veſter Eſt, Eſt; Non, Non*; talem ſenſum non habet, qualem ei affingimus, ſed alium longè diverſum: ergo contra Probabiliſmum æqualem ineptè & infideliter detorquetur: Antecedens patet ex ipſo contextu: ſic enim habet Textus integer: *Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt; Non, Non: Quod autem his abundantius eſt à malo eſt.* Ubi, ut vides, commendat quidem Chriſtus Diſcipulis ſuis ſimplicitatem ſermonis, & ſolam abundantiam, ſeu ſuperfluitatem reprehendit; ſed inconſtantiam & inſtabilitatem planè non tangit; id quod clariùs apparebit ex ipſa Dominici Textûs occaſione, quam hîc totam placet exſcribere. *Iterum*, inquit, *audiſtis, quia dictum eſt antiquis; non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua: Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus; neque per Hyeroſolimam, quia civitas eſt magni Regis: neque per caput tuum juraveris; quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum: ſit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt; Non, Non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Ex qua totius diſcurſûs clauſula clarè intelligitur commendari ſimplicitatem, tam in affirmando quàm in negando; ſolam verò abundantiam, quæ ferè ex juramento ſermoni accedit, reprehendi, ut malam, & à malo venientem: *Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Sic quid hoc ad Probabiliſmum æqualem refutandum, niſi manifeſtus ſententiæ Dominicæ abuſus, & alteratio intolerabilis. Reſpondeo 1. Textus ille Domini, non diffiteor, in ſenſu literali & primario acceptus, eò tendit principaliter & directè, ut commendet ſimplicitatem aſſertionis, & ſuperfluum omne juramentum prohibeat: Ratio autem, cur commendetur aſſertionis ſimplicitas, & ſuperfluum omne juramentum prohibeatur, patet ex ipſo contextu; quia ſcilicèt ſimplex & firma aſſertio ferè ſufficit ad faciendam fidem: ex quo autem ſufficit ad faciendam fidem firma & ſimplex aſſertio, ſuperfluum eſt, quod additur, juramentum, & ipsâ ſuâ ſuperfluitate vitioſum: irreverenter enim & indignè tractatur divina majeſtas, eo ipſo quòd ſacroſanctum illius nomen ſine cauſa, & in vanum aſſumitur. Atque hoc eſt, quod expreſsè definivit Chriſtus dicens: *Sit ſermo veſter Eſt, Eſt; Non, Non: quod autem his abundantius eſt à malo eſt:* Quare Textus ille Domini, ſi præcisè ſpectetur litera, & principalis intentio

Duplex ſenſus iſtius textus.

Litteralis qui commẽdat ſimplicitatem aſſertionis.

Christi, non videtur nobis efficax, ad Probabilismum æqualem refutandum. Respondeo tamen 2. Eodem ipso Textu spiritualiter accepto, & constantiam assertionis commendari, & instabilitatem prohiberi, ut satis indicat geminata illa repetitio, seu affirmationis, seu negationis: sit sermo vester Est, Est; Non, Non. Nec nostra est ea Textûs interpretatio, sed Pauli Apostoli 2. Cor. 1. Ubi Apostolus excusans se Corinthiis, quòd Corinthum non venisset eo tempore, quo se venturum promiserat, omnem levitatis & inconstantiæ suspicionem à se amoliri conatur, in hunc modum. *Volui*, inquit, *priùs venire ad vos, & per vos transire in Macedoniam; & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam: cùm ergo hoc voluissem; numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est, & Non: Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Sylvanum, & Timotheum, non fuit Est, & Non; sed Est in illo fuit: quotquot enim Dei promissiones sunt in illo Est; ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.* Hæc est Apostoli excusatio; pro qua solidè intelligenda & ad materiam nostram aptè applicanda, abs re non erit totam enucleare singillatim, eundo per singula membra quæ continet. 1. igitur. Excusat se Corinthiis Apostolus à levitate, tanquàm à vitio: *Cùm ergo hoc voluissem, nunquid levitate usus sum?* Quasi diceret, nunquid leviter volui venire ad vos, & ex levitate velle desii? 2. Negat se cogitare secundùm carnem, mollem utique, flaccidam & instabilem: *an quæ cogito, secundùm carnem cogito?* 3. Ex cogitatione & sapientia secundùm carnem declarat fieri, ut sit in cogitante Est, & Non: *An quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non.* 4. Interpositâ Dei fide potestatur Corinthiis non fuisse in suo sermone ad ipsos, *Est, & Non: Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit ad vos, non est in illo Est & Non.* 5. Protestatur sequi se Exemplum Christi, quem ipse cum Coadjutoribus suis Sylvano & Timotheo prædicaverat: *Dei enim Filius Jesus Christus, qui per nos prædicatus est, per me, & Sylvanum, & Timotheum, non fuit Est & Non; sed Est in illo fuit.* 6. Addit ad confirmationem quascumque Dei promissiones fundari in illo *Est*, quod in Christo fuit, seu supra immobilem Christi veritatem. 7. Demum concludit per ipsum Christum promissiones divinas fuisse fideliter impletas, aut aliquando implendas, in gloriam Dei simul & nostram: *Et ideò*, inquit, *per ipsum Amen Deo in gloriam nostram.* Ita se Paulus divinè excusabat ab omni suspicione levitatis. Sed non ita excusare se possunt Probabilistæ: nunquid enim alicujus levitatis est præferre legi libertatem nihilò magis probabilem, idque sine ulla rationabili causa? Nunquid cogitare est, & sapere secundùm carnem, decidere instabiliter modò pro lege, modò pro libertate, manente semper eâdem probabilitate utriusque? Nunquid reperitur clamosum illud inconstantiæ symbolum in doctrina Probabilismi, ubi passim auditur *Est*, & *Non*; *licet*, & *non licet*; *teneris lege*, & *non teneris* pro versatili arbitrio Consultorum? An, quod Paulus verè dicebat, non fuisse in suo sermone *Est*, & *Non*; sed *Est* in illo fuisse, possunt & dicere Doctores Probabilistæ; in eadem

Spiritualis qui commendat cōstantiam assertionis, & instabilitatem.

Hujus loci interpretatio per paulum excusantem se ab omni levitate.

A suspicione levitatis non bene se excusant probabilistæ.

omninò causa respondentes uni *licet*; alteri *non licet*, pro gustu consulentium? An possunt iidem contestari, quod Paulus contestabatur, in suo seu prædicandi, seu operandi modo non esse *Est*, & *Non*; sed *Est* constanter in illo esse? Cùm respondere soleant hodie per *Est*, & cras per *Non*? Id verò si non possunt, fateantur necesse est, ex sensu & interpretatione Pauli, doctrinam Probabilismi non satis cohærere cum illo Christi Domini Textu: *Sit autem sermo vester, Est, Est; Non, Non.*

Objicies 2. Levitatis accusari non potest ea doctrina quæ videtur esse undequaque bene fundata, tum ab intrinseco, tum ab extrinseco: talis autem ex doctrina probabilismi æqualis: habet enim pro se Doctores non paucos, eosque magni ponderis: habet item rationes graves sibi suffragantes: ergo levitatis accusari non potest. Respondeo. Quantumcumque fundata videri possit doctrina probabilismi æqualis, necesse est, ut aliquando elevetur & corruat; quia non est fundata supra firmam petram divinæ authoritatis & rationum divinarum, sed supra arenam instabilem authoritatis & rationis humanæ. Habeat pro se Magnos viros, & rationes graves sibi suffragantes: quid hæc omnia ad purgandam notam levitatis, si contra se habeat testimonium Christi divinum, & Apostolicam testimonii divini interpretationem, ut videtur habere? Nonne authoritas & ratio humana, per authoritatem & rationem divinam contraponderantem elevabitur, & fiet tanquàm pulvis ante faciem venti. Nimirùm authoritas & ratio humana inferioris ordinis est: authoritas verò & ratio divina ordinis est superioris; ac proindè in statera justa, debet authoritas & ratio divina authoritati & rationi humanæ præponderare.

Authoritas humana per divinã authoritatem elevatur.

Instabis 1. Quidquid sit de superioritate authoritatis & rationis divinæ, supra humanam, nondùm satis apparet in quo sit levitas probabilismi æqualis. Nam 1. levitas non est in eo quòd judicetur existentia libertatis probabilis, cum lege æquè probabili concurrentis; judicatur enim propter rationes certò graves, ac proindè non leviter sed prudenter. 2. Levitas non est, quòd fiat determinatio ad operandum secundùm libertatem prudenter judicatam, ex rationibus certò gravibus: levitas enim non est operari ex directione judicii certò gravis, ac proindè prudentis. 3. Levitas non est, quòd in probabilismo æquali fiat arbitraria sententiæ mutatio, tum operanti, tum consulenti: cum enim ea mutatio non fiat, nisi ex rationibus certò gravibus, ex levitate non fit: ergo non habet probabilismus æqualis vitium illud levitatis & inconstantiæ, quod fuit tum à Christo Domino, tum à Paulo Christi Apostolo & interprete reprehensum. Respondeo. In probabilismo æquali apparet levitas, eaque non una, sed multiplex. Nam 1. Levitas est in judicio determinante existentiam libertatis probabilis, cum lege æquè probabili concurrentis: tale enim judicium sine ratione fit, & contra rationem: sine ratione quidem; quia in æqualitate rationum, hinc indè æquiponderantium, nihil est, cur libertas legi præferatur: nam rationes libertati faventes æquipondium quidem facere possunt libertatis cum lege, sed fundare prælationem libertatis non possunt: prælatio igitur libertatis

In probabilismo æquali apparet levitas, eaque multiplex.

Levitas in judicio determinante existentiam libertatis.

leviter fit, quia fit sine ulla ratione : fit autem eadem contra rationem ; quia in pari causa legis & libertatis, ratio dictat, legem divinam esse præferendam libertati humanæ, propter jus irrefragabile prælationis, quod Deus habet in pari causa supra creaturam suam. 2. Levitas est in determinatione ad operandum secundùm libertatem, in favorem creaturæ : talis enim determinatio irrationabilis est & imprudens ; quia deberet potiùs determinatio fieri in favorem legis divinæ, & reverentia Deo Legislatori debita. Nec dici potest ea determinatio, facta in favorem libertatis, esse ex directione judicii certò gravis & prudentis, sed potiùs ex directione judicii alicujus certò levis & imprudentis, quo nimirùm libertas legi præfertur sine ulla ratione, & contra rationem, & intelligitur ex supradictis. 3. Levitas est in mutatione sententiæ arbitraria & desultoria, qualem facere solent probabilistæ, defensores, aut sectatores probabilismi æqualis ; tum quia desultoria illa sententiæ mutatio non congruit constantiæ & firmitati, quam Christus Discipulis suis expressè mandavit : *Sit sermo vester, Est, Est ; Non, Non ;* tum quia in tali mutatione intervenit ferè illud *Est* & *Non*, quod levitatis symbolum esse Paulus Apostolus, Christi interpres, declaravit.

Leviter in determinatione ad operandum secundum libertatem.

Levitas in mutatione sententiæ arbitraria, & desultoria.

Instabis 2. Non semper levitas est mutare sententiam : nam si levitas est, possumus & nos accusari levitatis ; quia & ipsi sententiam mutavimus : ergo ex mutatione sententiæ, si qua fortè in probabilismo æquali intervenit, non est cur probabilismus de levitate arguatur. Respondeo. Nego Consequentiam. Potest quidem, non diffiteor, quandoque mutari sententia sine levitate : si nimirùm sententia mutetur ex sincero studio veritatis, priùs latentis, & postmodùm satis apparentis : quo modo ego ipse mutavi sententiam, ad Antiprobabilismum transiens, deserto Probabilismo, quem ut olim à venerabilibus Magistris meis Theologiæ auditor reverenter & bonâ fide acceperam ; ita deinceps, per annos plùs quàm viginti Theologiæ professor Discipulis meis innumerabilibus confidenter tradideram. Nimirùm ubi primùm affulgere mihi dignata est amica veritas, continuò illam, abjectis omnibus præjudiciis, & omni rumore posthabito, toto corde amplexus sum. Est igitur aliqua sententiæ mutatio, quam non facit levitas, sed veritas ; de qua mutatione gloriandum magis est, quam erubescendum. Sed est arbitraria quædam sententiæ mutatio, quam facit levitas, non veritas ; quando scilicèt gratis, & absque rationabili causa prior sententia deseritur, ut nova nihilò melior, aut probabilior adoptetur : talis autem mutatio sententiæ arbitraria, familiaris est in probabilismo æquali : quod ut clariùs appareat, notare placet multiplicem levitatis & inconstantiæ gradum. Spectatâ præcisè æqualitate rationum, hinc indè æquiponderantium, fit quidem status dubii & hæsitationis legem inter & libertatem, in quo statu hæsitationis & dubii fatentur ipsi probabilistæ, quotquot sapiunt, non licere operari contra legem. Sed volunt 1. subtiliores nonnulli Reflexistæ fieri posse, ut per reflexionem supra statum dubii & hæsitationis legem inter & libertatem, tollatur obligatio legis & fiat licentia operandi secundùm libertatem ; quod planè mirabile est, aut, ut meliùs dicam, mirabiliter

Est aliqua sententiæ mutatio quam non facit levitas sed veritas.

Notatur multiplex levitatis, & inconstantiæ gradus.

falſum: cùm enim certum ſit, non licere operari contra legem, in ſtatu dubii & hæſitationis, quis capiat, fieri operandi licentiam homini, ex eo præcisè quòd reflectat ſe in eo ſtatu eſſe, in quo non licet ipſi operari, ſeu quod idem eſt, fieri licentiam operandi, per ipſam conſcientiam non licentiæ. 2. Volunt alii, ſtantibus iiſdem dubii fundamentis, poſſe dubitantem ex imperio voluntatis tollere ſe de ſtatu dubii, & determinare ſe, ſi velit, ad exiſtentiam legis judicandam: ſed præterquam quòd tale imperium voluntatis videtur eſſe, & nimis deſpoticum, nec ſatis rationabile, attentâ præcisè æqualitate rationum, hinc indè æquiponderantium, clarum eſt, in tali determinatione non licere operari contra legem, cujus exiſtentia judicatur; neque enim licet operari contra conſcientiam. 3. Statuunt pariter, poſſe dubitantem, ſi velit, determinare ſe ad judicandam libertatem à lege, ſeu non exiſtentiam legis, ac proindè non minùs poſſe operari ſecundùm libertatem, quàm ſecundùm legem: in quo placito ſuo attendunt ad ſolam æqualitatem rationum æquè probabilium, & æquiponderantium, non attendentes ad inæqualitatem concurrentium; Dei ſcilicèt & hominis, legis divinæ & libertatis humanæ; ad quam inæqualitatem ſi attenderent, invenirent titulum evidentem prælationis, pro Deo, & lege divina: nam etſi non debeatur legi prælatio ſupra libertatem, ex ſola præcisè legis probabilitate, quæ nihilò major eſt probabilitate libertatis, debetur tamen ſupremæ dignitati Dei Legiſlatoris, quæ ſuprema dignitas poſtulat, ut Deus homini, & lex divina libertati humanæ præferatur. Expoſui capitalia placita probabiliſmi æqualis, ex quibus placitis bene penetratis intelligi poteſt, quantæ inconſtantiæ & inſtabilitati obnoxii ſint probabiliſtæ, & ſequaces ſuos obnoxios faciant: hinc enim eſt, quod paſſim & prout lubet, libertatem legi præferant, ſine ulla ratione præferendi: hinc eſt, quòd leviter & deſultoriè ſententiam mutent, causâ prorſus immutatâ; nunc legi faventes nunc libertati: hinc eſt, quòd à diverſis conſulti ſuper una eademque re diverſimodè reſpondeant; licentiam facientes uni, negantes alteri: hinc deniquè eſt, quòd perpetuò in ore & in uſu habeant, *Eſt* & *Non*; ſymbolum illud levitatis ab Apoſtolo reprobatum audacter circumferentes; iidemque gravitatis & conſtantiæ vexillum, à Chriſto erectum, *Eſt, Eſt*; *Non, Non*, à ſermone ſuo abjicientes.

Non favet probabiliſmo doctrina divi Thomæ.

Inſtabis 3. Non eſt præſumendus S. Thomas favere levitati, quam Chriſtus reprehendit: docet tamen S. Doctor, in concurſu duarum partium æquè probabilium, poſſe fieri determinationem ad utramlibet, pro guſtu & imperio voluntatis: ergo ex ſenſu S. Thomæ, in æquali probabilitate legis & libertatis, poteſt voluntas determinare intellectum ad utramlibet, ſeu legem, ſeu libertatem. Habetur deciſio S. Doctoris Quæſt. 14. De veritate Art. 2. quem locum nos ipſi citavimus in favorem probabiliſmi æqualis. Reſpondeo. Deciſionem S. Thomæ agnoſco & veneror, uti debeo: credideram quidem olim. S. Doctorem probabiliſmo favere; ſed meliùs hodie conſultus, favere non credo; quæ tamen ſententiæ mutatio, non eſt in me mutatio quædam arbitraria, qualem in probabiliſmo reprehendo, quippe quæ venit, non de vitio levitatis,

ſed de novo lumine, & conſtanti amore veritatis. Exponit quidem S. Thomas Art. citato, quæ ſit, & undè veniat diſpoſitio dubitantis. *Intellectus*, inquit, *quandoque non magis inclinatur ad unum, quàm ad aliud; vel propter defectum moventium; ſicut in illis problematibus, quorum rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; & iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Sed non decidit S. Doctor, ex tali diſpoſitione dubitantis, fieri licentiam determinandi ſe ad partem utramlibet, ſeu legis, ſeu libertatis, cùm lege concurrentis; de quo concurſu omninò tacet. Agnoſcit tamen, ne quid diſſimulem eâdem Quęſtione & eodem Articulo S. Thomas, intellectum quandoque dubitantem, ex æqualitate rationum hinc indè æquiponderantium, determinari quandoque per voluntatem eligentem, aſſentiri uni parti determinatè, potiùs quàm alteri. Verba S. Doctoris ſunt hæc. *Quandoque*, inquit, *intellectus non poteſt determinari ad alteram partem contradictionis; neque ſtatim per ipſas definitiones terminorum, ſicut in principiis; neque etiam virtute principiorum, ſicut in concluſionibus demonſtravimus: determinatur autem per voluntatem, quæ eligit aſſentiri uni parti determinatè & præcisè propter aliquid quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum; ut pote quòd videtur conveniens, huic parti aſſentiri.* Ex quo Principio Angelici Doctoris inferebam olim, & quidem ut mihi videbar rationabiliter, in æquali probabilitate legis & libertatis, poſſe intellectum per voluntatem determinari ad utramlibet; in qua tamen illatione mea hodie agnoſco peccaſſe me multipliciter. Peccavi enim 1. Ampliatione doctrinæ, quatenus doctrinam S. Thomæ, quæ generalis non erat, pro generali accipiens, ad ea præſumpſi extendere, ad quæ S. Thomas non extendit: doctrina enim S. Thomæ, circa determinationem intellectûs, generalis non eſt, ſed particularis, ut patet ex termino *quandoque*, quo utitur S. Doctor, termino utique particulari, non generali. Peccavi 2. variatione hypotheſis: conſtitui enim hypotheſim æqualis probabilitatis duarum partium oppoſitarum, quam hypotheſim non videtur conſtituiſſe S. Thomas; id quod demonſtrant duo exemplo, quæ affert in diſpoſitione credentis: unum eſt *cùm aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur conducens, vel utile:* nam ut dictis humanis credatur, neceſſe non eſt, ut concurrat æqualis probabilitas veritatis cum æquali probabilitate falſitatis: vix enim videri poteſt utile, aut conducens, credere dictis humanis, quæ non minus apparent falſa quàm vera. Alterum eſt: cùm creditur dictis divinis; ut fit cum movemur ad credendum dictis divinis, *in quantùm nobis repromittitur, ſi crediderimus, præmium vitæ æternæ: ex hoc enim movetur voluntas ad aſſenſum exhibendum iis, quæ dicuntur, quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum:* nam dicta illa divina, quorum fidei repromittitur præmium vitæ æternę, credibiliora eſſe debent, quàm oppoſita; debent enim habere evidentiam prudentis credibilitatis, ſine qua credibilitatis evidentia, illorum fides nec ſatis firma eſſe poteſt, nec ſatis prudens: quare hypotheſis, in qua S. Thomas docet, poſſe intellectum determinari per voluntatem, videtur eſſe potiùs hypotheſis majoris probabilitatis, aut

Explicatur doctrina Doctoris Angelici. Docentis in concurſu duarū partium æquè probabiliū poſſe fieri determinationem ad utramlibet pro imperio voluntatis.

Multipliciter peccari poteſt.

1. Ampliatione doctrinæ.

2. Variatione hypotheſis.

3 Confusione determinationis physicæ & moralis.

majoris verisimilitudinis, quàm hypothesis probabilitatis æqualis. 3. Denique. Peccavi confusione determinationis physicæ & moralis: fortè enim locutus est S. Thomas, de potestate physica voluntatis in ordine ad determinandum intellectum, quam in partem libuerit; sed non est locutus de potestate morali in ordine ad intellectum prudenter determinandum, de qua tamen sola determinatione prudenti quæstio est: nam esto, physicè possit voluntas flectere intellectum ad partem utramlibet; prudenter tamen non possit.

Instabis 4. Potest voluntas prudenter determinare intellectum, ubicumque non deest bonum sufficiens & idoneum ad voluntatem prudenter movendam: in æquali autem probabilitate legis & libertatis adesse potest bonum sufficiens & idoneum, quo prudenter moveatur voluntas, in quam partem ei libuerit: ergo in æquali probalitate legis & libertatis potest voluntas prudenter determinare intellectum in quam partem libuerit, seu legis, seu libertatis. Respondeo. Ubi lex probabilis concurrit cum libertate æquè probabili, non deest voluntati bonum sufficiens, quo moveatur ad flectendum intellectum in partem legis; quia conveniens & honestum est moveri voluntatem amore servandæ legis, & reverentię Deo Legislatori debitæ, per humile obsequium præstandæ: sed in tali concursu non est bonum sufficiens, quo moveatur prudenter voluntas, ad flectendum intellectum in partem. Non deest quidem, fateor, bonum sufficiens, quo voluntas physicè moveatur, ad intellectum in partem voluntatis determinandum; sed bonum sufficiens, quo prudenter moveatur ad imperandam talem determinationem, semper & necessariò deest. Ratio à priori est. Quia non potest prudenter voluntas imperare determinationem essentialiter imprudentem; determinatio autem ad judicandam partem libertatis, cum lege æquè probabili concurrentis est essentialiter imprudens, quippe quæ fit contra immobilem veritatis & prudentiæ legem, quâ prohibetur judicari verum esse, quod non magis apparet verùm quàm falsum: atqui pars libertatis, cum lege ęquè probabili concurrens, non magis apparet vera, quàm falsa: ergo in tali concursu prohibetur judicium in favorem libertatis, & quod est consequens, prohibetur operatio secundùm libertatem: neque enim licet operari secundùm libertatem, nisi judicetur esse libertas, quę in tali concursu prudenter judicari non potest; quia non magis apparet vera, quam falsa.

Determinatio ad judicandam partem libertatis cũ lege æquè probabili concurrentis est essentialiter imprudens.

Instabis 5. Ergo ne ipsa quidem lex probabilis judicari poterit prudenter, in concursu libertatis æquè probabilis, cùm & ipsa lex non magis appareat vera quàm falsa: atqui si judicari non potest prudenter lex probabilis, jam non licebit operari secundùm legem probabilem: neque enim licet operari secundùm legem, nisi prudenter judicetur esse lex: quemadmodùm non licet operari secundùm libertatem, nisi judicetur esse libertas. Respondeo 1. In concursu libertatis æquè probabilis judicari non potest existentia legis probabilis; quia in tali concursu judicium existentiæ legis foret essentialiter imprudens & contra legem veritatis & prudentię immobilem, quâ prohibetur judicari verum esse,

quodcumque

quodcumque non apparet magis verum, quàm falſum. Reſpondeo 2. Poteſt tamen nihilominùs prudenter judicari honeſtas ſervandæ legis probabilis, cum libertate æquè probabili concurrentis; quia in dubio de exiſtentia, aut non exiſtentia legis, certò honeſtum eſt legem ſervare ex amore legis & reverentia Dei Legiſlatoris in quo, ut vides, magnum diſcrimen eſt legem inter & libertatem: nam ex quo prudenter judicari non poteſt eſſe libertas, jam non licet operari ſecundùm libertatem; quia operando ſecundùm libertatem, ſubiretur imprudenter periculum probabile violandi veram aliquam legem: at verò etiamſi non poſſit prudenter judicari lex, honeſtum tamen eſt, ſervare legem probabilem, perindè ac ſi judicaretur eſſe lex; quia nimirùm in tali legis obſervatione, non modò non ſubitur periculum probabile violandi veram aliquam legem, ſed cautè potiùs & religioſè vitatur.

Alter Textus novi Teſtamenti habetur ex Paulo Apoſtolo Rom. 14. *Omne*, inquit, *quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ex quo Textu contra Probabiliſmum æqualem ſic argumentor. In Probabiliſmo æquali duo ſunt capitalia dogmata ita inter ſe connexa, ut unum ab altero pendeat. Primum. Quo negatur eſſe obligatio legis probabilis concurrentis cum libertate æquè probabili. Alterum. Quo aſſeritur eſſe licentia operandi ſecundùm libertatem probabilem, cum lege æquè probabili concurrentem: neutrum verò dogma cum Textu Apoſtoli ſatis congruit. Et primum quidem facilè demonſtro ei non congruere: nam ſi non eſt obligatio legis probabilis, cum libertate æquè probabili concurrentis, jam peccatum non erit tranſgreſſio legis probabilis, concurrentis cum libertate æquè probabili; neque enim peccatum eſſe poteſt tranſgreſſio legis non obligantis: tranſgreſſio tamen legis probabilis concurrentis cum libertate æquè probabili, convincitur verum eſſe peccatum ex ipſo Textu Pauli. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* ergo ex eodem ipſo Textu vera eſſe convincitur legis probabilis obligatio: nam fides illa, de qua loquitur Apoſtolus, eſt judicium prudens & inculpabile, quo judicatur id quod fit, licitum eſſe; ſine quo judicio prælucente, quidquid fiat, peccatum eſt: quia nimirùm tenetur creatura rationalis tandiu abſtinere ab operando, quandiu prudenter & inculpabiliter judicare non poteſt ſibi licitam eſſe operationem: atqui creatura rationalis prudenter & inculpabiliter judicare non poteſt, ſibi licitam eſſe tranſgreſſionem legis probabilis, cum libertate æquè probabili concurrentis: neque enim prudenter & inculpabiliter judicari poteſt licita eſſe tranſgreſſio, quæ non magis apparet eſſe licita, quàm illicita: tranſgreſſio autem legis probabilis, cum libertate æquè probabili concurrentis, non magis apparet licita eſſe, quàm illicita: ergo prudenter & inculpabiliter judicari non poteſt licita eſſe, ac proindè ſi fiat ea tranſgreſſio, peccatum eſt, quia ex fide non eſt: *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ut decidit Apoſtolus. Confirmatur. Exemplo familiari & luculento. Subditus œconomus Regis, cui mandatum fuit expreſsè à Domino Rege, ne quid monetæ adulterinæ ab externis accipiat, peccabit ſine dubio contra mandatum Domini Regis, ſi monetam acceperit omninò dubiam, quæ

2. Textus novi Teſtamenti. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Duo capitalia probabiliſmi æqualis dogmata.

Tranſgreſſio legis probabilis concurrentis cum libertate æquè probabili convincitur peccatum eſſe ex ipſo Pauli textu.

Non poteſt judicari prudenter licita eſſe tranſgreſſio quæ non magis apparet eſſe licita quàm illicita.

non magis proba apparet esse, quàm adulterina : ergo cùm Deus Dominus mandaverit creaturæ suæ rationali, ne quid mali operetur, mandavit eidem, ne quid operetur dubiæ bonitatis, aut malitiæ, seu non magis apparens bonum, quàm malum : transgredi autem legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem, est operari aliquid dubiæ bonitatis, aut malitiæ, seu non magis apparens bonum esse, quàm malum : peccabit igitur contra mandatum Dei Domini, in transgressione legis probabilis : quo ferè modo peccaret subditus contra mandatum Domini Regis, in acceptione monetæ dubiæ. Habet se nimirùm operatio dubiæ bonitatis, ut moneta dubii valoris : nam sicut ad bonum Regni humani statum necesse est, ne in usu & commercio humano currere permittatur moneta dubii valoris ; ita ad bonum statum Regni divini necesse est, ne permittatur operatio dubiæ honestatis. Nec magis cum Textu Apostoli congruere videtur dogma Probabilismi alterum, quo asseritur licentia sequendi libertatem probabilem, cum lege æquè probabili concurrentem. Nam si liceret sequi libertatem probabilem, jam peccatum non esset determinatio voluntaria ad sequendam libertatem, sive in judicando, sive in operando : talem autem determinationem declarat Apostolus, peccatum esse : ex Apostolo enim peccatum est, omne quod non est ex fide : atqui ex fide non est determinatio ad libertatem probabilem, cum lege æquè probabili concurrentem : siquidem determinatio prælativa libertatis supra legem æquè probabilem non potest esse ex directione ullius judicii prudentis, quo judicetur prudenter & inculpabiliter, libertatem esse legi præferendam : nam quo tandem jure rationabiliter præferretur legi libertas, nihilò magis apparens, quàm lex ? Aut quo tandem demerito suo postponeretur libertati lex, nihilò minùs probabilis, quàm libertas?

Operatio dubiæ bonitatis habet se ut moneta dubii valoris.

Ex fide non est determinatio ad libertatem probabilem cum lege æquè probabili concurrentem.

Objicies. Textus ille Apostoli, ex quo argumentamur, satis obscurus est, & nimis incertus ; idemque tam multiplici patens interpretationi, ut nihil indè solidi confici possit in favorem legis probabilis, contra libertatem æquè probabilem. Sunt enim 1. qui Apostolum interpretantur de necessitate fidei divinę & supernaturalis ad rectè operandum, ita ut peccatum esse velint quidquid ex directione fidei divinæ non fit ; ac proindè omnia Infidelium opera peccata esse : quia nimirùm, inquiunt, cùm Infideles sint extra viam salutis, necesse est, quoscumque illorum gressus deviationes esse, seu aberrationes à via recta. 2. Textum Apostolicum intelligunt nonnulli, de obligatione non operandi contra conscientiam ; ita ut sensus sit, omne quod fit contra conscientiam, peccatum esse. 3. Interpretantur alii de obligatione operandi secundùm conscientiam ; quia conscientia est regula formalis actionum humanarum : est autem peccatum, quidquid non fit secundùm regulam. 4. Non desunt, qui Textum Pauli explicent de obligatione operandi sincerè, & non simulatè ; in qua explicatione, non esse ex fide idem est ac non fieri sincerè & fideliter, sed simulatè & infideliter : procedere autem simulatè & infideliter, peccare est. Respondeo. Textus Apostoli potest quidem obnoxius esse interpretationi multiplici ; sed quæcumque fiat illius interpretatio, nulla proba-

Textus ille Apostoli multiplici patet interpretationi.

bilisimum æqualem satis vindicabit à censura Apostolica. Non prima quidem; tum quia falsa & erronea est, in Baio damnata; ac proindè probabilistis, viris apprimè catholicis reprobanda magis est quàm usurpanda; tum quia, etsi pro vera & legitima haberetur, esset tamen eadem ad tutandum probabilismum planè inutilis; cùm enim probabilismus in verbo divino fundatus non sit, usus probabilismi fieri non potest ex directione fidei illius divinæ quæ in verbo divino fundatur: ergo si peccatum est quodcumque non fit ex fide divina, ut volunt Baïani, usus probabilismi peccatum esset; quia ex fide divina non fieret. Sed neque secunda interpretatio probabilismum satis tutari potest: nam si peccatum est, ut profectò est, quodcumque fit contra conscientiam, videtur usus probabilismi peccatum esse; quia videtur fieri contra conscientiam operantis: nam probabilista libertatem sequens cum lege æquè probabili concurrentem sibi conscius est, usum libertatis non minùs illicitum apparere, quàm licitum; ac proindè conscius idem dubium esse, an sit licitus, necne: ergo libertatem sequens conscius est sibi, operari se in dubio licentiæ; idemque conscius, non licere sibi in dubio licentiæ operari: quare si secundùm libertatem operatur, operatur contra conscientiam, ac proindè peccat; quia peccatum est contra conscientiam operari, ut fert secunda interpretatio Textûs Apostolici: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Nec magis probabilismum excusat interpretatio tertia: nam si peccatum est, quodcumque non fit secundùm conscientiam quæ regula est proxima & immediata actionum humanarum, videtur usus probabilismi peccatum esse; quia videtur non fieri secundùm conscientiam: libertatem enim sequens in concursu legis æquè probabilis non habet conscientiam licentiæ operandi: conscientiam enim licentiæ operandi non habet ille, cui tam apparet esse illicita operatio, quàm licita: probabilistæ autem sequenti libertatem probabilem in concursu legis æquè probabilis, tam apparet esse illicita sua operatio, quàm licita: ergo non habet ille conscientiam licentiæ operandi, ac proindè peccat operando; quia non operatur secundùm conscientiam licentiæ operandi, quam non habet. Probabilismum denique videtur omninò evertere interpretatio quarta: nam si peccatum est, quod non fit bonâ fine, & animo sincero, videtur usus probabilismi peccatum esse; quia videtur non fieri satis bonâ fide, aut animo satis sincero: probabilista enim operans contra legem probabilem, ut sequatur probabilem libertatem suam, non videtur procedere cum Deo satis sincerè & fideliter, sed simulatè nimis & infideliter: simulans enim, velle se Deo servire, reipsa tamen non servit, sed ejus servituti se subtrahit, sibimetipsi magis, quàm Deo serviens, & legi divinæ libertatem suam præponens, quam postponere debuisset. Stet ergo, Textum Apostoli, quocumque sensu accipiatur, adversùs probabilismum torqueri posse, & quidem non sine ictu.

Sed quæcumque fiat illius interpretatio nulla probabilismū æqualem à censura Apostolica vindicabit.

Instabis. Quicumque propter rationes certò graves judicat, aliquid esse, vel non esse, judicat eo ipso prudenter & bonâ fide, ac proindè non peccat ita judicando: probabilista autem in æquali probabilitate legis & libertatis, propter rationes certò graves judicat, non esse legem,

Speciosus ille discursus purus est probabilistarū paralogismus.

& quod est consequens, judicat, esse libertatem à lege: idem enim est, esse libertatem à lege, ac legem non esse: ergo probabilista prudenter & bonâ fide judicat esse libertatem à lege, ac proindè non peccat ita judicando: quòd si non peccet judicando libertatem à lege, non peccat item libertatem sequendo, seu operando secundùm libertatem quàm prudenter & bonâ fide judicat esse: neque enim peccat operando qui prudenter & bonâ fide conformat operationem suam judicio prudenti & bonæ fidei, quo nimirùm judicat licere sibi operari secundùm libertatem: ergo prudenter & bonâ fide operatur, ac proindè operando non peccat; quia scilicèt jam ex fide, & secundùm conscientiam operatur. Ecce quàm clarè & quàm solidè concilietur usus probabilismi æqualis cum Textu Apostoli bene intellecto. Respondeo. Speciosus ille discursus decepit me olim larvâ veritatis, quam præ se fert; sed larvâ reductâ apparet mihi hodie, id quod est, purus Paralogismus. Paralogismus in eo est, quòd fiat transitus captiosus de statu absoluto ad statum respectivum, & utriusque status periculosa confusio: nam qui judicat non esse legem, propter rationes certò graves, non contraponderatas rationibus æquè gravibus, suadentibus legem esse, prudenter quidem & bonâ fide judicat esse libertatem à lege, ac proindè non peccat ita judicando: sed qui judicat non esse legem propter rationes certò graves, contraponderatas rationibus æquè gravibus, suadentibus legem esse, jam non prudenter & bonâ fide judicat esse à lege libertatem; quia sine causa rationabili prælationis præfert legi libertatem, quæ non apparet esse præferenda, intellectum voluntate suâ inclinans in favorem libertatis, & in fraudem legis: ergo peccat ita judicando; quia jam non prudenter & bonâ fide judicat, sed imprudenter & malâ fide: quare si tali judicio imprudenti & malæ fidei conformet operationem suam, peccabit operando; quia jam imprudenter & non ex fide operabitur: omne enim quod non est ex fide, peccatum est, ut pronuntiavit Apostolus.

Fit enim transitus captiosus de statu absoluto ad statum respectivũ, & utriusque status periculosa confusio.

Tertius Novi Testamenti Textus habetur 1. Thessal. 5. His verbis. *Omnia probate; quod bonum est tenete: ab omni specie malâ abstinete vos.* Quo Textu Apostoli ut supra rejectus fuit usus probabilismi minoris, ita nunc venit rejiciendus usus probabilismi æqualis. Tria nimirùm eo Textu præcipit Apostolus, ad rectè operandum necessaria. Primum est. Ut fiat probatio quædam intellectualis, tam boni, quam mali, seu sapiens determinatio alterutrius, prævio & sufficienti examine habenda. Alterum ut voluntate adhæreatur bono probato, seu sapienter determinato. Tertium. Ut fugiatur quæcumque mali species prudenter determinata. Triplex autem illud Apostoli præceptum stare non potest cum doctrina & usu probabilismi æqualis.

Tertius Novi Testamenti textus. Omnia probate quod bonum est tenete, &c. Triplex Apostoli præceptũ.

Nam 1. Definiunt Probabilistæ in æquali probabilitate legis & libertatis legem non obligare; ac proindè licere operari secundùm libertatem, non obstante probabilitate legis: ergo non requirunt Probabilistæ ad rectè operandum probationem illam Apostolicam, seu determinationem intellectûs quam requirit Apostolus: *Omnia probate.* Ratio autem requirendi hæc est. Quia usus libertatis probabilis haberi non potest pro licito,

Primum est ut fiat probatio tam boni quam mali, quam probationem non

quandiu non magis apparet licitus, quàm illicitus: in æquali autem probabilitate legis & libertatis clarum est usum libertatis non magis apparere licitum, quam illicitum: ergo clarum est in æquali probabilitate legis & libertatis, usum libertatis probabilis haberi non posse pro licito; quia necesse habet probari ulteriùs, ut pro licito habeatur: finis enim & clausula probationis, & sapiens determinatio intellectûs judicantis operationem esse simpliciter licitam; quæ determinatio cùm haberi non possit præcisè ex æquali probabilitate legis & libertatis, habere quoque non potest licentia operandi secundùm libertatem. Confirmatur. Quia certum est non licere operari in dubio de licentia operandi: quandiu autem intellectus hæret suspensus inter utramque probabilitatem legis & libertatis, tandiu dubium est de licentia operandi secundùm libertatem: ergo tandiu certum est non licere operari secundùm libertatem.

faciût probabilistæ.

Finis probationis est sapiens determinatio intellectus judicantis operationem esse licitam.

Non licet operari in dubio de licentia operandi.

Dices. In æquali probabilitate legis & libertatis, si non licet operari secundùm libertatem, non licebit quoque operari secundùm legem; quia non est minùs dubia lex, quàm libertas: ergo si non licet operari in dubio libertatis, non licebit pariter operari in dubio legis. Respondeo. Nego sequelam, & paritatem. Disparitas est. Quia in dubio legis certa est honestas aut licentia operandi secundùm legem, ac proindè ita lex dubia est, ut tamen dubia non sit licentia operandi secundùm legem: quare operans secundùm legem dubiam, non operatur in dubio licentiæ operandi: est enim non modò certò licitum, sed etiam certò honestum & laudabile operari secundùm legem probabilem, quantumvis dubiam: at vero qui operatur in dubio libertatis, operatur idem in dubio licentiæ operandi: quia ex quo fit dubia libertas à lege probabili, fit quoque dubia licentia operandi, aut ut meliùs dicam fit certitudo de non licentia operandi contra legem probabilem; quia certum videtur non esse licitum exponere se periculo probabili violandæ legis, cui periculo se exponeret operans in dubio libertatis.

Non licet operari in dubio libertatis, licet tamen operari in dubio legis.

Ex quo fit dubia libertas à lege fit quoque dubia licentia operandi.

Instabis. Confunditur à nobis dubium libertatis, cum dubio licentiæ operandi secundùm libertatem; quæ tamen duo diversissima sunt, & benè distinguenda: potest enim esse dubium libertatis, & non esse dubium licentiæ operandi secundùm libertatem: dubium enim libertatis à lege est dubium, an sit lex libertatem ligans: in dubio autem, an sit lex libertatem ligans, lex dubia est: certum est autem legem dubiam non obligare: ergo in dubio libertatis à lege habetur certitudo licentiæ operandi secundùm libertatem, ac proindè dubia non est licentia operandi secundùm libertatem. Respondeo. In hypothesi libertatis probabilis cum lege æquè probabili concurrentis; dubium libertatis est ipsummet dubium licentiæ operandi secundùm libertatem, cum lege æquè probabili concurrentem, seu dubium licentiæ operandi contra legem probabilem, in concursu libertatis æquè probabilis: nam qui dubitat de existentia libertatis, cum lege æquè probabili concurrentis, dubitat idem eo ipso, an sibi liceat operari contra legem probabilem: in dubio autem talis licentiæ operari non licet. Nam quod additur, legem dubiam non obligare, intelligendum est de lege dubia improbabili, non de lege dubia probabili. Lex quidem dubia

In hypothesi libertatis probabilis dubium libertatis est ipsummet dubium licentiæ operandi secùdum libertatem.

Lex dubia improbabilis non obligat sed obligat lex dubia probabilis.

improbabilis non obligat defectu apparentiæ: cùm enim nullo modo appareat esse, perindè se habet in ordine ad obligandum, ac si non esset: sed non ita se habet lex dubia probabilis, quippe quæ ex rationibus probabilibus fit satis apparens in ordine ad obligandum, ne quid contra ipsam temerè fiat; si quid enim contra ipsam fieret, jam subiretur periculum probabile violandi veram aliquam legem Dei, quod periculum subire non licet.

Instabis iterum. Lex probabilis cum libertate æquè probabili concurrens, verè dubia est: ergo ne ipsa quidem obligat; aut certè dubia est obligatio ex illa veniens. Consequentia probatur. Quia ex hoc dubia fit obligatio, ex quo fit dubium fundamentum obligationis: fundamentum autem obligationis fit dubium ex quo fit dubia lex quæ obligationis fundamentum est: atqui lex probabilis, quæ fundamentum est obligationis, fit verè dubia ex concursu cum libertate æquè probabili: ergo & dubia fit obligatio, cujus fundamentum est: obligatio autem dubia habetur pro nulla. Respondeo. Lex probabilis & ipsa dubia est, non negativè, sed positivè, ac proindè fundat eadem obligationem positivè, non negativè dubiam. Explicatur. Obligatio quidem negativè dubia haberi debet pro nulla; quia dubium talis obligationis fundatur in nescientia omnimoda, seu non apparentia legis: ex quo enim nullo modo scitur, aut apparet esse obligatio legis, perindè se habet; ac si non esset: sed obligatio positivè dubia, vera aliqua obligatio est; fundata nimirùm in magna quadam & gravi legis apparentia, quæ contemni prudenter non potest: nam si posset prudenter contemni, posset prudenter subiri periculum probabile violandi veram aliquam Dei legem; id verò fieri non potest, nisi imprudenter.

Lex probabilis & ipsa dubia est non negativè sed positivè fundans obligationem positivè dubiam.

Dices 2. Probatio, quam prærequirit Apostolus ad rectè operandum, ex hoc facta fuisse intelligitur, quòd post examen sufficiens, libratis hinc indè rationibus, seu legi, seu libertati faventibus, nondùm invenitur obligatio operandi secundùm legem: nam ubi post examen sufficiens non invenitur obligatio operandi secundùm legem, fit continuò licentia operandi secundùm libertatem: tandiu enim præsumitur homo liber esse, quandiu non probatur esse ligatus: atqui in nostra hypothesi post examen sufficiens nondùm tamen satis apparet esse obligatio operandi secundùm legem: ergo ex hoc satis esse intelligitur esse licentia operandi secundùm libertatem. Respondeo. Probatio quam prærequirit Apostolus ad rectè operandum, est prudens aliqua determinatio boni aut mali, honesti aut inhonesti, liciti aut illiciti, facta post accuratum examen materiæ controversæ de qua agitur: talis autem determinatio censeri non potest fuisse facta prudenter in favorem libertatis, donec satis constiterit, licitum esse operari secundùm libertatem: atqui non satis constat licitum esse operari secundùm libertatem cum lege æquè probabali concurrentem; id enim non magis apparet licitum esse, quàm illicitum: quod autem non magis apparet licitum esse, quam illicitum determinari non potest prudenter licitum esse: quo ferè modo aurum igne examinatum; prudenter reputari non potest esse aurum probum, si facto examine, non magis appareat pro-

Quod non magis apparet licitum esse quam illicitum, de-

bum, quàm reprobum. Probabilista igitur operans secundùm libertatem probabilem, in concursu legis æquè probabilis, peccat contra primum illud Apostoli præceptum: *Omnia probate*; quia operatur secundùm libertatem, ante probationem legitimam & prudentem determinationem licitæ operationis.

terminari non potest prudenter esse licita.

Secundò. Non minùs peccat idem contra alterum Apostoli præceptum de adhæsione voluntatis ad id quod intellectus prudenti determinatione concluserit bonum esse, seu positivè, seu negativè, hoc est non malum: *Quod bonum est tenete*, inquit Apostolus: Nam bonum est legem sequi probabilem dimissâ libertate: adhærens autem libertati suæ jam non tenet quod bonum est, sed planè dimittit, ut sequatur quod non est bonum: neque enim bonum est, sed malum, dimissâ lege libertatem sequi: ergo probabilista libertatem sequens dimissâ lege, jam quod malum est libertate amplectitur, & quod est bonum dimittit Apostolo reclamante; *Quod bonum est tenete*.

Adhærens libertati suæ jam non tenet quod bonũ est, sed planè dimittit.

Dices 1. Esto, bonum sit, & certò bonum legem sequi probabilem dimissâ libertate æquè probabili, non est tamen bonum necessarium, quod ex obligatione tenere debeat probabilista: ergo salvo Apostoli præcepto, potest absque peccato tenere libertatem suam probabilem, & secundùm illam operari, posthabitâ lege æquè probabili. Confirmatur. Bonum est, aut certè non malum, libertatem probabilem sequi, etiam in concursu legis æquè probabilis: ergo non peccat probabilista, eò præcisè quòd libertatem probabilem sequatur; nam qui facit præcisè aliquid quod malum non est, dici non potest peccare, eò præcisè quòd illud faciat. Respondeo. In æquali probabilitate legis & libertatis bonum est legem probabilem sequi, & quidem bonum necessarium; quia necessariò, & ex obligatione debet lex in pari causa præferri libertati: peccatur ergo, si in pari causa utriusque, lex libertati non præferatur. Ad Confirmationem dico, non modò non esse bonum, sed positivè malum esse libertatem sequi, dimissâ lege æquè probabili; quia positivè malum est, legem divinam libertati humanæ postponere in pari causa.

In æquali probabilismo bonũ est legem sequi & quidem bonum necessarium. Malum vero libertatem sequi.

Dices 2. Potest Probabilista determinare se prudenter ad judicandam non existentiam legis: tam enim potest judicare non existentiam quàm existentiam; cùm sit æqualis utriusque probabilitas: judicatâ autem, & determinatâ prudenter non existentiâ legis, potest idem prudenter determinare se ad operandum secundùm libertatem: in tali enim determinatione ne umbra quidem peccati videtur esse; quia evidens est non peccari in eo faciendo quod prudenter determinatum fuit, malum non esse: Probabilista autem ut supponimus, determinavit prudenter malum non esse operari secundùm libertatem probabilem: ergo non peccat determinando se ad operandum secundùm libertatem probabilem; sed præcepto Apostoli satisfaciens, tenet quod bonum est, aut certè non malum. Respondeo 1. In æquali probabilitate legis & libertatis, non posse intellectum prudenter determinari ad judicandam libertatem præ lege: talis enim determinatio essentialiter imprudens esset, & irrationabilis, quippe quæ fieret sine ulla rationabili causa: nam si præcisè attendatur æqualitas rationum

In æquali probabilitate legis & libertatis non potest intellectus prudenter

determinari ad judicandam libertatem pro lege.

seu legi, seu libertati faventium, evidens est, nihil esse, cur lex libertati, aut libertas legi præferatur: quare in neutram partem determinatio fieri debet, sed mera inter utramque suspensio. Quod si ex parte legis attendatur, ut profectò debet attendi suprema dignitas Dei Legislatoris, potentis exigere, & reipsa rationabiliter exigentis, ut sua divina lex libertati creaturæ præferatur, patet determinationem fieri debere in favorem legis probabilis, non obstante æquali probabilitate libertatis; cùm habeat Deus in pari causa patentissimum jus prælationis supra creaturam suam: sed ea ratio tantùm abest ut militet pro determinatione facienda in favorem libertatis; quin potiùs evincit, faciendam non esse: siquidem postulat humillima conditio creaturæ servientis, ne suam libertatem probabilem legi divinæ nihilò minùs probabili præferre audeat: nam si præferret: in sua illa prælatione non modò foret irrationabilis, sed planè irreverens erga Deum suum. Respondeo 2. Esto, possit per voluntatem determinari prudenter intellectus ad judicandam non existentiam legis probabilis, ea tamen determinatio non sufficeret ad rectè operandum secundùm libertatem prudenter judicatam; quia non impediret quominùs operando secundùm libertatem, subiretur periculum probabile violandi veram aliquam legem, cum libertate æquè probabili concurrentem, quod periculum subire non licet; est enim reflexa aliqua lex, de non subeundo tali periculo, contra quam legem reflexam peccaret operans secundùm libertatem probabilem; esto, non peccaret contra legem directam probabilem, & probabiliter duntaxat judicatam.

Talis determinatio imprudens esset.

Quamvis per voluntatem determinaretur prudenter intellectus ad judicandam non existentiam legis. Ea determinatio non sufficeret ad rectè operandum secundum libertatem.

Instabis 1. Doctrina hæc nostra non videtur secum satis ipsa cohærere. Statuit enim 1. Non posse prudenter judicari verum esse quod non magis apparet verum, quàm falsum: ex quo principio inferimus, in æquali probabilitate legis & libertatis, non posse prudenter judicari libertatem à lege, seu non existentiam legis probabilis, cum existentia æquè probabili concurrentis; quia non magis apparet vera quàm falsa. Statuit tamen 2. Posse prudenter judicari existentiam legis probabilis, concurrente etiam & non obstante æquali probabilitate libertatis; quæ duo cohærentia non sunt, sed apertè pugnantia. Respondeo. Quæ duo in doctrina nostra statuimus, videbuntur bene omninò cohærere, si bene intelligantur, utrumque enim verissimum est; nec difficile nobis erit utriusque concordiam, & veritatem demonstrare. Statuimus igitur 1. Non posse prudenter & determinatè judicari, verum esse, quod non magis apparet verum, quàm falsum: Undè inferimus quod necessariò consequens est, attentâ præcisè æquali legis & libertatis probabilitate, non posse prudenter judicari libertatem in concursu legis æquè probabilis; quia spectatâ præcisè æquali legis & libertatis probabilitate, & secluso omni alio respectu, libertas non magis apparet vera, quàm falsa. Statuimus tamen 2. Quod non est minùs verum, posse prudenter judicari legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem: si nimirùm interveniat, ut intervenire debet, pius aliquis voluntatis affectus erga Deum Legislatorem, ex quo voluntatis affectu possit augeri apparentia legis & minui apparentia libertatis: ex tali enim affectu cùm possit lex magis apparere vera,

Ex pio affectu augetur apparentia legis, & minui-

vera, quàm falsa, nihil mirum est, si possit eadem prudenter & determinatè judicari vera: sed cùm pius ille voluntatis affectus erga Deum Legislatorem apparentiam libertatis minuat, potiùs quàm augeat, non habet indè libertas, ut magis appareat vera, quàm falsa, ac proindè non habet, ut possit prudenter judicari vera. Ecce quàm aptè cohæreant, quæ pugnare dicebantur.

tur apparentia libertatis.

Instabis iterum. Simile aliquid contingere potest libertati, quod legi: possunt enim occurrere, & plerunque occurrunt eæ circumstantiæ, in quibus ex rationabili affectu voluntatis augetur apparentia libertatis, & minuitur apparentia legis: ergo plerunque fieri potest determinatio prudens in favorem libertatis, non minùs quàm in favorem legis: nam si lex probabilis potest prudenter judicari vera, quia ex pio affectu voluntatis potest magis apparere vera, quàm falsa; quidni pariter possit pro suo jure libertas prudenter judicari vera? Cùm possit & ipsa ex rationabili quodam voluntatis affectu magis vera, quàm falsa apparere. Proponatur, Exempli causâ, contractus aliquis in favorem pauperum faciendus: controvertatur an sit licitus, necne: æquè probabile sit esse legem quæ contractum prohibeat, ac non esse: potest quis ex rationabili affectu subveniendi pauperibus piè optare, ne sit lex prohibens fieri contractum, quem prævidet futurum valde utilem ad inopiam pauperum sublevandam: ex affectu autem illo rationabili potest & minui apparentia legis contractum prohibentis, & augeri apparentia libertatis: ergo fieri potest, ut ex eodem ipso affectu libertas appareat magis vera quàm falsa, ac proindè possit eadem prudenter judicari vera. Respondeo. Potest quandoque, fateor, ex affectu voluntatis augeri apparentia libertatis non minùs quàm apparentia legis: sed affectus ille, quo augetur apparentia libertatis, debet ferè suspectus esse operanti; quia plerunque venit de vitiosa cupiditate, non de laudabili charitate: ex tali autem affectu vitioso, ut per se patet, aut certè nimis suspecto fieri non potest determinatio prudens ad judicandam libertatem: contra verò pius affectus, quo augetur apparentia legis, & minuitur apparentia libertatis, minùs debet esse suspectus; quia plerunque venit ex amore reverentiali erga Deum Legislatorem, aut casto timore offensę divinæ: quare ex tali affectu, si fortè lex probabilis appareat magis vera, quàm falsa, poterit eadem prudenter judicari vera. Quod autem pertinet ad casum propositum de Eleemosinario, qui ex rationabili affectu sublevandæ inopiæ pauperum, dicitur determinare se prudenter ad judicandum, licitum esse contractum, pauperibus favorabilem, non obstante probabilitate legis contractum prohibentis, & ideò determinare se ex misericordi affectu pauperum, quia fortè sit ei major apparentia libertatis quàm legis; laudo in Eleemosinario affectum misericordiæ, quo movetur ad pauperes sublevandos, sed determinationis prudentiam non laudo: siquidem & nimis tangitur miseriâ pauperum, nec tangitur satis Dei Legislatoris reverentiâ, quâ tamen tangi magis deberet, quàm miseriâ pauperum; quia plùs debetur reverentiæ Deo Legislatori, quàm debeatur misericordiæ pauperibus: titulus enim reverentiæ, Deo Legislatori debitæ longè præ-

Affectus quo augetur apparētia libertatis debet ferè suspectus esse operanti.

ponderat titulo misericordiæ debitæ pauperibus: ergo ex affectu reverentiæ debitæ fieri debet major apparentia legis, contractum pauperibus favorabilem prohibentis, ac proindè in casu proposito judicari potest prudenter sola existentia legis, quæ sola magis apparet vera, quàm falsa: nam libertas faciendi contractum, cùm ex affectu reverentiali legis contrapugnantis magis falsa, quàm vera apparere debeat, non potest prudenter judicari vera, sed falsa. Accedit, quòd etsi fortè fieret prudens determinatio ad judicandam non existentiam legis contractum prohibentis, ea tamen determinatio non sufficeret ad contractum à peccato excusandum; quia talis determinatio, quantumvis prudens ex parte judicii determinantis, non impediret tamen, quominùs Eleemosinarius, contractum faciens secundum libertatem prudenter determinatam, ex bono misericordiæ affectu, apparentiam libertatis augente, subiret periculum probabile violandi veram aliquam legem, de contractu non faciendo, eamque libertate non minùs probabilem, spectatâ præcisè æqualitate rationum, & secluso omni affectu apparentiam libertatis augente: tale autem periculum subire non licet, ex lege reflexa certò prohibente, ne subeatur.

Replicabis. Quid si fortè amator ille pauperum Eleemosinarius, ad bonum affectum suum, qui minuitur apparentiâ legis, & augetur apparentiâ libertatis, parum attendens, credat bonâ fide majorem illam libertatis apparentiam venire totam ex rationibus pro libertate prævalentibus; nonne à peccato excusabitur libertatem sequens? Respondeo 1. Tenetur bonus ille Eleemosinarius, si sapit, diffidere nonnihil de affectu illo bono, & de apparentia libertatis aliquid detrahere, seu judicare apud se libertatem minùs fundatam, quàm sibi reipsa appareat; eoque judicato, tenere, quod bonum est, seu legem probabilem sequi, non libertatem. Respondeo 2. Sed si nimirum bonus de affectu suo nec diffidat; nec diffidere fortè possit; quia fortè ex ignorantia aut hebetudine aliqua invincibili non attendit ad affectum suum, ei subtiliter & imperceptibiliter illudentem, excusari poterit à peccato libertatem sequens, quam bonâ fide credit esse probabiliorem, & ex probabilitate veram esse determinabit. Quod tamen unicè intelligendum est de apparentia libertatis notabiliter majore: nam si apparentia libertatis non excedat notabiliter apparentiam legis, levis ille, si quis est, apparentiæ excessus haberi debet pro nullo, & reputari lex æquè probabilis ac libertas: in æquali autem probabilitate legis & libertatis operari non licet contra legem, libertate nihilò minùs probabilem; sed dimissâ libertate lex sequenda est, juxta illud Apostoli: ***Quod bonum est, tenete.*** Jam satis superque declaratum.

Quid species mala in sensu Apostoli.

Tertiò. Nihilò minùs efficax est, quod addit Apostolus: *Ab omni*, inquit, *specie mala abstinete vos.* Tertium præceptum, profundè penetrandum nobis, & versandum in omnem partem; indè enim & plurimum lucis in superiora refundetur, & magis firmabitur obligatio sequendi legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem. Sic igitur argumentor. Omnis species mala, de qua loquitur Apostolus, vel

ſignificat malum omne morale, ad quamcumque ſpeciem pertineat; vel ſignificat omnem mali moralis apparentiam: alterutro autem ſenſu accipiatur Apoſtoli præceptum, uſum probabiliſmi æqualis vehementer ſuccutit, ne dicam omninò evertit: nam quo præcepto jubet Apoſtolus, ut abſtineamus nos ab omni ſpecie mala in materia morali, eodem præcepto jubere intelligitur, ut abſtineamus nos ab omni malo morali probabili; quia ipſum malum morale probabile, in uſu & ſenſu hominum, reputatur malum aliquod morale, rationabiliter timendum & fugiendum, eo ipſo quòd probabile eſt: nam ſi timeri & caveri meretur malum phyſicum probabile, ut profectò meretur; quis enim ſapiens morbum aliquem probabiliter lethalem, aut mortem ipſam probabilem non timeat, &, ſi poteſt, non caveat? Quantò igitur magis timere & cavere debet, quicumque ſapit, malum morale probabile, quod ita eſt in ordine ſuperiore & tranſcendente, reſpectu mali phyſici, ut pro vitando leviſſimo malo morali, malum omne phyſicum ſi neceſſe eſt, ſubire oporteat. Confirmatur 1. Quicumque, ut ſequatur libertatem probabilem, tranſgreditur legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem, ſubit eo ipſo periculum probabile violandi veram aliquam legem: tam enim probabile eſt periculum tranſgrediendi veram aliquam legem, quam probabile ſit, legem, cujus fit tranſgreſſio, veram aliquam legem eſſe: atqui in ſubeundo periculo probabili tranſgrediendi veram aliquam legem, videtur ex ipſis terminis bene penetratis, eſſe verum aliquod malum morale; quia tale periculum ſubire, videtur eſſe indignus aliquis, & irrationabilis divinæ legis contemptus. Confirmatur 2. Si malum morale probabile non concluſiſſet Apoſtolus ſuo illo præcepto abſtinentiæ ab omni ſpecie mala, jam licentiam feciſſet mali moralis probabilis: talem autem licentiam non fecit, imò nec facere potuit; quia ex tali licentia fieret homo nimis obnoxius malo morali certo & indubitato. Idem nimirùm contingeret homini, malum morale probabile negligenti, quod contingit homini negligenti malum phyſicum probabile: nam ut iſte de malo phyſico probabili, quod negligit, incurrit ferè in malum phyſicum certum; & amans periculum perit in illo: ita alter cum malo morali probabili colludens, incideret in malum morale certum, & peccati umbram non ſatis reformidans, in ipſo peccato periret. Confirmatur 3. Verba Apoſtoli præcipientis abſtinentiam ab omni ſpecie mala, ſeu ab omni malo morali, præſumenda ſunt habere eandem ſignificandi vim, quam habent in uſu humano & populari verba ſimiliter præceptiva: verba autem ſimiliter præceptiva habent vim ſignificandi abſtinentiam ab eo omni, quod probabile eſt pertinere ad ſpeciem mali prohibitam, ut manifeſtum fit familiari inductione. Nam cui præcipitur, ne quid veneni hauriat, præcipitur eo ipſo, ne hauriat liquorem, quem probabile eſt venenum eſſe: cui prohibetur uſus cujuſcumque monetæ falſæ, prohibetur quoque uſus monetæ, quæ probabiliter falſa eſt: cui interdicitur commercium cum omni homine peſtifero, interdicitur commercium cum omni homine, quem probabile eſt peſtiferum eſſe: quo Edicto jubet Rex, pelli è Regno ſuo quemcumque extraneum & peregrinum, eodem pelli

Vel eſt malum omne morale.

Abſtinendũ ex Apoſtolo ab omni malo morali probabili.

jubet, quemcumque probabile eſt peregrinum eſſe & extraneum : ergo ſimiliter quo præcepto jubet Apoſtolus, abſtinere Fideles ab omni malo morali, eodem jubet, Fideles abſtinere ab eo omni, quod probabile eſt eſſe malum morale.

Vel eſt omnis apparentia mali.

Quòd ſi præceptum Apoſtoli : *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos :* in ſecundo ſenſu accipiatur, ita ut ſignificet eſſe abſtinendum ab omni ſpecie mala, ſeu ab omni apparentia mali ; probabiliſmum æqualem longè clariùs explodit : quia evidens eſt, in uſu libertatis probabilis cum lege æquè probabili concurrentis eſſe magnam ſpeciem, ſeu apparentiam mali : nam ibi magna eſt usûs mali apparentia, ubi magna eſt usûs illiciti apparentia : in uſu autem libertatis probabilis, cum lege ęquè probabili concurrentis, magna quædam eſt apparentia usûs illiciti ; quia in eo eſt apparentia usûs per legem prohibiti, eaque tanta, quanta eſt apparentia legis uſum prohibentis. Confirmatur. Quia ſpeciem malam, ſeu apparentiam mali habet, operari ſecundùm libertatem in dubio poſitivo & rationabili licitæ operationis:operatur autem in dubio poſitivo & rationabili operationis licitę,quicumque,in æquali probabilitate legis & libertatis operatur ſecundùm libertatem : ibi enim licitæ operationis poſitivum & rationabile dubium eſt, ubi ex momento rationum, hinc indè æquiponderantium, non magis apparet operatio licita eſſe, quàm illicita : atqui in æquali probabilitate legis & libertatis, operatio ſecundùm libertatem non magis apparet licita eſſe, quàm illicita : erga ſpeciem malam, ſeu apparentiam mali habet operari ſecundùm libertatem probabilem cum lege æquè probabili concurrentem : ſapienter autem præcipit Apoſtolus, ab omni ſpecie mala, ſeu apparentia mali abſtinere. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*

In uſu libertatis probabilis cum lege æquè probabili concurrentis magna eſt mali apparentia.

Dices. Probabiliſmum æqualem ne tangere quidem videtur Textus Apoſtoli jam citatus ; clarus eſt enim illius ſenſus : vult nimirùm Apoſtolus, ut quidquid occurrat operandum, ſi fortè dubium eſt, priùs probetur ; ſeu examinetur, an ſit bonum, necne : *Omnia probate :* facto autem examine teneatur, & executioni mandetur, ſi bonum eſſe fuerit prudenter judicatum : *Quod bonum eſt tenete :* Contra verò ab eo omni abſtineatur, quodcumque prudenter determinatum fuerit malum eſſe : atqui in toto illo negotio, ut nihil in favorem probabiliſmi æqualis, ita nec contra æqualem probabiliſmum quidquam deciditur : ergo Textum illum Apoſtoli adversùs probabiliſmum æqualem detorquere nihil aliud eſt, quàm Apoſtoli authoritate irreverenter abuti, & fucum fraudemque facere ſimplicitati bonorum Fidelium. Reſpondeo. Agnoſco clarum eſſe Textum Apoſtoli ſupra citatum ; & ex eodem Textu contendo, adversùs probabiliſmum æqualem rectè concludi : nam in ęquali probabilitate legis & libertatis ita occurrit aliquid operandum, ut dubitetur omninò, quid operandum ſit. Decidit autem Apoſtolus examinandum eſſe, ut, ſi fieri poteſt tollatur dubium, & determinetur prudenter, quid bonum ſit, quid malum : ſed tali examine nihil opus eſſe contendunt probabiliſtæ, decidentes audacter, licere in dubio utramlibet partem ſequi ; nec ſatis audientes Apoſtolum clamantem : *Omnia probate.* Decidit Apoſtolus,

probatione factâ, seu dubium perseveret, seu non perseveret, tenendum esse, quod bonum est: *Quod bonum est, tenete:* Nam si dubium perseveret, operandum est secundùm legem; quia id solùm bonum est: in dubio enim operari nefas est secundùm libertatem, contra legem æquè probabilem, ne subeatur periculum probabile violandi veram aliquam legem, quod periculum subire non licet. Quòd si dubium nón perseveret, factâ, ut fieri debet, determinatione in favorem legis, evidens est obligatio operandi secundùm legem: nam si quis determinans legem esse, non operetur tamen secundùm legem, sed secundùm libertatem, jam fit operatio contra conscientiam ipsius operantis. Decidit denique Apostolus, abstinendum esse ab omni specie mala*: *Ab omni specie mala abstinete vos:* Ex qua decisione intelligitur, abstinendum esse ab usu libertatis probabilis, cum lege æquè probabili concurrentis: quia evidens est, esse speciem malam, seu apparentiam mali in tali usu; quippe qui tam apparet illicitus esse, quàm licitus; tam prohibitus, quàm permissus; habens se instar nummi dubii, qui secundùm unam faciem ita apparet argenteus, ut appareat idem secundùm alteram plumbeus, eaque malâ specie suâ reprobandus est, juxta mentem Apostoli. Nimirùm vult Apostolus, habere se actiones nostras in ordine ad commercium. Divinum sicut moneta se habet in ordine ad commercium humanum: quare sicut in commercio humano moneta dubia habetur pro reproba, ita in commercio divino, operationem nostram, quæcumque dubia est, seu non magis bona apparens, quàm mala, haberi vult pro reproba.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Ex pluribus novi Testamenti Principiis generalibus quæsitam obligationem continentibus.

Veritates generales seu principia eandem obligationem continentia.

PRincipia generalia appello veritates quasdam generales in quibus ita continetur involuta obligatio, quam quærimus, ut ex iisdem per subtilem & solidam ratiocinationem evolutis educi possit in magnam lucem, & si non omnibus, saltem sapientibus demonstrari: sunt autem in novo Testamento veritates ejusmodi generales, eæque plures, quas hîc evolvere aggredior.

I. Veritas. Perfecta Christi obedientia totâ legem religiosè implentis.

Prima veritas est. Perfecta & plena obedientia Christi Domini, totam legem sibi impositam, ad iota unum, & unum apicem religiosè exequentis, ut apertè declarat ipsemet Chistus Math. 5. *Nolite,* inquit, *putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere: amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Undè sic ratiocinari possumus. Exemplar nostrum Christus est; juxta illud: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum Ego feci, ita & vos faciatis:* ergo tenemur Christo obedienti

Tenemur Christo nos conformare.

conformare nos, quoad executionem legis, ac proindè totam legem, ut ille, ad unum iota, & unum apicem fideliter exequi: cui obligationi planè non satisfacit, qui negligit leges probabiles, cum libertate sua æquè probabili concurrentes, solâ legum certarum & evidentium observatione contentus: nam eo ipso quòd passim negliguntur leges probabiles, jam non iota unum, aut unus apex duntaxat, sed magna aliqua pars legis prætteritur: occurrunt enim pleræque verę leges, duntaxat probabiles, cum libertate æquè probabili concurrentes. Confirmatur. Quia generalis illa obedientia Christi, respectu totius legis sibi impositæ, fuit obedientia quędam rigorosa, fundata in vero mandato Patris, dilectum Filium suum strictè obligantis, ut totam legem ad unum iota, & unum apicem adimpleret: ergo & à nobis pariter exigitur obedientia quædam rigorosa, respectu totius legis, ad iota unum, & unum apicem exequenda: neque enim credibile est, minùs aliquid exigi à servo, quàm à filio; aut minùs debere servum obedientem esse, quàm filium.

Non est omnino par causa Christi & nostra.

Dices 1. Non est par causa Christi, & nostra: Christus enim probè noverat, totam legem sibi à Patre impositam, adeò ut ne iota unum, aut unus apex legis notitiam Christi prętenriret: ergo Christo non occurrebat lex dubia, aut merè probabilis, sed certa & evidens: quare nihil mirum est, si tota lex Christo imposita Christum obligaverit. Non obligat tamen nos tota lex imposita nobis; quia nobis non est tota certa, sed magnâ sui parte dubia solùm, & merè probabilis. Respondeo. Non est, fateor, omninò par causa Christi, & nostra: Christus enim omniscius ita comprehendebat universam legem sibi impositam, ut ejus comprehensionem, ne unum quidem iota, & unus apex legis effugeret; nos autem plerasque veras leges invincibiliter ignoramus: atqui leges invincibiliter ignoratæ non obligant. Proponebatur Christo universa lex modo certo & evidenti: nobis autem pars magna legis modo dubio & incerto ita proponitur, ut non magis appareat probabilis lex, quàm libertas à lege: videtur ergo excusare nos probabilitas libertatis, quæ Christum non excusabat. Sed ut dicam ingenuè, quod res est; probabilitas illa libertatis quæ prætenditur, videtur esse speciosus aliquis prætextus, ad excusandas excusationes in peccatis. Ratio nimirùm est. Quia etsi contingat, leges directas plerunque dubias esse, & merè probabiles, fit tamen earundem obligatio certa & evidens per legem aliquam reflexam, eamque certam & evidentem; cujusmodi est lex generalis de non operando contra legem in dubio positivo legis & libertatis. Similiter etsi libertas à lege appareat æquè probabilis ac lex, fit tamen certa & evidens prohibitio operandi secundùm libertatem probabilem, cum lege æquè probabili concurrentem: talis enim prohibitionis certitudinem & evidentiam facit lex reflexa & evidens, de non subeundo periculo probabili violandi veram aliquam legem; quale periculum toties necessariò subitur, quoties fit transgressio legis probabilis: tam enim probabile est periculum violandi veram aliquam legem, quàm probabile est, legem, cujus fit transgressio, veram esse. Atque hîc mirabere sapientissimam Dei Legislatoris providentiam, quâ & obscuritati & incertitudini legum directarum op-

Quamvis leges directę, sint plerumque dubiæ, fit tamen earum obligatio certa per legem reflexam eãque certam & evidentem.

portunè ſubventum fuit, per leges reflexas certas & evidentes, legum directarum ita demonſtrativas, ut ſi fortè leges directæ, ratione ſuæ incertitudinis & inevidentiæ, obligationem facere ſatis non valent, eædem tamen à legibus reflexis, certis & evidentibus, vim obligandi certam & evidentem accipiant. Undè ulteriùs ſequitur, ex obedientia Chriſti, totam legem ſibi impoſitam ad unum iota, & unum apicem exequentis, rectè inferri obligationem in nobis ſimilis obedientiæ, reſpectu totius legis nobis impoſitæ, & ſatis notificatæ ad obligandum. Neque infringitur iſta illatio, ex eo quòd Chriſto fuerit propoſita lex modo certo & evidenti; nobis autem impoſita lex vel nullo modo proponatur, ut contingit in caſu totalis ignorantiæ; aut proponatur modo incerto & inevidenti, ut fit in æquali probabilitate legis & libertatis: nam ignorantia quidem invincibilis à peccato excuſat, ſed non excuſat probabilitas libertatis concurrens cum probabilitate legis: legi enim directæ duntaxat probabili, ſi quid deeſt certitudinis & evidentiæ, in ordine ad obligandum, ſuppletur ferè per legem aliquam reflexam & evidentem, quâ fit obligatio certa & evidens legis directæ, probabiliter duntaxat apparentis.

Dices 2. Inepta videtur eſſe conſequentia, quæ ducitur à fonte limpidiſſimo ad rivulos lutulentos: neque enim rationabiliter expectari poteſt, ut aqua in cœnoſis rivulis tam ſit pura & illimis, quàm in fonte: ergo ineptè, ne dicam ineptiùs, ducitur conſequentia ad miſeros peccatores, in peccatis natos, & peccatis obnoxios, quales nos ſumus, ab ipſo Chriſto impeccabili, & totius ſanctitatis fonte: neque enim rationabiliter, ex obligatione conformitatis noſtræ cum Chriſto, univerſam legem ad iota unum, & unum apicem exequente, argui poteſt, eſſe in nobis obligatio exequendi totam legem, idque ad iota unum, & unum apicem, ut ille executus eſt: nam in Chriſto quidem non tam videtur fuiſſe obligatio, quàm abſoluta neceſſitas ſervandi totam legem; quia Chriſtus fuit abſolutè impeccabilis, ac proindè peccare abſolutè non potuit: peccaſſet tamen, ſi vel unum iota, vel unum legis apicem inobſervatum præteriſſet: ſed in nobis peccatoribus, cùm ſit quædam peccandi neceſſitas, eſt quoque impotentia quædam ſervandi totam legem: nam ſi poſſet à nobis ſervari tota lex; poſſet quoque vitari omne peccatum; neque enim peccari poteſt, niſi lex aliqua violetur: atqui ſtare non poteſt obligatio ſervandi totam legem, cum impotentia totius legis ſervandæ. Reſpondeo. Quoad puritatem aquæ ineptè comparantur rivuli lutulenti cum fonte limpidiſſimo, ſi comparatio fieret ad æqualitatem: ineptè quoque compararentur peccatores cum Chriſto totius ſanctitatis fonte, quoad exactam obſervationem legis, ſi comparatio fieret ad æqualitatem: ſed non omnis duorum comparatio, adæquatio eſt: ſufficit enim ad comparationem ſimilitudo aliqua unius cum altero: eſt autem ſimilitudo aliqua inter obedientiam Chriſti & noſtram: nam ut fuit in Chriſto obligatio exequendi totam legem ſibi impoſitam, ad unum iota, & unum apicem, ita eſt in nobis, licet peccatoribus, vera aliqua obligatio exequendi totam legem nobis impoſitam, ad unum iota, & unum apicem: nihilominùs tamen inter obedientiam Chriſti & noſtram immenſum diſcrimen eſt: nam Chriſtus

Poteſt aliquomodo comparari obedientia Chriſti cũ noſtra.

Est tamen discrimen immensum inter utrâque.

quidem, ut erat impeccabilis, necessitatus fuit ad executionem totius legis sibi impositæ, ex hypothesi, quòd noluerit petere dispensationem ab ulla lege: nam si, dispensatione non petitâ, potuisset à lege exequenda abstinere, potuisset peccare, quod tamen non potuit, qui erat impeccabilis: ergo ex hypothesi dispensationis non petitæ, necessitatus fuit ad executionem totius legis sibi impositæ: sed quia potuit idem petere dispensationem; obtenturus pro sua reverentia, si petivisset, liberrimè legem executus est: ita enim est executus, ut potuerit absolutè non exequi: contra verò nos ita obligamur, ad exequendam totam legem nobis impositam, ut non sit in nobis potestas petendæ dispensationis: possumus tamen iidem pro libertate nostra totam legem non exequi, ac proindè peccare non exequendo; imò necessitati sumus moraliter ad prætereundum aliquid legis, & moraliter impotentes adimplere totam legem, ut Christus adimplevit, ad unum iota & unum apicem: sed hæc moralis impotentia nostra stare potest, & reipsa stat, cum vera obligatione adimplendi: quare quæ supra adducebatur Disparitas, inter obedientiam *Christi* & nostram, insufficiens est ad excutiendam à nobis obligationem totius legis adimplendæ, fundatam in Exemplo Christi obedientis, legemque totam ad iota unum & unum apicem exequentis.

Dices 3. Solemnis illa Christi protestatio: *Non veni solvere legem, sed adimplere: Amen quippe dico vobis, donec transeat Cœlum & Terram, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*: alium sensum habet, & longè diversum ab eo, quem ei affingimus: significat enim Christus, se venisse non ad solvendam & evacuandam legem Mozaïcam, quod Judæi calumniabantur, sed potiùs ad eandem fideliter adimplendam, repræsentatâ veritate rerum omnium, quas figuralis illa lex adumbrabat; sanctèque promittit, ea omnia quæ per legem figurabantur, ad unum iota, & unum apicem fore exequenda. Nimirùm, quod ait Apostolus, *omnia in figura contingebant illis*: Christus autem veritas erat per legem figuralem expressus, idemque adventu suo, lege suâ, Mysteriis suis atque miraculis, quidquid in lege veteri de ipso prædictum erat, fideliter implevit, ad unum iota, & unum apicem. Sed quid hoc ad inducendam nobis obligationem legis probabilis, cum libertate æquè probabili concurrentis? Respondeo. Esto, habeat, ut reipsa habet, protestatio illa Christi sensum in objectione propositum, non habet proptereà sensum diversum à nostro: ad legem enim Christo impositam pertinebat lex Mosaica figuralis; eamque legem Christus ad unum iota, & unum apicem adimplevit, aut certè aliquando, donec transeat Cœlum & Terra adimpleturus est: verùm non solùm legem Mosaicam figuralem adimplevit Christus, sed aliam quoque legem, eamque multiplicem, quamcumque ei Pater imposuit: ex obedientia autem illa rigorosa Christi, Exemplaris nostri, totam legem sibi impositam exequentis ad unum iota, & unum apicem, rectè colligitur, esse in nobis debitum obedientiæ rigorosæ, respectu totius legis nobis impositæ: atqui debitum obedientiæ illius rigorosæ importat obligationem non negligendi leges probabiles, cum libertate æquè probabili concurrentes; quia si negligerentur

Non solum legem Mosaicam adimplevit Christus, sed aliam quoque legem, eamque multiplicem.

rentur

rentur eæ leges, jam non unum iota, aut unus apex legis, ſed multiplex vera & magna lex audacter nimis & temere præteriretur: ergo cum ex neceſſitate conformitatis cum Chriſto obediente teneamur, ne unum quidem iota, aut unum apicem legis prȩterire, tenemur non præterire leges probabiles, quas ſi liceret ſolvere, jam non modò iota unum, aut unus apex, ſed magna pars veræ legis caſſa & irrita fieret.

Altera veritas generalis novi Teſtamenti, in qua continetur obligatio ſequendi legem probabilem, in concurſu libertatis æquè probabilis, eſt præceptum illud generale, quo Chriſtus Dominus Legiſlator noſter expreſsè cavet, ne vel unum de mandatis etiam minimis ſolvatur, aut ſolvi poſſe doceatur; & quidem ſub pœna excluſionis à Regno Cœlorum: habetur autem tale præceptum Math. 5. Ubi bonus Dominus, poſtquàm proteſtatus eſt obedientiam ſuam, de noſtra ſolicitus, ſolenniter edicit. *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum: qui autem fecerit, & ſic docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* In quo Chriſti edicto duo nobis præſertim penſanda veniunt. Nam 1. penſanda eſt edicti generalitas, quæ ſe ad omnes extendit, & à qua nemo excipitur *qui ergo ſolverit*, hoc eſt, quicumque. 2. Penſanda gravitas: graviter enim prohiberi ſignificatur, quod ſub pœna privationis Regni Cœlorum prohibetur. *Qui ergo ſolverit minimus vocabitur in Regno Cœlorum*; hoc eſt, nullus, ut paſſim interpretantur Patres & Theologi. Ex quibus duobus bene penſatis ſic arguo pro obligatione mandatorum probabilium, cum libertate ęquè probabili concurrentium. Nam ſi Chriſtus, author Legis novæ, ſeverè prohibuit, ne ſolveretur, aut ſolvi poſſe doceretur vel unum ex mandatis minimis Legis Moſaicæ, quæ mandata *minima* dicuntur, relativè ad mandata legis novæ, longè graviora; quantò magis prohibuiſſe cenſendus eſt, ne ſolvatur, aut ſolvi poſſe doceatur vel unum ex mandatis legis ſuæ Evangelicæ, lege Moſaicà excellentioris: id verò ſi prohibuit, neceſſe eſt, ut prohibuerit uſum & doctrinam probabiliſmi æqualis, ex cujus ſeu uſu, ſeu doctrina ſequi videbat, non unum duntaxat, ſed pleraque legis ſuȩ Evangelicæ mandata fore ſolvenda; cùm in ſerie mandatorum probabilium, concurrentium cum libertate æquè probabili, pleraque ſint mandata vera, evidens eſt, in uſu arbitrario libertatis probabilis, cum mandatis probabilibus concurrentis, neceſſariò eventurum, ut pleraque vera mandata violentur: quare mandato generali, ne ſolvatur, aut ſolvi poſſe doceatur vel unum ex mandatis Evangelicæ legis, intelligitur prohiberi tam uſus, quàm doctrina probabiliſmi æqualis: uſus quidem, quo pleraque mandata ſolverentur; doctrina verò, quâ docerentur ſolvi poſſe.

2. Veritas generalis. Cavet Chriſtus ne vel unum de mandatis etiam minimis ſolvatur aut ſolvi poſſe doceatur.

Duo in hoc Chriſti edicto attendenda, generalitas nimirum edicti, & gravitas.

Dices 1. Præceptum illud generale & reflexum, de mandatis minimis legis Moſaicæ non ſolvendis, nimis obſcurum eſt, & difficile intellectu: nam mandata illa minima, vel reipſa minima ſunt & levia, qualia dicuntur eſſe; vel non ſunt reipſa minima, ſed gravia, quæ minima eſſe dicuntur. Si primùm. Quis ſatis intelligat, tranſgreſſioni illorum irrogari poſſe graviſſimam pœnam, qualis eſt privatio Regni cœleſtis? Si

ſecundùm. Non apparet, quo ſenſu dicantur minima eſſe, quæ minima non ſunt : ergo præceptum illud generale, de mandatis minimis non ſolvendis ; obſcurum & perplexum eſt : ex mandato autem obſcuro & perplexo non videtur confici poſſe aliquid certi, contra uſum, aut doctrinam probabiliſmi æqualis. Reſpondeo. Præceptum illud generale & reflexum, etſi primâ ſui ſpecie præ ſe ferat aliquid obſcuri & perplexi, reipſa tamen, ſi attentè & profundè inſpiciatur, ſenſum habet ſatis clarum & expeditum, eumque geminum. Primus eſt. Si concipiantur mandata illa Moſaicæ legis, quamvis abſolutè & in ſe gravia ſint, minima eſſe reſpectivè ad mandata legis Evangelicæ longè graviora : undè ſtatim apparet, quorſùm tranſgredienti illa minima irrogetur gravis pœna excluſionis à Regno Cœlorum : quia nimirùm illa mandata, quamvis reſpectivè minima ſint, ſunt tamen eadem abſolutè & in ſe gravia, ac proindè tranſgreſſio illorum grave aliquod peccatum eſt, cui gravis pœna debetur. Atque hic ſenſus eſt Auguſtini, docentis, mandata legis Moſaicæ, comparata cum mandatis Evangelicis, minima dici, non obligandi vi, quam & ipſa gravem habent, ſed dignitate & excellentiâ, quâ cedunt mandatis Evangelicæ legis : vetera igitur mandata minima dicuntur, & ſunt ; quia, ut ait Auguſtinus, præmiſſa ſunt ad inchoationem juſtitiæ : nova verò majora ſunt ; quia ſunt veteribus addita, ad juſtitiæ perfectionem. Alter ſenſus eſt. Si dicantur aliqua legis veteris mandata ideo dici *minima* ; quia reipſa minima ſunt, ſeu levia, ac proindè tranſgreſſio illorum præcisè ſumpta, nec grave peccatum eſt, nec gravem pœnam meretur : ſed etſi grave peccatum non ſit, ſolvere unum de mandatis illis minimis, grave tamen aliquid eſt, docere, ſolvi poſſe : ita enim docere, malitiam habet contemptûs & rebellionis adversùs Deum Legiſlatorem : hinc eſt, quòd non dixit Chriſtus : *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in Regno Cœlorum :* ſed copulativè ſubjunxit, *& docuerit ſic homines :* gravem pœnam non primo complexi membro, *qui ſolverit ;* ſed toti complexo apponens ; qui ſolverit, & docuerit ſic homines. Atqui utrolibet ſenſu intelligatur præceptum generale & reflexum, de non ſolvendo vel uno ex mandatis minimis veteris legis, neuter profectò ſatis congruit cum uſu & doctrina probabiliſmi æqualis. Nam 1. ſi Chriſtus prohibuit, ne vel unum mandatum minimum ſolveretur ſub pœna excluſionis à Regno Cœlorum ; quantò magis credendus eſt prohibuiſſe uſum arbitrarium probabiliſmi æqualis ; quo uſu, ſi fortè licitus eſſet, jam non unum mandatum minimum, ſed plura mandata eaque gravia & vera impune ſolverentur ; quotquot nimirùm cum libertate probabili concurrerent mandata probabilia ſimul & vera, cujuſmodi ſine dubio multa occurrerent, in numeroſa ſerie concurrentium. 2. Si docere non licet, ſolvi poſſe unum de mandatis minimis, ut profectò non licet, pronuntiante Chriſto : *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum :* Quantò minùs docere licebit, ex mente Chriſti Legiſlatoris, ſolvi poſſe quæcumque mandata probabilia, cum libertate æquè probabili concurrentia, in quorum

Præceptum illud generale & reflexum ſenſum habet ſatis clarũ, & expeditum.

Mandata legis Moſaicę quamvis reſpectivè minima, ſunt tamen eadem abſolute, & in ſe gravia.

numero necesse est, multa esse non minùs vera, quàm gravia: ergo ex mente Christi Legislatoris, reprobari debet doctrina simul & usus probabilissimi æqualis.

Dices 2. Mandata illa veteris legis, quæ minima dicuntur, videntur reipsâ fuisse minima, non solùm quoad dignitatem & excellentiam, sed etiam quoad vim obligandi, quam nonnisi levem habuerunt, ut vel ex eo patet, quòd illorum transgressioni non decernitur absoluta privatio Regni cœlestis, sed aliqua duntaxat diminutio, secundùm illud: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno Cœlorum.* Namqui dicitur futurus minimus in Regno Cœlorum, innuitur idem in Regno Cœlorum locum aliquem habiturus, sed minimum. Respondeo. Mandata legis veteris, quæ minima dicuntur esse propter imperfectionem suam, & relativè ad mandata legis novæ excellentiora, graviter tamen & ipsa obligabant, ut satis indicat gravis illa pœna transgressoribus taxata: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum: Minimus* enim vocandus idem sonat, ac nullus: quo ferè modo Minimè futurus in Regno Cœlorum, idem est ac non futurus: quæ interpretatio videtur esse Augustini in Sermone de Monte. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic, id est secundùm id quod solvit, minimus vocabitur in Regno Cœlorum; & fortasse ideò non erit in Regno Cœlorum, ubi nisi magni esse non possunt. Hæc est enim Augustini ratiocinatio. Non possunt esse in Regno Cœlorum, nisi magni: qui autem solverit unum de mandatis minimis, & docuerit sic, non erit magnus, sed minimus; soli enim magni futuri dicuntur, qui fecerint, & docuerint sic: ergo qui solverit, & docuerit sic, in Regno Cœlorum non erit. Augustinum sequuntur omnes ferè Interpretes, & censent iidem, minima illa legis veteris mandata habuisse vim graviter obligandi: quare stat totum robur Argumentationis nostræ contra usum & doctrinam probabilissimi æqualis. Nam si Christus præcepto suo generali & reflexo prohibuit, ne vel unum de mandatis illis minimis solveretur, aut solvi posse doceretur, credendus est, simili præcepto mandatis suis Evangelicis providisse, ac proindè prohibuisse usum & doctrinam probabilissimi æqualis, quem si fortè permisisset, jam non unum aut alterum, sed innumera legis Evangelicæ mandata impunè solverentur, aut solvi posse docerentur.

Minima dicuntur non obligandi vi quam & ipsa gravem habent; sed dignitate quâ cedunt mandatis Evangelicæ legis.

Tertia veritas in novo Testamento expressa in favorem legis probabilis contra libertatem æquè probabilem, est necessitas justitiæ in Testamento novo abundantioris, quàm in veteri. Talem autem necessitatem declarat & facit pro sua suprema authoritate ipsemet Christus eodem capite Mathæi 5. his verbis. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Quæ verba diriguntur ad primos Christi Discipulos, novi Testamenti præcones & executores: justitia autem illa, cujus necessitas intimatur Apostolis, opponitur justitiæ imperfectæ Scribarum & Pharisæorum, ad vetus Testamentum pertinentis; eademque novi Testa-

3. Veritas generalis est necessitas justitiæ in novo Testamento abundantioris, quam in veteri.

menti justitia, seu justitia Christianorum, declaratur debere esse abundantior, quàm justitia Testamenti veteris, seu justitia Scribarum & Pharisæorum. Nec solo debito congruitatis, aut judicii simplicis necessaria est ista justitiæ abundantia, sed vero debito strictæ necessitatis, seu præcepti strictè obligantis, idque sub gravi pœna exclusionis à Regno Cœlorum. Quod strictum præceptum considerans Augustinus subtiliter sibi objicit in hunc modum. *Si de illis mandatis minimis cùm superiùs loqueretur Christus Dominus, dixit, minimum vocari in Regno Cœlorum, quisquis unum eorum solverit, & secundùm solutionem suam docuerit; magnum autem vocari, quisquis ea fecerit, & sic docuerit; & ex jam in Regno Cœlorum futurum esse, quia magnus est: quid opus est addi præceptis legis minimis, si jam in Regno Cœlorum potest esse, quia magnus est, quisquis ea fecerit, & sic docuerit.* Nodum hunc solvit, qui texuerat Augustinus. *Quapropter*, inquit, *sic est accipienda illa sententia: qui autem fecerit & docuerit sic, magnus vocabitur in Regno Cœlorum, id est, non secundùm illa minima, sed secundùm ea, quæ Ego dicturus sum: quæ sunt autem ista? Ut abundet justitia, inquit, vestra super Scribarum & Pharisæorum; quia nisi abundaverit justitia non intrabitis in Regnum Cœlorum: ergo qui solverit illa minima, & sic docuerit, minimus vocabitur; qui autem fecerit illa minima, & sic docuerit, non jam magnus habendus est, & idoneus Regno Cœlorum, sed tamen non tam minimus, quàm ille, qui solvit: ut autem sit magnus, atque illi Regno aptus, facere debet, & docere, sicut Christus nunc docet; id est, abundet justitia ejus super Scribarum & Pharisæorum.* Ita nodum solvit Augustinus, non minùs subtiliter, quàm texuit. Stet igitur, pronuntiante Christo, & Augustino interpretante, vera & stricta necessitas justitiæ abundantioris in Testamento novo, quàm in veteri: talis autem necessitas videtur inferre obligationem mandatorum probabilium, cum libertate æquè probabili concurrentium; quia si non esset talis obligatio in Testamento novo, jam non esset in Testamento novo necessitas justitiæ abundantioris, sed sufficeret justitia quædam minùs abundans, quàm in Testamento veteri: nam fuit in Testamento veteri obligatio mandatorum probabilium, ut toto Capite superiori demonstravimus: ergo si in novo non esset eadem, aut gravior, jam permitteretur, ut in eo justitia minùs abundaret, contra edictum illud Christi: *Nisi abundaverit justitia vestra, plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Confirmatur. Ex solicitudide Christi, omnia & singula præcepta, ut ita dicam, circumvallantis, pro assecuranda illorum custodia, & præcavenda omni transgressione. Nam ut præcepto, *Non occides*: Addidit, valli aut muri instar, præceptum de non irascendo: præcepto *Non Mœchaberis*; addidit præceptum de non concupiscendo; & sic de aliis: ita pro assecuranda custodia, & præcavenda transgressione cujuscumque veri mandati sui, cum libertate æquè probabili concurrentis, addere debuit, valli aut muri instar, non modò utilis, sed necessarii, obligationem sequendi probabilitatem mandato faventem, contra libertatem æquè probabilem: talis enim obligatio si deerit, quodcumque mandatum probabile, cum libertate æquè probabili concurrens,

Abundantia illa justitiæ stricti præcepti est.

Stricta illa justitiæ necessitas infert obligationem mãdatorũ probabilium.

transgressioni patebit; nec jam unum aliquod de mandatis minimis, sed pleraque mandata gravia impune solventur, & solvi posse docebuntur, idque quod mirum est, post Christum Doctorem, & in ipso Testamento Novo, in quo justitiæ abundantioris necessitas tam expressè & tam graviter inculcatur.

Dices 1. Obligatio sequendi mandata probabilia, in concursu libertatis æquè probabilis, nihil juvat ad intelligendam necessitatem justitiæ illius abundantioris, quæ dicitur esse propria Testamenti Novi: quod enim utrique Testamento commune est, non potest facere necessitatem justitiæ abundantionis in uno, quàm in altero: utrique autem Testamento, secundùm nos, communis est obligatio mandatorum probabilium, cum libertate æquè probabili concurrentium: ergo vel dicenda est, non fuisse in Testamento veteri, vel confitendum est, non peti ex tali obligatione necessitatem justitiæ abundantioris, quæ propria est Testamenti Novi. Respondeo. Obligationem mandatorum probabilium fuisse in Testamento veteri, ut supra ostensum est: undè inferimus, esse eandem, vel graviorem in Testamento Novo: quia si talis obligatio in Novo Testamento non esset, jam non esset eâ parte necessitas justitiæ abundantioris, sed minùs abundantis in Testamento Novo, quàm in veteri: siquidem in eo Testamento, cæteris paribus, minùs debet abundare justitia in quo debet esse minùs accurata observatio mandatorum: atqui si in Testamento veteri fuerit obligatio mandatorum probabilium, & non sit eadem in Novo, jam in Novo Testamento minùs accurata esse debet observatio mandatorum, quàm in veteri: ergo in Testamento Novo minùs debet abundare justitia: quòd si minùs abundare debet, jam non debet esse justitia abundantior. Hæc est ratiocinatio nostra, in qua, ut nobis quidem videtur, satis omnia cohærent.

Dices 2. Pro excellentia Testamenti Novi satis non est, ut in eo debeat justitia non esse minùs abundans; sed debet esse in eodem justitia abundantior, ut fert voluntas Christi formalis & expressa: *Nisi abundaverit justitia vestra, plùs quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum:* atqui non intelligitur esse in Testamento Novo justitia abundantior, quàm in veteri, præcisè ex obligatione mandatorum probabilium, quæ veteri etiam Testamento communis est: ergo aliundè quærenda nobis est necessitas justitiæ illius abundantioris, quæ propria est Testamenti Novi. Respondeo. Debet, fateor, in Novo Testamento abundantior esse justitia, quàm in Testamento veteri; nec satis est, ut non sit minùs abundans; eaque necessitas justitiæ abundantioris non petitur præcisè ex obligatione mandatorum probabilium, quæ utrique Testamento communis est; sed ex multis aliis capitibus. Et 1. quidem ex dignitate Christi, qui Novi Testamenti Mediator est, requirens in Fidelibus suis justitiam abundatiorem. 2. Ex perfectione & excellentia mandatorum, quæ Christus discipulis suis præscripsit, & ex quorum fideli observatione fit justitia abundantior. 3. Ex uberiore influxu capitis in membra sua: Christus enim & caput nostrum est, & nobis membris suis abundantiorem gratiam donat, quàm antiquis; nec tamen indè

Unde petitur necessitas justitiæ abundantionis.

1. Ex dignitate Christi.

2. Ex perfectione mandatorum.

3. Ex ube-

riore influxu capitis in membra sua.

enervatur vis Argumenti nostri pro obligatione mandatorum probabilium, sed firmatur magis; & roboratur: ex majore enim dignitate Legislatoris; ex majore mandatorum perfectione & excellentia; ex majore abundantia gratiæ, intelligitur fieri necessitas quædam major justitiæ abundantioris, ac proindè strictior obligatio exequendi accuratè omnia Christi mandata, & quod est consequens, obligatio gravior exequendi mandata probabilia, cum libertate æquè probabili concurrentia: nam si non esset ea obligatio, jam non esset in Testamento Novo justitia abundantior, sed minùs abundans, quàm in Testamento veteri.

Hinc obligatio gravior exequendi mandata probabilia.

Dices 3. Mandata legis veteris jam pridem fuere abrogata: ergo ex illis jam nihil concludi potest pro obligatione mandatorum probabilium, cum libertate æquè probabili concurrentium. Respondeo 1. Nego Antecedens universaliter sumptum: pleraque enim mandata vetera supersunt hodieque, & vigent etiam in Testamento Novo; quia pleraque pertinent ad legem naturalem utrique Testamento communem: lex enim naturalis abrogata non fuit, imò nec abrogari potuit, in Testamento Novo non minùs vigens quàm in veteri. Exemplum sit in mandatis: *Non occides: Non Mæchaberis: Non furtum facies:* aliisque ejusmodi mandatis naturalibus. *Minimum est*, inquit Augustinus, *non occidere, & qui illud solverit, minimus vocabitur in Regno Cœlorum: qui autem illud impleverit, ut non occidat, non continuò magnus erit, & idoneus Regno Cœlorum; sed tamen ascendit aliquem gradum: perficitur autem, si nec irascitur sine causa; quòd si perficitur, remotior erit ab homicidio: quapropter qui docet, ut non irascamur, non solvit legem, ne occidamus, sed implet potiùs. ut & foris, dum non occidimus, & intus, dum non irascimur, innocentiam custodiamus.* Respondeo. Nego consequentiam: ex mandatis enim illis minimis, nunc quidem fortè abrogatis, sed olim ante abrogationem suam obligantibus, inferri potest hodierna obligatio mandatorum probabilium, cum libertate æquè probabili concurrentium: nam si Deus minima illa mandata, antequàm abrogarentur, tam exactè servari voluit, ut prohibuerit, ne vel unum ex illis solveretur, aut solvi posse doceretur, præsumendus est idem, qui se ipse negare non potest sapientissimus Legislator, præcepisse omninò, ut mandata Legis Evangelicæ, veteribus excellentiora, non minùs accuratè serventur, ac proindè prohibuisse, ne vel unum ex his solvatur, aut solvi posse doceatur: quod si fecit, consequens est, ut mandata probabilia eodem præcepto suo concluserit: nam si non conclusisset, necessariò eveniret, ut jam non modò unum alterumve sed pleraque magna & vera mandata impune solverentur, & solvi posse docerentur; id quod monstrosum foret in Testamento Novo justitiæ abundantioris Testamento.

Omnia veteris legis mandata non fuere abrogata.

ARTICULUS TERTIUS.

TERTIUM ARGUMENTUM,

Ducuntur ex Testamento Novo conjecturæ aliquot pro obligatione mandatorum probabilium cum libertate æquè probabili concurrentium.

Conjectura duplex ex novo Testamento petita.

SUfficient conjecturæ duæ: una negativa; altera positiva; ex quibus Principia generalia supra tradita lucem simul & robur accipient.

Prima conjectura ex eo ducitur, quòd in Testamento Novo nullibi legatur excepta obligatio mandatorum probabilium in concursu libertatis æquè probabilis: undè sic argumentor. Præcipitur generatim in Testamento Novo observatio omnium mandatorum Christi: nam Christus ipse Matth. 28. Discipulis suis in Montem, ubi constituerat, congregatis, exindè in Cœlum ascensurus, Evangelium suum concludit in hunc modum. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Cujus conclusionis hæc summa, hic sensus est. Ego Dominus Cœli & Terræ omnipotens; data est enim mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra: pro suprema igitur potestate mea præcipio vobis 1. Ut omnes gentes instruatis de doctrina mea Evangelica, quam vobis tradidi: *euntes ergo docete omnes gentes.* Præcipio 2. Ut instructos baptizetis juxta formulam à me præscriptam: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Præcipio 3. Ut baptizatis accuratam meorum omnium mandatorum observationem intimetis: *Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis:* Onus enim Baptismi est accurata observatio totius legis. Hæc autem omnia quò fideliùs & efficaciùs exequamini, nolite me reputare absentem; adero enim vobis inspector simul & adjutor: *Et ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Atqui cùm ita mandaret Dominus prævidebat futurum, ut venturis temporibus pleraque mandata sua obscurarentur, & fierent merè probabilia, quæ clarè & distinctè proponebat; ea tamen ab obligatione non excepit, excepturus haud dubiè, si in statu probabilitatis obligare noluisset: ergo ea ipsa in statu probabilitatis obligare voluit, & meritò quidem pro sua sapientia; ne pleraque mandata sua neglecta & inobservata remanerent: quod voluisse, aut permisisse incredibile est, nec satis dignum providentia sapientissimi Legislatoris.

1. Est nullibi legitur excepta obligatio legum probabilium in concursu libertatis æquè probabilis.

Dices 1. Christus Legislator noluit mandata sua habere vim obligandi, nisi eo modo proponerentur, quo modo ipse ab initio proposuit: proposuit autem ipse modo certo & evidenti: ergo ut habeant hodieque vim obligandi, modo certo & evidenti proponi debent; quo tamen modo non proponuntur ea mandata, quæ merè probabilia sunt, & cum

libertate probabili concurrunt; proponuntur enim modo incerto duntaxat & inevidenti: ergo noluit Christus mandata sua eo modo proposita obligare. Respondeo. Nego Majorem universaliter sumptam: nam quæ mandata ipse Christus per se & immediatè proposuit Apostolis suis, voluit deinceps, ut per Apostolos, & Apostolorum successores toti Fidelium posteritati proponerentur, eademque sufficienti modo proposita, vim obligandi haberent: atqui mandata probabilia, & cum libertate æquè probabili concurrentia, etsi modo certo & evidenti non proponantur, proponuntur tamen modo sufficienti ad obligandum; quia ita proponuntur, ut clarè appareat ea non posse negligi absque periculo probabili negligendi vera aliqua Dei mandata: ex quo enim mandata probabilia negliguntur, tam probabile est periculum negligendi vera aliqua Dei mandata, quam probabile sit, ipsa quæ negliguntur esse vera aliqua Dei mandata; quia certum est, esse eadem mandata probabilia: ergo certum est, eadem negligi non posse absque periculo probabili negligendi vera aliqua Dei mandata; quod periculum subire vetuit sapientissimus Legislator; & ideò vetuit pro sua sapientia, quia vetare debuit, ne scilicèt pleraque vera mandata sua neglecta & inobservata remanerent.

Mandata probabilia proponuntur modo sufficienti ad obligandum

Clarè apparet ea nō posse negligi absque periculo probabili negligendi vera aliqua mandata.

Dices 2. Ex intentione sapientissimi Legislatoris mandata simpliciter & invincibiliter ignorata non obligant: sapientissimus enim Legislator, nec voluit, nec velle potuit, ut ea obligarent. Atque hinc est, quòd utraque lex, seu vetus, seu nova solenniter promulgata fuerit; una in Monte Sinaï; altera in Monte Galileæ; utraque in loco sublimi & excelso; idque non solùm in testimonium eminentis excellentiæ, sed etiam in testimonium evidentiæ omnibus conspicuæ: Hinc item est illud Christi edictum. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Atqui mandata probabilia habent se, ut simpliciter & invincibiliter ignorata: nam & ipsa ignorantur invincibiliter, & simpliciter esse nesciuntur; quippe quæ post quamcumque inquisitionis diligentiam adhibitam, non magis apparent esse, quàm non esse. Respondeo. Mandata quidem simpliciter & invincibiliter ignorata nec obligant, nec obligare possunt: sed mandata probabilia dici non possunt simpliciter & invincibiliter ignorata: nam eo ipso quòd probabilia sunt, satis sciuntur in ordine ad obligandum, si non ratione ipsorum, saltem ratione alicujus legis reflexæ, de non subeundo periculo probabili transgrediendi verum aliquod Dei mandatum; quæ lex reflexa cùm sit evidens, transgressionem mandati directi probabilis facit evidenter illicitam, quia fieri non potest transgressio mandati directi probabilis, quin subeatur eo ipso periculum probabile violandi verum aliquod Dei mandatum: tale autem periculum subire, evidenter illicitum est.

Mandata probabilia dici non possunt simpliciter & invincibiliter ignorata.

Dices 3. Habent se mandata, ut dogmata: nam sicut mandata obedientiam, ita dogmata fidem requirunt: ergo sicut dogmata merè probabilia non requirunt necessariò fidem, seu assensum, ita mandata probabilia non requirunt necessariò obedientiam. Respondeo. Nego Antecedens. Est enim diversa ratio mandatorum & dogmatum: nam mandatis quidem probabilibus debetur vera aliqua obedientia, ne si fortè negabitur,

Non habent se mādata ut dogmata.

bitur, ſubeatur periculum probabile violandi verum aliquod Dei mandatum; eaque obedientia ſecurè præſtari poteſt, abſque ullo ſeu peccandi, ſeu errandi periculo: ſed dogmatibus probabilibus, ſeu probabiliter tantùm revelatis, non debetur vera fides divina; quia vera fides divina, eſt fides aliqua firma & irrevocabilis, qualem profectò non merentur dogmata probabilia, ſeu probabiliter tantùm revelata. Ratio ulterior eſt. Quia ut prudenter imperetur fides firma & irrevocabilis, præire debet judicium evidens prudentis credibilitatis; quod judicium haberi non poteſt reſpectu dogmatum merè probabilium: judicium enim evidens prudentis credibilitatis fundatur in apparentia divinæ revelationis tali ac tanta, ut ei moraliter ſubeſſe falſum non poſſit, qualem apparentiam non habet revelatio duntaxat probabilis: ergo dogmata merè probabilia ſeu probabiliter duntaxat revelata credi non poſſunt verâ fide divina, quæ firma ſit & irrevocabilis. Sed mandatis probabilibus obediri poteſt verâ aliquâ obedientiâ: quia mandata ex quo probabilia ſunt, verè obligant: nam ſi non obligarent, jam liceret ſubire periculum probabile violandi verum aliquod Dei mandatum; quod periculum ſubire vetat lex generalis reflexa, eaque ſatis apparens, ex idea reverentiæ debitæ Deo Domino ſupremo Legiſlatori.

Dogmatibus probabiliter tantum revelatis non debetur vera fides divina.

Inſtabis. Non plùs debetur reverentiæ Deo aliquid mandanti, quàm debeatur Deo aliquid revelanti: ergo ſi reverentia debita Deo aliquid revelanti, non fundat in creatura obligationem ſubmittendi ſe revelationi duntaxat probabili; reverentia debita Deo aliquid mandanti non fundat quoque in creatura obligationem obediendi mandato divino duntaxat probabili. Confirmatur. Quia ſi poteſt creatura ſubire periculum probabile contradicendi revelationi alicui divinæ verè exiſtenti, non apparet, cur non poſſit eadem ſubire periculum probabile tranſgrediendi mandatum aliquod divinum verè exiſtens. Reſpondeo. Longè diverſa eſt ratio mandati & revelationis: nam ubi probabilitas exiſtentiæ revelationis concurrit cum æquali probabilitate non exiſtentiæ, præſtat, ex lege prudentiæ ad vitandum errorem, judicium omne ſuſpendi: alterutra enim pars judicetur, erroris periculum eſt, viro ſapienti, ſi fieri poteſt, prudenter vitandum. At verò ubi probabilitas mandati concurrit cum æquali probabitate libertatis, debet creatura ex affectu obediendi, fideliter exequi, quod probabiliter mandatum eſt; quia in tali executione nihil periclitatur, periclitatura tranſgreſſionem veri alicujus mandati, ſi non exequeretur: ſed ſi, ut debet, exequatur, vide quàm cautè ſe gerat in toto illo obedientiæ ſuæ negotio. 1. Enim errorem cavet, abſtinens ſe à judicando ſeu exiſtentiam, ſeu non exiſtentiam mandati probabilis; contenta nimirùm judicare ſolam probabilitatem, quæ certa eſt. 2. Vitat omne peccandi periculum; certa, in exequendo mandato probabili, nullum eſſe peccatum. 3. Certò ſcit, ſe honeſtè & religioſè operari; quia certò ſcit, placere Deo, ne ſubeatur periculum probabile tranſgrediendi verum aliquod Dei mandatum.

Altera conjectura ducitur ex proprio charactere Teſtamenti Novi: habet enim Teſtamentum Novum, ut ſit lex perfecta juxta illud Jacobi 1.

2. Conjectura du-

citur ex proprio charactere Novi Testamenti.

Est enim Novum Testamentum lex perfecta libertatis.

Qui perspexerit in legem perfectam libertatis. Quare proprius Testamenti Novi character, est perfectio, tam absoluta, quàm respectiva: respectiva quidem, seu relativa ad Testamentum vetus: quia vetus Testamentum delineatio quædam & adumbratio justitiæ fuit; Testamentum verò Novum justitiæ perfectio & consummatio est: atqui ex proprio illo Novi Testamenti caractere fit statim Conjectura vehemens, in favorem obligationis mandatorum probabilium: nam si in ipso Testamento veteri, Testamento rudi & imperfecto, in quo delineabatur duntaxat & adumbrabatur justitia, viguit nihilominùs obligatio legum probabilium; quantò magis vigere credenda est in Testamento Novo, in quo debet justitia perfici & consummari. Sed si attentè consideretur perfectio & excellentia absoluta Testamenti Novi, quam notat singulatim Apostolus in tota sua Epistola ad Hebræos, Conjectura nostra magis ac magis omni ex parte firmabitur.

Egregiè notat Paulus tota sua Epistola ad Hæbræos perfectionem illam & excellentiam.

1. Ratione dignitatis Christi mediatoris.

Ac proinde legum probabiliū.

Observat enim 1. Apostolus, Testamenti Novi Mediatorem esse, non Angelum, aut unum aliquem de administratoriis spiritibus, sed ipsum Dei Filium Jesum Christum, *quem constituit Pater hæredem universorum, per quem fecit & sæcula; qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Ita ille. Capite 1. Epistolæ suæ. Ex hac autem Mediatoris nostri excellentia concludit Apostolus Capite 2. accuratiorem esse debere Legis novæ observationem. *Propterea*, inquit, *oportet abundantiùs observare nos, ea quæ audivimus, ne pereffluamus: si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem; quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est; contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem.* Atqui non haberetur abundantior illa legis nova observatio, quam declarat Apostolus esse debitam reverentiæ excellentissimi Mediatoris; non haberetur inquam, si fieret venia legum probabilium: ex tali enim venia fieret, ut pleræque veræ leges negligerentur, & inobservatæ abirent contra voluntatem Dei, & non sine injuria aliqua Mediatoris.

2. Ratione specialis dedicationis Novi Testamenti.

Secundò. Observat idem Apostolus capite 9. ejusdem Epistolæ Testamentum Novum, non in sanguine brutorum animalium, ut Testamentum vetus, sed in proprio sanguine ipsius Christi, Agni immaculati, fuisse dedicatum, ac proindè longè potentius esse ad sanctificandum: *Christus enim inquit, assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventâ: si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad*

serviendum Deo viventi. Atqui specialis illa Novi Testamenti dedicatio videtur exigere à nobis, Testamenti Novi hæredibus, & majorem gratitudinem erga Christum Testatorem & diligentiorem peccati fugam, & accuratiorem legis novæ executionem: ergo videtur obligare nos, ut probabilem cujuscumque prævaricationis umbram, seu quodcumque probabile peccati periculum fugiamus; ac proindè non patitur, ut transgrediamur leges probabiles; nam si transgrederemur, subiremus eo ipso periculum veræ alicujus prævaricationis. Hinc erga Christũ major gratitudo, & diligentior peccati fuga.

Tertiò. Observat insuper in eadem Epistola Capite 8. perfectiora esse mandata Testamenti Novi, quàm Testamenti veteris; idque notat promissum esse per Jeremiam Prophetam Capite 13. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, super domum Juda Testamentum Novum; consummabo, inquit, seu perfectissimum dabo.* Atque hinc est, quòd Christus ipse melioris Testamenti Mediator & Sponsor, mandata Testamenti veteris minima appellaverit, comparata scilicèt cum mandatis Novi Testamenti, majoribus & perfectioribus: atqui mandatis perfectioribus debetur non solùm major aliqua reverentia, sed etiam diligentior custodia quàm mandatis rudibus & imperfectis: ergo si ne minima quidem mandata probabilia Testamenti veteris negligere licebat, ut supra suo loco diximus; quantò minùs negligere licebit mandata probabilia Testamenti Novi longè perfectiora. 3. Ratione mandatorum quæ sunt perfectiora. Hinc mãdatis perfectioribus debetur diligentior custodia.

Quartò. Observat idem Apostolus eodem Capite 8. in Testamento Novo, quod Testamentum gratiæ dicitur, præsto esse gratiam abundantiorem, pro fideli observatione mandatorum. *Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus* Jerem. 13. *dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas; & ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum.* Quasi diceret, jam non in tabulis lapideis, ut olim, sed in tabulis cordis carnalibus leges meas scribam, & superscribam, gratiâ meâ interiore illuminante clariùs, & vehementiùs inspirante: atqui ex abundantia gratiæ, quæ Novi Testamenti propria est, intelligitur esse major quædam obligatio servandi leges: obligatio enim servandi leges eò fit major, quò major præsto est gratia ad leges servandas: quia cæteris paribus eò minùs excusabilis est trangressio legis, quò facilior est legis impletio: ergo si in veteri Testamento, ubi auxilium gratiæ & debilius erat, & rarius, non excusabantur tamen mandatorum probabilium transgressores; quantò minùs excusabuntur in Testamento Novo, ubi gratia abundantior & fortior est: quare ut verè dixit alicubi Apostolus in suo sensu: ubi superabundavit delictum, superabundavit & gratia: possumus & nos verè dicere in sensu nostro: ubi gratia superabundaverit, ibi quoque delictum abusu gratiæ superabundaturum. 4. Ratione gratiæ abundantioris pro observatione mandatorum. Hinc major obligatio servãdi leges.

Quintò. Observat, Testamentum Novum, repromissionis Testamentum esse in melioribus repromissionibus sancitum, in quo scilicèt non caduca & temporalia bona, sed cœlestia & æterna promittuntur: ideò enim Christus Novi Testamenti Mediator est, *ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissio-* 5. Ratione amplioris repromissionis hæreditatis.

nem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Ex ampliori autem & meliori repromissione Testatoris nascitur in hęredibus major obligatio gratitudinis erga Testatorem, & fidelitatis, in testamenti onere exequendo: quo ferè modo ab operariis eò plùs operæ & laboris exigitur, quò plùs stipendii & mercedis iisdem promittitur: ergo cùm in Testamento Novo plùs stipendii & mercedis promittatur observantibus legem Dei; ex ipsa promissione imponitur gravior obligatio legis divinę fideliùs & accuratiùs exequendæ: quare si in Testamento veteri, in quo minùs erat stipendii & mercedis, fuit tamen obligatio legum probabilium; vigere debet eadem in Testamento Novo, idque jure tantò potiori, quantò potior merces Testamenti Novi hæredibus & executoribus repromissa.

Hinc major fidelitas in onere testamenti exequendo.

6. Ratione severioris animadversionis in trãsgressores legis novæ.

Sextò denique. Observat Apostolus, in Testamento Novo graviùs puniri transgressionem legis quàm in veteri: nam inquit Capite 10. *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Ex graviore autem pœna transgressioni legis Evangelicæ debita, intelligitur gravior esse culpa transgressionis: ex majore autem gravitate culpæ, rectè infertur gravior aliqua legis violatæ obligatio: ergo ex sensu Apostoli gravior est Legis novæ obligatio, quàm veteris: quantò autem gravior est obligatio Legis novæ, tantò solicitiùs caveri debet, ne lex nova violetur: ergo cavendum est, ut lex nova ne in ipso quidem statu suæ probabilitatis, violetur: id enim si non caveretur, jam minùs aut certè non magis caveretur Legis novæ trangressio, quàm veteris, quam tamen magis cavendam esse multis & tam gravibus observationibus inculcat Paulus Apostolus.

Hinc solicitius caveri debet ne lex violetur.

Dices. Mirabiles quidem sunt observationes Apostoli pro demonstranda Legis Evangelicæ perfectione: sed quæ indè ducitur à nobis Conjectura pro statuenda obligatione mandatorum probabilium, cum libertate æquè probabili concurrentium, videri potest & nimis levis esse, & longiùs quæsita, & parum efficax: nam sine tali obligatione mandatorum probabilium, & stare potest tota perfectio Legis Evangelicæ, & cum tali obligatione non videtur ea perfectio stare posse: Lex enim Evangelica; quam appellat Jacobus Apostolus, *legem perfectam libertatis*, ita perfecta est, ut sit eadem lex libertatis, ac proindè minùs dura, & minùs libertatem ligans, quam Lex Mosaïca, quæ fuit Lex servitutis: sed si Lex Evangelica obligationem faceret mandatorum probabilium, cum libertate æquè probabili concurrentium, jam durior esset, aut certè non minùs dura, quàm Lex Mosaïca, & quod est consequens, non tam Lex libertatis esset, quàm servitutis: ergo, ut vides, ex ipso caractere Legis Evangelicæ non tam argui potest obligatio mandatorum probabilium, quàm libertas, seu immunitas à tali obligatione; id quod facilè intelliget, quicumque perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea; nec bonos Fideles imaginariâ obligatione illaqueabit. Respondeo. Ex mirabilibus Apostoli observationibus, de perfectione tum ab-

ſoluta, tum reſpectiva, qua proprius novi Teſtamenti caracter eſt, rectè conjicitur, eſſe in novo Teſtamento obligatio mandatorum probabilium: nam ſuprema illa dignitas Chriſti Mediatoris, & ſponſoris novi Teſtamenti; ſpecialis illa novi Teſtamenti dedicatio; perfectiora illa novi Teſtamenti mandata; præcipua illa gratiæ abundantia, pro fideli obſervatione mandatorum; melior illa & amplior æternæ hæreditatis repromiſſio, quæ fit in novo Teſtamento; gravior illa animadverſio in tranſgreſſores novi Teſtamenti; illa inquam omnia, ab Apoſtolo diligenter notata, & graviter inculcata, conjecturam facere videntur, eamque non levem, aut longiùs quæſitam: ſed vehementem & ultroneam, ex ipſis, ſi ita loqui licet, cauſæ viſceribus ſponte venientem, in favorem obligationis mandatorum probabilium in novo Teſtamento vigentis; id quod, ut ſpero ſentiet, quicumque bonus conjector eſt. Nam quod additur ex Apoſtolo Jacobo, legem Evangelicam, eſſe legem perfectam libertatis, ac proindè minùs duram, & libertati magis favorabilem, veriſſimum eſt, quatenus per legem Evangelicam facta eſt nobis multiplex & pretioſa libertas. Cujuſmodi eſt 1. Libertas à poteſtate diaboli: in novo enim Teſtamento erepti ſumus à Deo de poteſtate tenebrarum, & tranſlati in Regnum Filii dilectionis ſuæ. 2. Libertas à ſervitute peccati: eò enim ſpectat lex Evangelica, ut liberi facti juſtitiæ, jam non ultra peccato ſerviamus. 3. Libertas à jugo Legis Moſaïcæ, importabili jugo, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuerunt, ut teſtatur Paulus Apoſtolus. Jam enim non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, quâ libertate Chriſtus nos liberavit. Quare lex Evangelica & minùs dura eſt, & veræ libertati magis favorabilis, quatenus facit nos, & minùs obnoxios tyrannicæ dæmonis poteſtati, quem Chriſtus fortior ligavit, & minùs ſubditos peccato, quod gratia Chriſti aut ſanavit, aut præoccupavit, & minùs oneratos legalibus ancillæ Synagogæ cerimoniis, quas magna ex parte Legiſlator noſter abrogavit. Eſt igitur lex Evangelica, lex libertatis; ſed ita libertatis lex eſt, ut ſit eadem perfecta, ſeu perfectum faciens, quod non facit lex vetus, imperfecta, & nihil ad perfectum adducens, ut expreſsè notat Apoſtolus: atqui ut perfecta ſit, & ad perfectum adducat lex Evangelica, neceſſe videtur, ut præcipiatur in ea accuratior obſervatio mandatorum, ac proindè fiat gravior quædam obligatio mandatorum probabilium; quia niſi fieret, vix ac ne vix quidem ſperari poſſet accuratior mandatorum obſervatio: pleraque enim mandata impune præterirentur, & obtentu libertatis probabilis concurrentis evacuarentur.

Quo ſenſu lex Evangelica eſt lex perfectæ libertatis.

CAPUT QUINTUM.

ARGUMENTATIO QUINTA.

Pro obligatione mandatorum probabilium concurrentium cum libertate æquè probabili ex Regulis Canonicis & Magistralibus.

Quid regulæ canonicæ, & magistrales.

JAm satis, credo, ostendimus utrumque Testamentum, seu vetus, seu novum, favere vehementer obligationi mandatorum probabilium: si quid tamen adhuc obscuri, incerti, aut dubii supersit, totum, ut spero, per Regulas Canonicas & Magistrales illustrabitur, determinabitur, confirmabitur. Dicuntur autem Regulæ canonicæ & magistrales, primariæ quædam & fundamentales Regulæ, vel à Conciliis, vel à Pontificibus, vel à Patribus, primis & probatissimis morum Magistris præstitutæ aut usurpatæ ad mores Fidelium dirigendos: quas ego Regulas, paucas quidem, sed selectas, omninò duas, ad quas cæteræ reducuntur, repræsentare habeo. Prima est. In dubiis sequendam esse partem tutiorem. Altera. Peccatum esse in materia morali certis incerta præponere. Atque in his duabus Regulis verè canonicis & magistralibus, in unam eandemque veritatem conspirantibus, tota hęc Argumentatio nostra versabitur.

Duæ insignes.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Regula Canonica, in dubiis tutior pars est eligenda.

Regula canonica. *In dubiis tutior pars est eligenda.*

HAbetur ea Regula sparsa in Jure Canonico iisdem omninò verbis, aut æquivalentibus; eademque passim adhibetur, ad controversias, seu juris, seu facti, decidendas. Pauca quædam subjicio Exempla decisionum in Regula fundatarum. Nam capite *Juvenis.* De sponsalibus proponitur Eugenio II. An juvenis separari deberet à puella quam sibi uxorem duxerat, dubius tamen an sponsalia contraxisset cum Consobrina puellæ; undè fiebat dubius valor Matrimonii cum puella subsecuti, & fortè irriti ex impedimento publicæ honestatis; quod impedimentum ante Tridentinum ad quartum usque gradum protendebatur. Decidit verò Eugenius, juvenem à puella separari debere. Ratio decisionis fuit. Quia *in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Quod principium inculcat adjuncta Glossa. *Notandum ergo, quod in dubiis semper tenendum est, quod securius est & certius.* Capite *Dominus* de secundis Nuptiis. Proponitur Lucio III. An posset debitum conjugale exigere

Varia regulæ exempla.

qui post initas nuptias dubitaret de morte prioris conjugis. Respondet Lucius non posse; idque ut habet Glossa *propter conscientiam dubiam ex probabili causa.* Nimirùm tutius fore si abstineret ab exigendo debito, nec se probabili periculo adulterandi exponeret. Capite *Inquisitioni.* De sententia Excommunicationis. Interrogatur Innocentius III. An possit petere debitum conjugale qui debitat de valore Matrimonii sui ex rationabili causa, seu ex credulitate probabili & discreta. Respondet Innocentius, idem quod Lucius, non posse; & quidem propter eandem rationem, conscientiam scilicèt dubiam ex rationabili causa; quam conscientiam non potest non habere, qui de valore contractûs Matrimonii dubius est. Capite *Ad audientiam* de Homicidio. Clemens III. cùm audivisset, dubium esse an Presbyter famulum suum inflicto vulnere occidisset, abstinere præcipit à ministerio sacrorum Ordinum: eâ ratione, quòd *in dubiis*, inquit, *semitam eligere debemus tutiorem.* Capite *significasti.* Eodem Titulo de Homicidio. Ex eadem Regula declarat Innocentius III. habendum esse pro homicida Sacerdotem, de quo dubitatur an esset homicida, eundemque ab officio Sacerdotali propterea abstinendum. *Cùm in hoc casu*, inquit, *cessare sit tutius, quàm temere celebrare: pro eo quòd in altero nullum; in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Capite *Petitio.* Eodem Titulo Honorius III. eidem Regulæ insistens mandat, Presbyterum dubitantem an esset irregularis ex aliqua percussione in quodam conflictu, mandat inquam, habere se pro irregulari, &, si de cujusquam interfectione, in tali conflictu facta, sua ipsum conscientia remorderet, à ministerio Altaris abstinere. *Cùm sit consultius*, inquit, *in homicidio dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* Cui Pontificis mandato addit Glossa. *Notandum, quòd in dubiis via tutior est eligenda.* Stet igitur probatum, Regulam de parte tutiore in dubiis eligenda, regulam esse verè canonicam: in æquali autem probabilitate legis & libertatis occurrit casus Regulæ; quia occurrit casus dubii verè & propriè dicti: æqualitas enim rationum hinc indè æquiponderantium, verum & propriè dictum dubium facit, non minùs libertatis quàm legis: ergo in æquali probabilitate legis & libertatis eligenda est pars legis, non pars libertatis: pars enim legis evidenter tutior est; in qua scilicèt sequenda nullum apparet esse peccati periculum: pars autem libertatis est evidenter minùs tuta; in qua scilicèt sequenda, magnum & probabile peccandi periculum rationabiliter timetur.

In æquali probabilitate legis & libertatis occurrit casus dubii verè & propriè dicti.

Objicies 1. Regula, de parte tutiore in dubiis eligenda, videtur magis esse consilii, quàm præcepti; id quod significant ipsa Regulæ verba: nam ubi pars tutior concurrit cum parte minùs tuta, pars minùs tuta non desinit tuta esse; minùs quidem tuta, quàm pars adversa tutior, sed tamen verè tuta: nam si verè tuta non esset, jam nec minùs tuta dici posset. Quòd si verè tuta est pars minùs tuta, etiam in concursu tutioris, jam non est obligatio sequendi tutiorem: nam si esset obligatio sequendi tutiorem, jam non liceret sequi minùs tutam, ac proindè minùs tuta verè tuta non esset, contra hypothesim: neque enim dici potest pars esse verè tuta, quam sequi non licet: licet igitur sequi partem minùs tutam, ac

proindè non eſt obligatio ſequendi tutiorem. Confirmatur. Habet ſe pars tutior ad minùs tutam, ut ſe habet majus bonum, ad bonum minus, in concurſu autem boni majoris licet eligere bonum minus relicto majore: ergo & in concurſu partis tutioris, licet eligere partem minùs tutam tutiore relictâ. Ex quo principio ſtatuit ſapienter S. Antoninus: in dubiis ſemitam tutiorem eligere, non eſſe præcepti ſed conſilii; Exemplum afferens in via ſæculi, & in via Religionis, quæ viæ, ambæ quidem bonæ ſunt, ambæ tutæ; una tamen melior & tutior eſt quàm altera: nam via Religionis melior & tutior eſt quàm via ſæculi; neque propterea eſt obligatio eligendi viam religionis præ via ſæculi; licet enim ſequi viam ſæculi minùs bonam & minùs tutam, relictâ viâ Religionis meliore & tutiore: ergo ſimiliter in dubio legis & libertatis, etſi melius ſit & tutius ſequi viam legis; minùs autem bonum & minùs tutum ſit viam libertatis ſequi: nihilominùs tamen licebit ſequi alterutram; ſeu viam legis, poſthabitâ libertate; ſeu viam libertatis, poſthabitâ lege. Reſpondeo.

Regula illa conſilii tantum eſt ſi pars minus tuta concurrat *poſitivè* cũ parte tutiore.

Pars minùs tuta intelligi poteſt concurrere cum parte tutiore dupliciter; vel poſitivè; vel negativè: poſitivè quidem, ſi utraque ſupponatur tuta eſſe; ſed una magis tuta, quàm altera; quia per utramlibet ita poteſt ad metam perveniri, ut per unam ſecuriùs perveniatur quàm per alteram: quo modo ſe habent via Religionis & via ſæculi: utraque enim tuta eſt, quia poteſt per utramque ad ſalutem perveniri; ſed una tutior eſt, & altera minùs tuta: nam via Religionis tutior eſt; quia per illam ſecuriùs & minore periculo ad ſalutem pervenitur: via autem ſeculi eſt minùs tuta; quia per illam ad ſalutem quidem perveniri poteſt, ſed difficiliùs & majore periculo. Dico autem, quando pars tutior concurrit cum parte minùs tuta *poſitivè*, conſilii eſſe non præcepti partem tutiorem ſequi: licet enim ſequi partem minùs tutam; ſed melius eſt ſequi tutiorem, ut declarat Apoſtolus in exemplo vitæ cœlibis conjugatę. Nam qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, meliùs facit. Secutus autem Apoſtoli mentem S. Antoninus, rectè decidit; in dubiis ſemitam tutiorem eligere, conſilii eſſe, non præcepti. Sed quando pars tutior concurrit cum parte minùs tuta *negativè* hoc eſt non tuta, jam non licet ſequi minùs tutam, ſed eſt obligatio ſequendi tutiorem.

Sed præcepti eſt ſi concurrat *negativè*.

Atque hîc locum habet Regula Canonica: *In dubiis tutior pars eſt eligenda:* in dubio autem legis & libertatis, pars libertatis eſt minùs tuta negativè, hoc eſt non tuta; quia in ea ſequenda reperitur periculum probabile violandi veram aliquam legem: ergo in tali dubio non licet operari ſecundùm libertatem, ſed eſt obligatio operandi ſecundùm legem; quia in dubiis tutior pars eſt eligenda; pars autem legis tutior eſt, & ſola tuta: nam pars libertatis minùs tuta eſt, hoc eſt non tuta.

Objicies 2. Regula de parte tutiore in dubiis eligenda videtur locum habere in dubio facti duntaxat, non in dubio juris, ut vel hinc patet, quòd in reſponſis Pontificum uſurpata reperitur, ad ſola dubia facti, non ad dubia juris decidenda: in æquali autem probabilitate legis & libertatis fit dubium juris non facti: ergo Regula de parte tutiore eligenda locum non habet in æquali probabilitate legis & libertatis. Reſpondeo. Nego

Antecedens,

Antecedens, ejusque probationem : Regula enim de parte tutiore eligenda non minùs locum habet in dubio juris, quàm in dubio facti; id quod satis demonstrant ipsa Pontificum responsa, in quibus non solum dubia facti, sed etiam dubia juris, secundùm partem tutiorem decisa reperiuntur. Nimirùm cùm ex dubio facti enascatur ferè dubium juris, quâ regulâ deciditur dubium facti, eâdem quoque deciditur dubium juris; quod dubium, cùm ferè gravius sit, & majoris momenti, quàm dubium facti, postulat pro majore momento suo, & meretur secundùm partem tutiorem decidi longè magis quàm dubium facti, cujus decisio plerunque satis foret indifferens, nisi ad decidendum dubium juris ordinaretur. Exemplum sit in dubio de Presbytero homicida : nam dubium facti est, an occiderit; ex quo dubio nascitur aliquod dubium juris : scilicèt an in dubio homicidæ celebrare liceat : respondet autem Pontifex, non licere, sed ei abstinendum esse à celebrando : *Cùm in hoc casu*, inquit Innocentius Tertius, *cessare sit tutiùs, quàm celebrare; pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Ergo, ut vides, decidit Pontifex dubium juris, ex regula de parte tutiore eligenda : non decidit tamen dubium facti : neque enim decidit, Presbyterum fuisse homicidam : sed decidit, in dubio de homicidio, debere Presbyterum perindè abstinere à celebrando, ac si reipsa foret homicida : ex quo intelligas, magis valere Regulam ad dubia juris, quàm ad dubia facti decidenda.

Regula de parte tutiore eligenda non minus locum habet in dubio juris quam in dubio facti.

Objicies 3. Si canonica est Regula, de parte tutiore in dubiis eligenda, non minùs canonica est Regula de dubiis in meliorem partem intelligendis : habetur enim in Regulis Juris sub finem l. 5. Decretalium : *Dubia in meliorem partem intelligenda sunt*, seu, ut alii legunt, *interpretanda :* pars autem *melior* dicitur, quæ benignior est, & favorabilior libertati : ergo in æquali probabilitate legis & libertatis, quodcumque dubium occurrat, intelligendum est, seu interpretandum, aut ut meliùs dicam determinandum in favorem libertatis. Respondeo. Regulam canonicam de dubiis in meliorem partem intelligendis, seu interpretandis, non modò non adversari Regulæ canonicæ de parte tutiore in dubiis eligenda, sed ei planè congruere; imò unam eandemque Regulam esse aliis terminis expressam : pars enim melior esse dicitur, quæ tutior & securior est; ideò scilicèt melior, quia & favet legi, quæ melius aliquid est, & meliorem facit operantem, eundemque meliùs assecurat.

Pars melior dicitur quæ tutior & securior est.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDUM ARGUMENTUM,

Ex Regula Magistrali, ne certis incerta præponantur.

Regula Magistralis. *Ne certis incerta præponantur.*

PEccat, qui in materia morali certis incerta præponit: operans autem secundùm libertatem probabilem, posthabitâ lege æquè probabili, certis incerta præponit, & quidem in materia morali, ergo peccat.

Peccat qui in materia morali certis incerta præponit.

Major propositio negari non potest: continet enim regulam verè magistralem, quam scilicèt venerabiles Patres, & probatissimi morum Magistri passim secuti sunt, & sequendam esse unanimiter definierunt: talis est autem Regula ex qua argumentamur. Nam Augustinus in casu Donatistæ, persuasi quidem Baptismum in Catholica rectè suscipi, dubitantis tamen num etiam in parte Donati Baptismus rectè susciperetur, & ex tali dubio hæsitantis redire ad Catholicam, relicto schismate Donati, casum decidit Augustinus l. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 3. in hunc modum. *Etiamsi*, inquit, *dubium haberet* Donatista, *non illic*, hoc est in parte Donati, *rectè accipi*, *quod in Catholica rectè accipi certum haberet; peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel ex solo quòd certis incerta præponeret.* Decisionem hanc suam confirmat paulò post, & explicat S. Doctor, non minùs solidè quàm subtiliter his verbis. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum: quis dubitet, certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Consentit Augustino S. Thomas fidelis discipulus: nam in quartum Sent. Dist. 21. quæst. 2. art. 3. ad tertium statuit pro principio generali peccare mortaliter qui aliquid committit, vel admittit, in quo dubitat esse peccatum mortale: cui principio inhærens S. Doctor Quodlib. 8. art. 13. decidit, peccare Clericum qui plures Præbendas habet, dubitans, an habere liceat; dubio veniente ex contrariis super ea re opinionibus. Ratio decidendi est. *Quia periculo se committit*, ostendens eo ipso *se magis amare Beneficium temporale, quàm propriam salutem.* Ita ferè Doctor Angelicus. Nec à Doctore Angelico dissentit eâ parte Doctor subtilis, agnoscens & ipse, in actibus humanis multa esse, *quæ dubium est, an sint peccata mortalia necne; & ab his tanquàm periculosis, cavendum esse definiens; ne dum subitur periculum, peccatum incurratur: nam si quis de sua salute non satis solicitus, periculo se exponit: etsi fortè actus ex genere suo non sit peccatum mortale; peccabit tamen mortaliter, quia periculo peccati mortalis se exponit.* Hæc est doctrina Doctoris subtilis. Doctori autem subtili adjungi potest, non tam ejusdem communione Ordinis, quàm ejusdem societate doctrinæ Doctor Seraphicus S. Bonaventura, in Libro de Profectu Religiosorum sapienter & graviter monens: ubi præceptum dubium est, viâ securâ incedendum esse. Nam *dubia*, inquit, *præcepti interpretatio periculosa est; sicut Pons semiputridus aquæ præcipitis & profundæ, de quo dubium est, an*

Testimoniũ Augustini.

Sancti Thomæ.

Scoti.

S. Bonaventuræ.

ſub tranſeunte corruat, an ſubſiſtat; maximè cùm tales opiniones periculoſiores ſint, quàm apertæ tranſgreſſiones; quia ubi ſcit homo, ſe delinquere, indè facilè corrigitur; ubi autem neſcit ſe peccare, & inſuper credit licere, indè nec in morte purè conteritur, propter falſam ſpem, quòd fortè ſibi licuerit, vel minùs in eo peccaverit; baculo arundineo & confracto innitens: voluntas bona, planâ viâ, regiâ, & ſecurâ, debet incedere, & relictis dubietatum diverticulis, quaſi ſuſpectis latronum ſemitis, apertos & certos juſtorum colles ambulare. Seu quod idem eſt, cavere debet, juxta Regulam magiſtralem, ne certis unquàm incerta præponat. Hæc ſatis, ut appareat, peccare, ſecundùm Regulam magiſtralem, qui in materia morali certis incerta præponit; quæ fuit Argumenti noſtri Major Propoſitio demonſtranda.

Ad minorem venio, & breviter demonſtro, certis incerta præponere, quicumque, in æquali probabilitate legis & libertatis, operatur ſecundùm libertatem probabilem, concurrentem cum lege æquè probabili. Nam certum quidem eſt, & evidenter certum, non ſolùm licitum eſſe, ſed etiam honeſtum operari ſecundùm legem probabilem cum libertate æquè probabili concurrentem; ac proindè in ſequenda lege probabili nullum peccandi periculum occurrit: contra verò incertum eſt an liceat operari ſecundùm libertatem probabilem, concurrentem cum lege æquè probabili; quia incertum eſt an ſit lex prohibens operari ſecundùm libertatem in concurſu legis æquè probabilis: ergo operans ſecundùm libertatem in concurſu legis æquè probabilis, certo incertum præponit, ac proindè peccat, ſecundùm Regulam magiſtralem, vel eo ſolo, quòd certis incerta præponat: peccat inquam & certò peccat; certitudine quæ venit ex reflexione ſupra incertitudinem legis directæ operari prohibentis. Nam & nos argumentum Auguſtini, contra Donatiſtam dubitantem, torquere poſſumus, adversùs dubitantem probabiliſtam, & quidem iiſdem ferè verbis, nec minore quàm ille robore. Itaque, aiebat S. Doctor, accipere in parte Donati ſi incertum eſt eſſe peccatum; quis duditet certum eſſe peccatum ibi non accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum. Dicamus & nos ſimiliter: operari ſecundùm libertatem, ſi incertum eſt eſſe peccatum; quis dubitet, certum eſſe peccatum, non operari potiùs ſecundùm legem, ubi certum eſt non eſſe peccatum.

Qui operatur ſecundùm libertatem poſthabita lege certis incerta præponit.

Objicies 1. Regulam magiſtralem ita ſecutus eſt aliquando Auguſtinus, ut quandoque etiam deſeruerit; ex qua deſertione videri poteſt S. Doctor, regulam illam non ſemper habuiſſe pro regula præcepti, ſed puri conſilii: nam ſi pro regula præcepti ſemper habuiſſet, nunquàm deſeruiſſet: deſeruit autem in Quæſtione famoſa de uſu quotidiano Euchariſtiæ, de quo controvertebatur, an fieri deberet, necne: ut habetur ex Epiſtola Aug. 108. ad Januarium; ubi poſt multa hinc indè propoſita, ſic concludit S. Doctor, pro concordia diſputantium. *Rectiùs*, inquit, *inter eos quiſquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Chriſti pace permaneant: faciat autem unuſquiſque, quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum: neuter enim exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendant: neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eo-*

Controverſia de uſu Euchariſtiæ ſeu frequenti ſeu raro, præclare ab Auguſtino deciſa.

rum se alteri præposuit, Zachæus, & ille Centurio; cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum; alter dicit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: ambo Salvatorem honorificantes diverso, & quasi contrario modo: ambo peccatis miseri: ambo misericordiam consecuti. Valet etiam, pergit S. Doctor, *ad hanc similitudinem, quòd in primo populo, unicuique Manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat: sic in ore cujusque Christiani, quo modo Sacramentum sumatur, æstimandum: nam & ille honorando non audet quotidie sumere; & ille honorando non audet ullo die prætermittere: contemptum solùm non vult cibus ille, sicut nec Manna fastidium.* Hæc est præclara Regula Augustini de usu Eucharistiæ seu frequenti, seu raro; Regula Augustino digna; ex qua pariter videtur posse decidi controversia probabilistas inter & antiprobabilistas: utrisque enim dici potest ad derimendam litem, ut in Christi pace permaneant: faciat autem unusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum: ita enim neuter exhonorabit Dei Domini majestatem, si illam ambo certatim honorare contendant; nec se quisquam eorum alteri præponat: ambo communem Dominum honorificantes, diverso & quasi contrario modo; unus operando secundùm legem quam probabiliter credit esse; alter operando secundùm permissionem, seu libertatem quam æquè probabiliter esse præsumit: nam si bonum est moveri lege divinâ probabili ad operandum secundùm legem; bonum quoque est, aut certè non malum moveri permissione divinâ probabili ad operandum secundùm libertatem. Nimirùm hîc vitandus est solus contemptus majestatis: vitatur autem eo ipso quòd nihil fit, nisi Deo jubente probabiliter, aut probabiliter permittente. Respondeo. Regula magistralis, quâ cavetur ne in materia morali certis incerta præponantur, Regula quædam est immobilis & æternæ veritatis: cui Regulæ ita constanter adhæsit Augustinus in decisione controversiarum moralium, ut nusquàm ab ea deflexerit: nam in decisione de usu arbitrario Eucharistiæ, seu frequenti, seu raro, non adhibuit quidem Augustinus Regulam magistralem, quâ cavetur ne certis incerta præponantur; sed ideò non adhibuit; quia Regulæ illi magistrali locus ibi non erat: neque enim concurrebat certum cum incerto, aut licitum cum illicito; sed bonum cum bono, & certum cum certo: quia certum est usum utrumlibet, seu rarum seu frequentem, bonum esse; imò utrumlibet meliorem esse respectivè, pro diverso sensu & gustu Fidelium: nimirùm certum est, per utrumlibet posse Dominum honorari, & posse per neutrum contemni: *Contemptum autem solùm non vult cibus ille, sicut nec Manna fastidium.* Sed in æquali probabilitate legis & libertatis, certum cum incerto, licitum cum illicito concurrit: nam certum est, licitum & bonum esse operari secundùm legem probabilem: incertum verò, an licitum sit operari secundùm libertatem; quia incertum est an sit lex prohibens operari secundùm libertatem cum lege æquè probabili concurrentem: ergo verus est hîc casus Regulæ magistralis, quâ cavetur, ne in materia morali certis incerta præponantur: certum enim est non esse peccatum in sequenda lege probabili: incertum verò an peccatum sit in sequenda probabili libertate: ergo peccat contra Regulam magis-

Regulam tamen magistralem numquam deseruit Augustinus.

In usu arbitrario Eucharistiæ certum non concurrit cum incerto.

Sed in æquali probabilitate legis & libertatis certum cũ incerto cõcurrit.

tralem, qui ſequitur libertatem probabilem, poſthabitâ lege æquè probabili: quia nimirùm ex quo incertum eſt an aliquid peccatum ſit; certum eſt peccatum eſſe idipſum operari, ut pro indubitato tradit Auguſtinus.

Objicies 2. Regula illa magiſtralis videtur peccare nimiâ ſubtilitate, & ita ſubtilis eſſe ut nihil ſolidi habeat: tota compacta ex terminis invicem pugnantibus: nam ſi ſemel ponatur incertum eſſe an aliquid peccatum ſit, jam non poteſt eſſe certum peccatum id ipſum operari, quod incertum eſt an ſit peccatum; alioquin eſſet idem certum peccatum & ſimul non certum: certum quidem, ut vult Regula magiſtralis; non certum verò, ut fert ſuppoſitio; idem enim eſt incertum, quod non certum. Confirmatur. Non poteſt eſſe certum peccatum in aliquo operando, niſi certa ſit lex prohibens illud operari: in hypotheſi autem noſtra non eſt certa lex prohibens operari ſecundùm libertatem; lex enim ſupponitur eſſe merè probabilis: ergo non poteſt eſſe certum peccatum, operari ſecundùm libertatem probabilem. Reſpondeo. Regula illa magiſtralis non eſt minus ſolida, quàm ſubtilis; nihil enim importat, quod non benè & aptè cohæreat. Nimirùm ex quo directè incertum eſt an aliquid peccatum ſit, certum eſt reflexè peccatum eſſe id ipſum operari; neque in hoc ulla apparet contradictio: ſed ex hoc ipſo aperitur ſolida reſponſio ad Confirmationem objectionis: nam ut aliquid certum peccatum ſit, debet eſſe lex aliqua certa prohibens illud operari, lex inquam, vel directa, vel reflexa; alterutra enim ſufficit: atqui in hypotheſi noſtra, in qua directè incertum eſt an aliquid peccatum ſit, certa eſt lex reflexa prohibens illud operari: lex nimirùm quâ cavetur ne in materia morali certis incerta præponantur, ſeu, quod idem eſt, ne ſubeatur ultro probabile peccandi periculum ubicumque vitari poteſt: exponere enim ſe probabili periculo peccati mortalis, peccatum mortale eſt, ut expreſsè definit Gerſon, Magnus ille Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, in Regulis ſuis Moralibus.

Regula illa magiſtralis non eſt minus ſolida quã ſubtilis.

Quod eſt directè incertum an ſit peccatũ, ſit certum reflexe, peccatum eſſe idipſum operari.

Objicies 3. Regula magiſtralis non videtur habere ſatis authoritatis ad obligandum: undè enim ex illa Regula? Ex hominibus, an ex Deo? Ex hominibus quidem eſſe non poteſt: nam quis hominum primus Regulæ author fuit? Deſignetur, ſi deſignari poteſt: quicumque autem fuerit, in qua poteſtate cæteros homines obligare potuit ne in materia morali deinceps certis incerta præponerent? Sed neque ex Deo eſt: nam ſi ex Deo eſſet, haberetur, vel in Scriptura, vel in Traditione: atqui in neutra habetur: nam ſi habetur, citetur vel unus Scripturæ locus Regulam clarè continens; aut monſtretur longa ſeries Traditionis quæ Regulam à primis temporibus ad noſtra uſque tempora deduxerit. Reſpondeo. Regulam magiſtralem partim ex Deo eſſe, partim ex hominibus. Ex Deo quidem: quatenus vult Deus, & neceſſariò vult pro zelo gloriæ ſuæ, ne ſubeatur à creatura rationali probabile peccandi periculum: ex hominibus autem, quatenus magni & ſancti Eccleſiæ Doctores, legis divinæ ſtudioſi, & in lege Domini meditantes die ac nocte, pro ſua ſapientia legem naturalem invenerunt ſcriptam in cordibus ſuis de non ſubeundo

Regula magiſtralis partim ex Deo eſt, partim ex hominibus.

probabili periculo peccandi, eamque legem plerisque mortalium, in quibus hebescit lumen naturale, aperuerunt, & ne fortè effugeret, eandem concluserunt certâ & patenti Regulâ, qua cavetur ne in materia morali certis incerta præponantur. Hæc est origo divina Regulæ magistralis pro directione Fidelium à Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ, sapientissimis morum Magistris, non tam sancita, quàm declarata. Nimirùm obligatio Regulæ ex Deo est; declaratio obligationis ex hominibus: obligationem fecit Deus pro sua voluntate necessaria & indispensabili: obligationem à Deo factam Patres & Magistri nostri pro sua authoritate declararunt & intimarunt.

Objicies 4. Si ex Regula magistrali peccatum est certis incerta præponere, jam peccatum erit operari secundùm libertatem probabiliorem in concursu legis minùs probabilis: consequens nimis durum est, & nimis falsum: sequela verò probatur: quia in concursu libertatis probabilioris cum lege minùs probabili, certum est licere operari secundùm legem minùs probabilem, posthabitâ libertate probabiliore: in lege enim sequenda nullum peccandi periculum est, sed planè incertum est an liceat operari secundùm libertatem probabiliorem, posthabitâ lege minùs probabili: quia in operando secundùm libertatem etiam probabiliorem timeri potest peccandi periculum; timeri enim potest ne lex aliqua divina violetur: ergo operans secundùm libertatem probabiliorem, posthabitâ lege minùs probabili, certis incerta præponit, contra Regulam magistralem, & quidem in materia morali, ut per se patet. Respondeo. Nego sequelam ejusque probationem. Ratio negandi est. Quia ex quo libertas probabilior est, & notabiliter probabilior quàm lex concurrens, jam moraliter certum est non esse legem, sed libertatem à lege: in usu enim humano probabilitas notabiliter major, moralis quædam certitudo est: undè fit, ut libertas notabiliter probabilior haberi debeat pro certa; lex verò minùs probabilis concurrens, pro incerta, aut, ut meliùs dicam, pro moraliter falsa: quare operans secundùm libertatem probabiliorem, posthabitâ lege minùs probabili, jam non certo incertum, sed certum incerto præponit, secundùm Regulam magistralem. Non nego tamen, quin peccari possit, & plerumque peccetur, in sequenda libertate etiam probabiliore, & negligenda lege minùs probabili concurrente; quia fieri potest, & plerunque fit, ut operans dubius hæsitet legem inter minùs probabilem, & libertatem probabiliorem, neutram judicando; in quo statu dubii & hæsitationis, si fortè operetur contra legem minùs probabilem, peccat; quia operatur in dubio legis, non peccaturus idem, si dubium determinaret, seu determinatè judicaret legem non esse; id quod facere prudenter posset, & deberet. Sed hac de re uberiùs infra Quæstione Tertiâ.

Ex quo libertas probabilior est quam lex, jam moraliter certũ est non esse legem.

Objicies 5. Ubi certa est liberras, & incertum est vinculum libertatis, licet operari secundùm libertatem: in æquali autem probabilitate legis & libertatis, certa est libertas & incertum est vinculum libertatis: ergo in æquali probabilitate legis & libertatis, licet operari secundùm libertatem. Major Propositio congruit omninò Regulæ magistrali: quia in mate-

Speciosum sophisma

ria morali certum incerto præponi debet, ac proindè certa libertas præponi debet incerto vinculo libertatis : neque enim præſumi debet, incerto vinculo ligari certam libertatem : Minor verò Propoſitio facilè probatur: quia certus eſt homo, ſibi liberum eſſe operari, quod libuerit ; idemque ſibi probè conſcius eſt ſuæ libertatis : talis autem libertas hominis cùm certa ſit, ligari non poteſt vinculo libertatis incerto : atqui in hypotheſi legis duntaxat probabilis, vinculum libertatis incertum eſt : tam enim incertum eſt vinculum libertatis, quàm ſit incerta lex ipſa, vinciens libertatem : lex autem libertatem vinciens incerta eſt, eo ipſo quòd merè probabilis eſt. Reſpondeo. Totum illud Argumentum, ſpecioſum ſophiſma eſt, in quo ſcilicèt phyſica libertas cum morali confunditur : nam certum quidem eſt, ineſſe homini phyſicam libertatem, ſeu poteſtatem operandi phyſicè quod libuerit ; ſed non eſt certum ineſſe ei libertatem moralem, ſeu poteſtatem operandi licitè & inculpatè, id ipſum quod poteſt facere phyſicè : talis enim libertas operandi dubia fit, ex æquali apparentia legis operari prohibentis : quare diſtinguenda eſt Major Propoſitio in hunc modum. Ubi certa eſt libertas moralis, & incertum libertatis moralis vinculum, licet operari ſecundùm libertatem ; Concedo : ubi certa eſt libertas phyſica, & incertum eſt vinculum libertatis moralis, licet operari ſecundùm libertatem ; Nego. Poteſt enim cum libertate phyſica operandi etiam certa, ſtare vera & ſtricta prohibitio operandi ſecundùm libertatem : eademque diſtinctio Minori Propoſitioni applicanda eſt. Nimirùm in æquali probabilitate legis & libertatis, certa quidem eſt libertas phyſica operandi, quod libuerit ; non eſt tamen certa libertas moralis, ſed planè incerta eſt ; quia probabilis eſt exiſtentia legis directæ operari prohibentis : quare non poteſt homo operari ſecundùm libertatem, niſi ſubeat idem probabile periculum violandæ legis, & incertum certo præponat : eſt enim certum, licere homini operari ſecundùm legem, cujus exiſtentia probabilis eſt ; ſed non eſt certum, eidem licere operari ſecundùm libertatem, in concurſu legis probabilis, operari prohibentis, imò certum videtur, non licere ; quia certum videtur, eſſe aliquam legem naturalem & reflexam, Regulâ magiſtrali explicatam, quâ lege libertas moralis ligatur, & prohibetur homo, ne certis incerta præponat.

in quo Phyſica libertas cum morali confunditur.

Cum libertate Phyſica operandi etiam certa ſtare poteſt vera & ſtricta prohibitio operandi ſecundum libertatem.

CAPUT SEXTUM.

ARGUMENTATIO SEXTA.

Ex ſenſu Eccleſiæ Chriſti.

MAgni momenti & ponderis eſt Argumentatio hæc noſtra una enim inſtar omnium eſſe poteſt, in qua cæteræ omnes quaſcumque texuimus Argumentationes inſtaurantur, recapitulantur, confirmantur.

Argumentatio ex ſenſu Eccleſiæ Chriſti.

Nimirum habet Ecclesia Christi veram ideam Dei, & perfectionum divinarum; naturales prudentiæ leges apprimè callet; Testamenti seu Novi, seu veteris clavim tenet, utriusque legitima Interpres; Regulas denique seu canonicas, seu magistrales, quas ipsa vel constituit, vel approbavit, planè intelligit. Quæramus ergo diligenter verum Ecclesiæ sensum, veluti Lydium lapidem, quo superiorum Argumentationum nostrarum soliditas probari possit. Sit nobis Ecclesiæ sensus, totius controversiæ de Probabilismo æquali, infallibilis arbiter, & sigillum inviolabile divinæ veritatis quam stabilimus. Pro explorando autem vero Ecclesiæ sensu circa Probabilismum æqualem, Ecclesiam totam ratione diversarum ætatum dividere placet in antiquam & novam; ejusdemque, seu novæ, veram mentem inquirere.

ARTICULUS PRIMUS.

De sensu Ecclesiæ Antiquæ Circa Probabilismum æqualem.

Ecclesiam antiquam appello, Ecclesiam primorum temporum: extenditur autem Ecclesia priorum temporum, juxta computum nostrum, à temporibus Christi & Apostolorum, ad Concilium usque Tridentinum, quod est generale postremum; eademque commodè distribuitur; ut fuit ante distributa, in quinque ætates: lustremus iterum singulas, & quid in singulis de Probabilismo æquali Ecclesia antiqua senserit exploremus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quid senserit Ecclesia Primæ ætatis de Probabilismo æquali.

Sensus Ecclesiæ primæ ætatis de probabilismo æquali.

Prima ætas Ecclesiæ antiquæ à natalibus ipsius Christi, Ecclesię capitis & fundatoris, protenditur usque ad Concilium Nicænum Magnum, primum generale & œcumenicum: ætas autem illa Ecclesiæ prima, per annos plus quàm trecentos expansa, non habuit Probabilismum æqualem pro regula morum legitima: Nam Probabilismus æqualis est dogma de licentia operandi secundùm libertatem, cum lege æquè probabili concurrentem: Ecclesia autem primæ ætatis tale dogma non habuit pro regula morum legitima; nam si pro regula legitima habuisset, exstaret in prima illa ætate vestigium aliquod regulæ pro legitima habitæ: nullum tamen exstat regulæ vestigium in tota illa ætate plus quam trecentorum annorum. Confirmatur 1. Regula illa, si fuit in prima illa ætate Ecclesiæ, debuit esse usitatissima, quia frequens occurrebat Regulæ casus: toties enim regulæ casus occurrebat, quoties fiebat concursus libertatis cum lege æquè probabili; cujusmodi concursus non potuit non esse frequens: regulæ autem usitatissimæ fieri debuit necessariò aliqua mentio: sed nulla regulæ facta mentio reperitur, ideò scilicèt quia in prima illa ætate, nec regula fuit, nec usus regulæ. Confirmatur

Dogma de licentia operandi secundum libertatem non habuit pro regula morum prima illa Ecclesiæ ætas.

Nulla istius regulæ mentio.

firmatur 2. Probabilismus æqualis est dogma de licentia negligendi, aut transgrediendi leges probabiles, cum libertate æquè probabili concurrentes: tale autem dogma in prima Ecclesiæ ætate, ætate illa fervoris, non fuit auditum: nam si fuisset auditum, ex eo scandalum passi boni Fideles sine dubio reclamassent: nullus tamen reclamasse legitur; ideò nimirùm, quia nihil adhuc fuerat de tali dogmate auditum: nam quis credat, primos illos Fideles, ferventissimos legis observatores, pro fervore spiritûs sui, non fuisse reclamaturos adversùs talem doctrinam, cùm hodieque, in ætate teporis & frigoris, quando elanguit & refriguit charitas multorum, videamus tamen, adversùs doctrinam Probabilismi æqualis, plerosque, omnis generis & ordinis, Magnos & Sanctos viros, in toto orbe Christiano vehementer reclamare? Confirmatur 3. Probabilismus æqualis est dogma, quo solvitur vigor legum probabilium, & definitur, nullam esse illarum obligationem: tale autem dogma, nec ab Apostolis Christi traditum fuit; tradendum tamen, si divinum erat, aut Apostolicum, ne, si non traderetur, boni Fideles, contra aut præter intentionem Christi nimis gravarentur, portantes onus legum probabilium, quod neque Christus, neque Apostoli imposuissent: debuit ergo Christus; debuerunt Apostoli excipere ab obligatione leges probabiles, si easdem obligare noluerunt: leges tamen probabiles ab obligatione nusquàm excepit Christus; nusquàm Apostoli exceperunt: ergo easdem obligare voluerunt. Apostolis quidem præcepit Christus, ut baptizarent omnes gentes, & baptizatos docerent servare omnia, quęcumque ipse mandasset; sed mandata probabilia ab obligatione non excepit. Ex pręcepto Christi baptizarunt Apostoli, & baptizatos docuerunt servare omnia, quæcumque Christus mandavit; sed nullam prorsus mandatorum probabilium exceptionem fecerunt, ac proindè omnibus mandatis, etiam probabilibus, totam vim obligandi reliquerunt: tandiu enim mandatis omnibus manet sua obligandi vis, quandiu non probatur esse facta exceptio aliquorum: atqui non probatur facta esse mandatorum probabilium exceptio: ergo mandatis etiam probabilibus manet tota sua obligandi vis. Confirmatur 4. Quia Patres primæ ætatis ea principia posuerunt, quibus probabilismus æqualis non congruit: Tale est illud: *In moralibus sectandam esse, non verisimilitudinem, sed veritatem.* Quod principium tradit Clemens I. Discipulus & successor Petri, supra à nobis citatus in Quęstione de Probabilismo minore. Nam in Probabilismo æquali, ut in minore, attenditur sola verisimilitudo non veritas: si enim in sequenda libertate probabili attenderetur sola veritas, non verisimilitudo, jam non magis judicaretur esse libertas, quàm lex; cùm non magis appareat existentia unius, quàm alterius, ac proindè neutra judicari possit determinatè vera, sed verisimilis: ergo si fiat determinatio in favorem libertatis, jam non propriè veritas attenditur, sed sola verisimilitudo; ac proindè Probabilista determinans se ad libertatem seu judicandam, seu in operando sectandam, convincitur in illa sua determinatione verisimilitudinem sectari, non veritatem, contra principium Clementis de veritate non verisimilitudine sectanda; quod

Principia patrum primæ illius ætatis non bene congruunt cū probabilismo æquali. Non principium clementis docentis in moralibus non verisimilitud nē, sed ver tatem sectandam.

principium tamen nihil impedit, quominùs fiat determinatio in favorem legis probabilis, cum libertate æquè probabili concurrentis; tum quia ad judicandam legem probabilem accedere potest pius aliquis & rationabilis voluntatis affectus, apparentiam legis augens, idemque minuens apparentiam libertatis, & simul faciens, ut magis appareat vera lex, quàm libertas; cujusmodi affectus pius & rationabilis accedere non potest ad judicandam libertatem, præ lege æquè probabili; tum quia ad operandum secundùm legem directam probabilem, nihil opus est veritate legis directæ: est enim evidens, non modò licitum esse, sed etiam honestum, legem sequi probabilem, etsi fortè non veram, nec quidquam in illa sequenda periculi est, ut est in sequenda probabili libertate; tum denique quia etsi fortè deest veritas legis directę probabilis, non deest tamen veritas legis reflexæ, quam veritatem sequitur, quicumque, in æquali probabilitate legis & libertatis, secundùm legem directè probabilem operatur: quare juxta principium Clementis sectatur veritatem, non solam verisimilitudinem. Tale item est principium illud Tertulliani: *Nostra institutio*, inquit, *de Porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate quærendum.* Cui principio parum videtur cohærere Probabilismus ęqualis, non tam de porticu Salomonis veniens, quàm de porticu Zenonis, & Ecclesiam minùs sapiens, quàm Academiam: *quid autem Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ?* Nam juxta Tertullianum, Dominus in simplicitate, seu simpliciter quærendus est: in Probabilismo autem æquali non quæritur Dominus simpliciter, sed aliud à Domino: neque enim simpliciter Dominum quęrit qui sponse deserit legem Domini, ut suæ libertati serviat, se ipsum magis quærens, quàm Dominum. Tale quoque Principium est illud Cypriani: *In compendio est*, inquit, *apud religiosas mentes & simplices, deponere errorem; & invenire, aut eruere veritatem: nam si ad divinæ Traditionis originem & caput itur, cessat error humanus; & Sacramentorum cœlestium ratione perspectâ, quidquid sub caligine, ac nube tenebrarum latebat, luce veritatis aperitur.* Quod planè non fit in Probabilismo æquali, ubi non deponitur error, sed fovetur; nec invenitur, aut eruitur veritas, sed involvitur magis, & novis ac novis Probabilitatum umbris obscuratur, facilè invenienda, si ad divinæ Traditionis originem & caput iretur. Inveniretur enim 1. Christus Dominus, caput & origo Traditionis, dedisse Apostolis mandata sua, iisdemque præcepisse, ut omnia observarent, suisque Discipulis eadem omnia observanda præciperent. 2. Invenirentur Apostoli, Christo obsequentes, ubique prædicasse, & Discipulis suis omnia Christi mandata fideliter tradidisse. 3. Inveniretur nulla facta exceptio mandatorum probabilium: nam si facta fuisset à Christo, fuisset per Christum Apostolis communicata; per Apostolos Discipulis, Ecclesiarum Pastoribus; per Discipulos Ecclesiarum Pastores ipsis Ecclesiis; per Ecclesias denique Fidelibus universis; quod cùm nihil tale factum fuisse videamus concludendum est, à Christo, capite & origine Traditionis non fuisse facta mandatorum probabilium exceptionem.

[Margin: Non principiũ Tertulliani docentis Dominum in simplicitate quærendũ.]

[Margin: Non principium Cypriani docentis deponendum errorem, & inveniendã eruandamque veritatem.]

Dices 1. In prima Ecclesiæ ætate nulla fit mentio obligationis manda-

torum probabilium : ergo in ea ætate neganda eſt fuiſſe talis obligatio: nam ſi fuiſſet, haberetur aliqua illius mentio, quæ tamen nulla habetur: ergo in prima ætate non fuit. Reſpondeo. Nego Antecedens, ejuſque probationem : nam in prima ætate præcepit Chriſtus Apoſtolis, ut ſervarent omnia, quæcumque ipſe mandaſſet, eaque omnia Diſcipulis ſuis ſervanda traderent : nec dubium eſt, quin Apoſtoli fecerint, quod Chriſtus præcepit faciendum : intimarunt igitur Apoſtoli neceſſariam obſervationem omnium mandatorum, ac proindè mandatorum probabilium, quæ ſunt de numero omnium: Prævidit nimirùm Chriſtus futurum decurſu temporis, ut pleraque mandata ſua apparerent aliquando duntaxat probabilia; eaque ipſa ſervari voluit, non minùs quàm cætera : nam ſi obligare noluiſſet, ab obligatione excepiſſet: non excepit tamen; ſi enim excepiſſet, exceptionem illam ſuam tradidiſſet Apoſtolis; eademque exceptio per Apoſtolos, aut Apoſtolorum Diſcipulos ad ſequentes ætates perveniſſet.

In prima Eccleſiæ ætate fit mētio obligationis mandatorum probabiliū ſi non expreſſa ſaltem implicita.

Inſtabis. Ut ex ſilentio primæ ætatis de exceptione mandatorum probabilium arguimus, exceptionem non fuiſſe factam; ita arguet aliquis eodem jure ex ſilentio de obligatione mandatorum probabilium, non fuiſſe impoſitam mandatorum probabilium obligationem : tam enim fieri debuit mentio obligationis, ad obligationem imponendam, quàm debuerit fieri mentio exceptionis, ad faciendam exceptionem; imò etiam longè magis: quia eo ipſo intelligitur fuiſſe facta exceptio, quòd non ſatis habetur facta fuiſſe obligatio : ſatis autem non habetur facta fuiſſe obligatio, eo ipſo quòd obligationis nulla mentio reperitur : ergo ſilentium primæ ætatis de obligatione mandatorum probabilium haberi debet pro ſufficiente mandatorum probabilium exceptione. Reſpondeo. Nego ſequelam Antecedentis, ejuſque probationem. Ratio negandi eſt. Quia falsò ſupponitur in Antecedente ſilentium omnimodum primæ ætatis de obligatione mandatorum probabilium : quod ſilentium in prima ætate non fuit: in prima enim ætate fit expreſſa mentio obligationis generalis ſervandi omnia, quæcumque Chriſtus mandavit. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c. docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* In qua obligatione generali credenda eſt contineri obligatio mandatorum probabilium; niſi fortè alicubi diſtinctè & expreſsè mandata probabilia ab obligatione generali excipiantur : nullibi autem excipiuntur : ergo eorundem obligatio credenda eſt in obligatione generali contineri. Confirmari poteſt noſtra hæc ratiocinatio. Chriſtus enim ita generatim præcepit ſervari omnia mandata ſua, ut præcepit generatim doceri omnes gentes : nam ſicut ſcriptum eſt: *docete omnes gentes :* ita ſcriptum eſt : *docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis :* ergo ſicut in præcepto generali; docete omnes gentes continetur obligatio docendi quaſcumque gentes non ſolùm politas & famoſas, Judaicam, Latinam, & Græcam ſed etiam barbaras, agreſtes, obſcuras, & innominatas, ad quas patuerit aditus; ita in præcepto ſervandi omnia mandata, continetur obligatio ſervandi mandata, non ſolùm evidentia, & ſpecioſa, ſed etiam obſcura & probabilia, quorumcumque notio habebitur :

Quatenus fit expreſſa mentio obligationis generalis ſervandi omnia quæcumque Chriſtus mandavit.

quare ſi contra præceptum Chriſti mandantis doceri omnes gentes, peccaret, qui gentes inciviles, impolitas, & obſcuras à prædicatione doctrinæ Chriſti exciperet; ita peccaret contra præceptum Chriſti, de ſervandis omnibus mandatis ſuis, qui mandata probabilia, prætextu obſcuritatis & incertitudinis, ab obligatione exciperet.

Dices 2. Principia Patrum primæ ætatis, de non ſectanda veriſimilitudine, de quærendo Domino in ſimplicitate, de compendio inveniendæ & eruendæ veritatis, per recurſum ad caput & originem divinæ Traditionis &c. Principia inquam illa ita ambigua & æquivoca ſunt, ut Probabiliſmo æquali non minùs faveant, quàm Antiprobabiliſmo: nam Probabiliſta, dum ſequitur libertatem probabilem, non minùs videtur ſectari veritatem, quàm Antiprobabiliſta legem probabilem ſequens; cum in libertate probabili non ſit minor apparentia veritatis, quàm in lege probabili. Probabiliſta in ſimplicitate Dominum quærit, non minùs quàm Antiprobabiliſta nam idem eſt Dominus, ſeu permittens, ſeu prohibens: ſequitur autem Probabiliſta Dominum probabiliter permittentem, ut ſequitur Antiprobabiliſta Dominum probabiliter prohibentem. Probabiliſta denique, pro compendio inveniendæ & eruendæ veritatis, recurrit ad originem & caput divinæ Traditionis; ſed in eo recurſu, cùm non inveniat expreſſam obligationem mandatorum probabilium, rationabiliter præſumit, non fuiſſe à Chriſto impoſitam; nam ſi impoſita fuiſſet, ad nos uſque viâ Traditionis perveniſſet. Reſpondeo. Principia illa Patrum primæ ætatis ita non convincunt de obligatione mandatorum probabilium, ut tamen ſuadeant illam vehementer, & Antiprobabiliſmo longè magis faveant, quàm Probabiliſmo; id quod, credo, ſatis apparebit omni homini acutè videnti. Nam juxta principium Clementis ſectari oportet non veriſimilitudinem, ſed veritatem: Probabiliſta autem non tam veritatem ſectatur, quàm veriſimilitudinem, quatenus ſecundùm libertatem probabilem operatur, ex ſola illius veriſimilitudine: at verò Antiprobabiliſta operans ſecundùm legem probabilem, non ſectatur ſolam veriſimilitudinem legis probabilis, ſed evidentem veritatem licentiæ & honeſtatis, quæ reperitur in ſequenda lege probabili, etiam non vera. Juxta principium Tertulliani Salomonem citantis, quærendus eſt Dominus in ſimplicitate, ſeu ſimpliciter quærendus: atqui Probabiliſta operans ſecundùm libertatem probabilem poſthabitâ lege probabili, non videtur quærere Dominum ſimpliciter, ſed aliud à Domino, libertatem ſcilicèt ſuam, quam in pari cauſa, divinæ legi concurrenti indignè proponit: at verò Antiprobabiliſta operans ſecundùm legem probabilem, poſthabitâ libertate æquè probabili, Dominum quærit ſimpliciter, & non aliud à Domino, quippe qui libertati ſuæ legem divinam, nihilò magis probabilem anteponit, pro merito ipſius. Juxta principium Cypriani, pro invenienda & eruenda veritate, ad originem & caput Traditionis eundem eſt; quod facit Antiprobabiliſta, agnoſcens, ab ipſo Chriſto, capite & origine Traditionis, factam fuiſſe obligationem generalem omnium mandatorum, idque ſine ulla exceptione mandatorum probabilium, quam tamen exceptionem Probabiliſta, au-

Principia patrum primæ ætatis antiprobabiliſmo lõge magis favent quã probabiliſmo.

thoritate privatâ, gratis & sine fundamento facere præsumit, negans obligationem, quam Christus fecit, & exceptionem supponens quam Christus non fecit. Stet igitur, Principia Patrum primæ ætatis Antiprobabilismo longè meliùs congruere, quàm Probabilismo.

Dices 3. In ea ætate fuit Regula, & quidem legitima, in qua ætate fuit Regulę usus irreprehensibilis, aut certè non reprehensus: atqui in prima Ecclesiæ ætate fuit usus Probabilismi æqualis, & quidem irreprehensibilis, aut certè non reprehensus: nam quis dubitet, in prima etiam ætate fuisse neglecta mandata probabilia, in qua negligebantur ipsa mandata certa & evidentia? nemo tamen legitur reprehensus eo nomine, quòd mandata probabilia negligeret. Respondeo. Fuerunt, non diffiteor, in prima ætate, neglecta aliquando mandata probabilia; nec quisquam tamen legitur speciatim reprehensus, quòd mandata probabilia negligeret: sed ideò non fuit reprehensus speciatim; quia mandata probabilia quoad vim obligandi eodem loco habebantur, quo mandata certa & evidentia: ex communi autem illa obligandi vi fiebat, ut transgressores mandatorum probabilium, non speciatim & distinctè, sed generatim & indistinctè reprehenderentur, ut alii mandatorum transgressores: ex qua confusione, seu communitate reprehensionis rectè arguitur, inauditam fuisse in prima ætate mandatorum probabilium exceptionem nam si fuisset audita, in tanto numero transgressorum, transgressor aliquis, ad excusandam transgressionem, probabilitatem libertatis obtendisset; quam tamen excusationem nemo mandatorum probabilium transgressor obtendisse legitur.

Cur violatio mandatorum probabilium non fuerit in prima illa ætate speciatim reprehensa.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Quid senserit de Probabilismo æquali Ecclesia secundæ ætatis.

Sensus Ecclesiæ secundæ ætatis.

Ecclesia secundæ ætatis, ut supra numeravimus, est Ecclesia à tempore Concilii Nicæni Magni producta ad Concilium usque Generale quartum, quod est Chalcedonense: Ecclesia autem inter illos terminos comprehensa Probabilismum æqualem reprobavit, ut Regulam morum illegitimam: nam Probabilismus æqualis est dogma morale, excipiens ab obligatione leges probabiles, cum libertate æquè probabili concurrentes: tale autem dogma, ut Regulam morum illegitimam reprobavit Ecclesia secundæ ætatis; & ideò reprobavit, quia tale dogma non invenit in sensu primæ ætatis, quem sensum sequi se unanimiter & religiosè profitetur: neque enim habere potuit pro Regula morum legitima, Regulam aliquam Apostolicis temporibus inauditam; quia ex quo constabat, non fuisse auditam primis illis temporibus talem Regulam, constabat quoque, nec à Christo, nec ab Apostolis fuisse traditam, ac proindè novellam esse, &, quod est consequens, ab Ecclesia Christi reprobandam. Confirmatur 1. Quia in ætate illa Ecclesiæ florentissima nullum apparet Probabilismi æqualis vestigium; futurum aliquod sine dubio, si Probabilismus æqualis tunc emersisset. Confirmatur 2. Quia in ætate il-

Ecclesia secundæ ætatis probabilismum æqualem reprobavit ut regulam morum illegitimam & Apostolicis temporibus inauditam.

la erudita reverenter legebatur, & audiebatur reverenter præceptum illud generale Christi: *Euntes, docete omnes gentes docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Sed nec legebatur, nec audiebatur exceptio mandatorum probabilium; quia scilicet necdùm scripta fuerat, nec tradita; legenda certè, vel audienda, si scripta alicubi, vel tradita fuisset. Confirmatur 3. Ex sensu insigniorum Patrum secundę ætatis, Chrysostomi, Basilii, Augustini, Probabilismo æquali satis apertè contradicentium. Nam Joannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus Hom. 4. in Math. more suo populariter & solidè statuit, debere hominem in negotio salutis, negotio capitali & primario, non minore curâ & solicitudine procedere, quàm in negotiis humanis & temporalibus, negotiis accessoriis & secundariis; quod principium nemo cordatus negare possit, si vel ipsos terminos intelligat: in negotiis autem humanis, quisquis prudens est, partem certam incertæ præponit; nemo prudens partem incertam & periculosam præponit certæ: ergo idem fieri debet in negotio salutis: atqui ubi agitur de observatione, aut transgressione legum divinarum, agitur de negotio salutis; observatio enim legum divinarum medium salutis est, earundem verò transgressio impedimentum salutis: ergo in tali negotio pars certa pręponi debet incertæ; nec potest prudenter incerta certæ præponi: in æquali tamen probabilitate legis & libertatis, operans secundùm libertatem probabilem, posthabitâ lege æquè probabili, partem incertam certę præponit: nam pars libertatis est pars incerta & periculosa; pars autem legis certa est, & nihil periculi habens: ergo ex sensu Chrysostomi peccat operans secundùm libertatem probabilem, posthabitâ lege æquè probabili; quippe qui minore cura & solicitudine procedit in negotio salutis, quàm in negotiis humanis.

Repugnat hæc regula sensui insigniorum patrum.

Chrysostomi docentis in negotio salutis non minore curâ procedendum quam in negotiis humanis.

Dices. Pars legis certa non est: neque enim magis certa esse potest pars legis, quàm sit certa ipsa lex: ipsa autem lex certa non est, sed incerta duntaxat, & merè probabilis: quod si certa dicatur esse pars legis, quia probabilis est lex, eodem jure certa dici debet pars libertatis, quia & ipsa libertas probabilis est, nec minùs probabilis, quàm lex; supponitur enim esse æqualis utriusque probabilitas. Respondeo. Pars legis rectè dicitur certa, quamvis ipsa lex certa non sit, sed merè probabilis; quia in sequenda lege probabili & incerta, nihil periculi est: certum est enim licere homini, operari secundùm legem incertam & merè probabilem; quod profectò dici non potest de parte libertatis: nam libertas quidem physicè probabilis est, nec minùs probabilis quàm lex: sed non est pariter certum, in sequenda parte libertatis nullum periculum esse, ut nullum est in sequenda parte legis: imò certum est in sequenda parte libertatis probabilis, periculum esse violandi legem probabilem cum libertate concurrentem; ac proindè ex sensu Chrysostomi certum est, non licere homini partem libertatis sequi, posthabitâ parte legis: quia certum est ex sensu Chrysostomi, non licere partem incertam certæ præponere. Undè ulteriùs sequitur, in æquali probabilitate legis & libertatis, libertatem ita esse physicè & speculativè probabilem,

Pars legis rectè dicitur certa quamvis ipsa lex certa non sit.

Quia nullum est periculum in ea parte sequenda.

ut non ſit eadem practicè & moraliter probabilis: legem verò probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem, non modò ſpeculativè & phyſicè probabilem eſſe, ſed etiam moraliter & practicè, ac proindè legem eſſe abſolutè probabiliorem libertate, & quod eſt conſequens, partem legis eſſe ſolam ſimpliciter & abſolutè probabilem: nam libertas probabilis cum lege concurrens non eſt ſimpliciter & abſolutè probabilis; cùm ita probabilis ſit phyſicè & ſpeculativè, ut non ſit eadem moraliter & practicè probabilis. Ecce quò rem totam perduxerit ſenſus Chryſoſtomi profundè penetratus. Ad ſenſum Baſilii veniamus.

Baſilius Magnus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus in illum Pſalmi verſiculum: *Mendaces filii hominum in ſtateris:* ſtateram juſtam boni & mali proponens: *Corporea*, inquit, *pondera in librarum lancibus comprobamus: quæ verò ad inſtitutionem vitæ eligenda veniunt per liberum arbitrium, ratione ſcilicèt regulatum diſcernimus.* Ad hanc Baſilii ſtateram probabiliſmum minorem nuper appendimus, & levem eſſe comperimus: ad eandem nunc appendamus Probabiliſmum æqualem, & appenſum nihilò minùs levem eſſe comprobemus. Igitur ad diſcretionem eorum, quæ ad inſtitutionem vitæ eligenda veniunt, juſta, ſecundùm Baſilium ſtatera eſt liberum arbitrium ratione regulatum: atqui Probabiliſmus æqualis probari non poteſt libero arbitrio ratione regulato: eſt enim Probabiliſmus, dogma de licentia operandi ſecundùm libertatem probabilem: tale autem dogma æſtimari non poteſt ſatis rationabile per arbitrium ratione regulatum; quia ſcilicèt nec prælatio illa libertatis probabilis, nec illa legis probabilis poſtpoſitio videri poteſt ſatis rationabilis; cùm in æquali utriuſque probabilitate nulla bona ratio occurrat, cur præponi debeat legi libertas, aut poſtponi lex libertati: ergo determinatio ad operandum ſecundùm libertatem probabilem, poſthabitâ lege æquè probabili, probari non poteſt arbitrio ratione regulato, ac proindè arbitrium, cui talis determinatio probari poteſt, non eſt arbitrium ratione regulatum. Quare ex ſenſu Baſilii arbitrium hominum determinantium ſe in favorem libertatis potiùs quàm legis, idque ratione minùs quàm voluntate, non eſt ſtatera divina, ſtatera juſtorum; ſed ſtatera quædam humana, ſtatera filiorum hominum, mendacium in ſtateris ſuis, ut loquitur Pſalmiſta.

Baſilii docentis per liberum arbitrium ratione regulatum diſcerni ea quæ ad inſtitutionem vitæ eligenda veniunt.

Dogma de licentia operandi ſecundum libertatem æque probabilem nō videtur ſatis ratione regulatum.

Dices. In ſtatera Baſilii ſi reprobatur Probabiliſmus æqualis, reprobari pariter debet Antiprobabiliſmus: ideò enim Probabiliſmus æqualis reprobatur; quia ubi eſt æqualis probabilitas legis & libertatis, non eſt ratio cur libertas legi præponatur: atqui non eſt major ratio, cur lex præponatur libertati, cùm non ſit major legis probabilitas quàm libertatis: ergo vel neuter reprobandus eſt, ſeu Probabiliſmus, ſeu Antiprobabiliſmus, vel uterque reprobandus. Confirmatur. Arbitrium præponens libertatem legi, tam videtur ratione regulatum, quam arbitrium præponens legem libertati: nam ut arbitrium legem libertati præponens ducitur & regulatur rationibus, quæ ita legi favent, ut non faveant libertati; ita arbitrium præponens legi libertatem ducitur & regulatur rationibus quæ ita libertati favent, ut non faveant legi: ergo arbitrium,

ſeu legem præponens libertati, ſeu libertatem legi præponens, dici poteſt utrumque rationabile, ſeu ratione regulatum: quare permittendi ſunt ambo arbitrantes in ſuo ſenſu abundare. Reſpondeo. Nego ſequelam, ejuſque probationem. Ratio negandi eſt. Quia etſi major non ſit probabilitas legis, quàm libertatis, in æquali tamen utriuſque probabilitate, nullum periculum eſt in ſequenda lege probabili, & magnum eſt periculum in ſequenda probabili libertate: quare pars legis certa eſt, & pars libertatis incerta: pars autem certa parti incertæ præponi debet, ex arbitrio ratione regulato. Ad Confirmationem dico, arbitrium ratione regulatum debere attendere ad rationes utriuſque partis, eaſque conferre invicem, & pro merito penſare: nam ſi fortè ad rationes unius partis attendens, rationes partis alterius præteriret & ſecundùm unam partem pronuntiaret, parte alterâ inauditâ, jam non eſſet ratione regulatum; quia arbitrium ratione regulatum debet omnia perpendere, & omnibus perpenſis determinare ſapienter utra duarum partium ſit eligenda: ergo ſi conſtet partem unam ita certam eſſe, ut in ea ſequenda nihil periculi appareat; alteram verò incertam eſſe & plenam periculi; evidens eſt debere arbitrium ratione regulatum partem certam incertæ præponere: atqui in æquali probabilitate legis & libertatis, pars legis invenitur certa eſſe, & ita certa, ut in ea ſequenda nihil periculi appareat; pars verò libertatis apparet incerta & plena periculi: ergo ex ſenſu Baſilii Magni per arbitrium ratione regulatum eligenda eſt pars legis præ parte libertatis.

Auguſtini docentis peccatum eſſe in rebus ad ſalutem pertinentibus, certis incerta præponere.

Baſilio conſentit Aquila Doctorum Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus, ſtatuens & ipſe pro principio evidenti, peccatum eſſe in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præponere; & ex hoc principio inferens evidenter, peccaturum Donatiſtam qui Baptiſmum acciperet in parte Donati, dubitans, an in parte Donati liceret accipere; certus idem licere accipere in Catholica, in qua tamen non acciperet. Nam, inquit S. Doctor L. 1. De Bapt. c. 4. *Accipere in parte Donati ſi incertum eſt eſſe peccatum; quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum.* Atqui ex hoc Auguſtini ſenſu & ratiocinio planè evertitur Probabiliſmus æqualis: in Probabiliſmo enim æquali incertum certo præponitur; quia pars libertatis incerta præponitur parti legis, quæ certa eſt: nam incertum eſt, an ſit peccatum, in ſequenda libertate probabili: certum verò eſt, nullum eſſe peccatum, in ſequenda lege concurrente: ergo ex ſenſu Auguſtini certum eſt, peccatum eſſe libertatem probabilem ſequi, in concurſu legis æquè probabilis, & ita certum, ut in ætate Auguſtini, ipſo judice Auguſtino, nullam dubitationem pateretur: *Quis dubitet*, inquit, *certum eſſe peccatum* &c.

Hinc arguit Auguſtinus contra Donatiſtas.

Dices. Videtur Auguſtini diſcurſus nimis ſubtilis eſſe, idemque non ſatis ſolidus: & miræ quidem ſubtilitatis eſt peccati certitudinem arguere ex eo ipſo, quòd peccatum incertum ſit: ſed nulla videtur eſſe ſoliditas in tali illatione: nam ſi incertum eſt, an aliquid peccatum ſit; quomodò certum eſt, eſſe peccatum? aut ſi certum eſt, peccatum eſſe; quomodò incertum eſt, an peccatum ſit? quomodò item certum eſt, pec-

catum

catum esse, operari secundùm libertatem probabilem, nisi sit certa lex prohibens secundùm libertatem probabilem operari? quomodò verò potest esse certa illa lex, cùm supponatur esse duntaxat probabilis & incerta? sed si certa est lex, operari prohibens secundùm libertatem probabilem, quomodò supponitur esse libertas probabilis? Vides quot hîc nodi plectantur in sensu Augustini, Augustino vindice digni. Respondeo 1. Agitur hîc solùm de sensu Augustini, qualis fuerit circa Probabilismum æqualem, ut ex sensu Augustini intelligatur, qualis fuerit circa eundem Probabilismum sensus Ecclesiæ secundæ ætatis, in qua vixit Augustinus: sed non agitur de veritate sensûs Augustiniani, quam nobis vel ipsa Augustini authoritas satis assecurat. Respondeo 2. Augustini discursum subtilem quidem esse, sed non minùs solidum, quàm subtilem, ut breviter demonstro. Nimirùm ex quo incertum est, an aliquid peccatum sit, rectè arguitur, certum esse peccatum, id ipsum operari, quod incertum est, an peccatum sit: quia certum est, non licere exponere se periculo peccandi; cui periculo se exponit, quicumque id operatur, quod incertum est, an peccatum sit: ideo autem certum est fieri peccatum, quando fit aliquid, quod incertum est, an sit peccatum, seu quando subitur peccandi periculum; quia certa est lex, prohibens operari aliquid, quod incertum est, an sit peccatum, seu, quod idem est, in eo faciendo peccandi periculum subire. Certum est igitur, esse peccatum, operari secundùm libertatem probabilem, cum lege æquè probabili concurrentem; quia certa est lex reflexa, prohibens operari secundùm libertatem probabilem, in concursu legis directæ æquè probabilis. Non potest quidem certa esse lex directa, quæ supponitur esse duntaxat probabilis & incerta; sed potest certa esse, & reipsa certa est lex reflexa, legi directæ superveniens, & prohibens operari contra legem directam probabilem, in concursu libertatis nihilò probabilioris: potest item manere libertas directè probabilis, non obstante lege certâ reflexâ, prohibente operari secundùm libertatem directè probabilem, cum lege directa æquè probabili concurrentem. Hæc omnia in Augustini discursu continentur; subtilia omnia, nec minùs solida, quàm subtilia; omnia vera & ita vera, ut ab Augustino proposita, neminem, quod sciamus, in ætate Augustini, nisi fortè Donatistam aliquem, contradicentem habuerint: subtilitas verò & difficultas, quæcumque est in his omnibus, ex eo ferè venit, quòd pauci attendant ad leges reflexas, quæ sunt legum directarum veluti satellites; leges subtiles & naturales, plerisque mortalium invisibiles & imperceptibiles; sed quæ Augustinum non effugerunt.

Discursus Augustini non minus solidus quam subtilis.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Quid senserit de probabilismo æquali Ecclesia tertiæ ætatis.

Sensus Ecclesiæ tertiæ ætatis.

ÆTas Ecclesiæ tertia, quadragintorum fere annorum, numeratur à Concilio Chalcedonensi usque ad Concilium Constantinopolitanum quartum inclusivè: Ecclesia autem illius ætatis nusquam agnovit

probabilismum æqualem pro regulâ morum legitima : cujus veritatis multa occurrunt argumenta.

In illa ætate probabilismus nō fuit regula morum legitima.

Primum Argumentum est Conformitas tertiæ ætatis cum duabus prioribus, expressè attestata à Patribus Concilii Generalis quinti, quod fuit Constantinopolitanum secundum : profitentur enim hujus Concilii patres, sentire se per omnia cum Patribus priorum ætatum antecessoribus suis, inter quos numerat Chrysostomum, Bazilium, Augustinum, aliosque non paucos minimè probabilistas. Alterum argumentum est, perpetuum tertiæ ætatis silentium de probabilismo æquali;quod silentium clamosum est, & planè demonstrans, probabilismum in totâ illa ætate nullibi apparuisse : nam in illa ætate, in quo tot fuere celebrata Concilia generalia ; tot sederunt summi Pontifices ; tot magni & insignes viri floruerunt, sicubi se probabilismus prodiisset, quâ tandem arte potuisset omnium oculos effugere, & præstare se omnibus invisibilem ? effugit autem quia nullibi se prodidit ; invisibilis omnibus, quia nec dum fuit. Tertium argumentum est. Summa totius Legis Christianæ, constanter & unanimiter prædicata, in tertia illa ætate, alioquin contentiosa & turbulenta; idque sine ulla exceptione mandatorum probabilium, & sine cujusquam, quod sciamus, contradictione : exceptionis enim nullum extat in tota illa ætate vestigium.

Tum propter conformitatem tertiæ ætatis cum prioribus.

Tum propter perpetuum de probabilismo silentium.

Tum propter summam totius legis constanter prædicatā.

Dices. Argumenta ista negativa parum efficacia sunt, & si quid valent, contra antiprobabilismum valent, non minus quam contra Probabilismum : nam in tertia ætate non magis fit mentio Antiprobabilismi, quàm probabilismi ; imo antiprobabilismi fieri mentio non potuit, absque mentione aliqua probabilismi, propter relationem unius cum altero: nam eadem est, ut vulgo dicitur, scientia contrariorum : in tertia denique ætate si nullum est vestigium exceptionis mandatorum probabilium, nullum quoque vestigium est obligationis : ergo si neganda est exceptio mandatorum probalium, quia nullum est vestigium exceptionis, neganda pariter est obligatio, quia nullum est vestigium obligationis: quare eodem loco habenda est, seu exceptio, seu obligatio ; neutra scilicet neganda positivè, neutra asserenda ; quia utraque nimis obscura est & incerta. Respondeo. Argumenta nostra partim positiva sunt, partim negativa ; eaque omnia ita nocent soli probabilismo, ut antiprobabilismo non noceant. Nam 1. ut antiprobabilismum duæ priores ætates agnoverunt, & approbarunt, rectè præsumitur tertia ætas, ex sua cum prioribus conformitate, eundem antiprobabilismum approbasse, ac proindè probabilismum reprobasse, aut rectè ignorasse, ubi reprobarunt aut ignorarunt duæ priores ætates. 2. In tertia ætate sufficiens invenitur mentio antiprobabilismi, eo ipso quòd invenitur constans ubique prædicatio doctrinæ Christi de obligatione servandi omnia quæcumque ipse mandasset: in qua obligatione generali continetur obligatio mandatorum probabilium, ac proindè antiprobabilismus ipse, seu doctrina talis obligationis : at vero in tertia ætate nulla prorsus fit mentio exceptionis mandatorum probabilium, ac proinde nulla mentio probabilismi, qui totus in doctrina talis exceptionis consistit. 3. Cum in tertia Ecclesiæ ætate nul-

Argumenta ista unicè nocent probabilismo.

lum reperiatur vestigium exceptionis mandatorum probabilium, rationabiliter negandum est, in ea ætate fuisse talem exceptionem, ac proindè probabilismum in tali exceptione consistentem: sed negari non debet, fuisse in tertia ætate mandatorum probabilium obligationem, cùm in eadem ipsa ætate, non minus quam in prioribus viguerit præceptum generale de servandis omnibus Christi mandatis, & quidem sine ullo vestigio exceptionis mandatorum probabilium.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Quid de Probabilismo æquali senserit Ecclesia quartæ ætatis.

ÆTas Ecclesiæ quarta, annos ferè quingentos complectens, à Concilio generali octavo, ad Concilium usque Lateranense quartum producitur: Ecclesia autem quartæ illius ætatis, ut minorem probabilismum, ita & probabilismum æqualem aut ignoravit, aut reprobavit; id quod *Sensus Ecclesiæ quartæ ætatis de probabilismo æquali. Quem ignoravit aut reprobavit.*

Argui 1. potest. Ex doctrina, quam Ecclesia quartæ ætatis uniformem habuit, & habere se professa est cum prioribus ætatibus: doctrina autem priorum ætatum unanimis & constans fuit doctrinâ antiprobabilismi: probabilismus enim, seu minor seu æqualis, in prioribus ætatibus, aut ignoratus fuit, aut positivè reprobatus: ergo in quarta ætate simile aliquid ei contigisse rationabiliter præsumendum est. *Patet 1. ex uniformitate doctrinæ.*

Argui potest 2. Ex præcipuo studio quartæ ætatis in componendâ disciplina Ecclesiastica, & moribus fidelium regulandis. Nimirum post speculativa religionis dogmata in prioribus ætatibus diu ventilata & sanctè deffinita, Ecclesia quartæ ætatis suarum partium esse duxit, applicare se totam, ad reformandos disciplinæ abusus, & Canones morum sanciendos: sed quod mirum videri debet; nullus in quarta ætate reperitur sancitus Canon, quo vel reprobetur probabilismus, vel antiprobabilismus statuatur; cujus silentii vera ratio est: quia nec dum probabilismus emerserat, & antiprobabilismus in pacifica possessione regnabat, vigente semper obligatione generali omnium mandatorum, etiam probabilium, quæ mandata nemo hactenus apertè excipere præsumpserat. *Patet 2. ex studio in componẽda disciplina Ecclesiastica.*

Argui potest 3. Ex sensu insignium virorum quartæ ætatis, seu summorum Pontificum, seu magnorum Ecclesiæ Doctorum ad quartam ætatem pertinentium. Nam Eugenius capite supra citato de sponsalibus, decidit Juvenem post matrimonium cum puella contractum, separandum esse à puella propter dubium de sponsalibus cum puellæ consobrina contractis. Ratio decisionis est. Quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus: quam regulam inculcat Glossa. *Notandum quòd in dubiis semper tenendum est, quod securius est & certius:* securius autem erat, abstinere se juvenem à puella, quam se periculo adulterandi exponere: ergo juxta eandem regulam decidi debet in casu libertatis probabilis, cum lege æquè probabili concurrentis, abstinendum esse ab operando secundùm libertatem, & secundum legem ope- *Patet 3. ex sensu insignium virorum. Eugenii.*

randum; quia operari secundum legem securius & certius est, quàm operari secundùm libertatem. Lucius vero III. capite *Dominus*. De secundis nuptiis. Ex eadem regula declarat, conjugem dubitantem de morte prioris conjugis, post initas secundas nuptias, non posse debitum petere à secunda conjuge propter conscientiam dubiam ex probabili causa. Nimirùm sequi non licet conscientiam ex probabili causa dubiam. In æquali autem probabilitate legis & libertatis habetur necessario conscientia dubia libertatis, & quidem ex probabili causa legis æquè probabilis cum libertate concurrentis: ergo non licet operari secundum libertatem cum lege æquè probabili concurrentem. Clemens quoque III. capite *audientiam*. De homicidio decidit, Presbyterum in dubio homicidii abstinendum esse à ministerio sacrorum ordinum; quia in dubiis, inquit, semitam debemus eligere tutiorem: est autem semita tutior, dubium homicidam abstinere à ministerio sacrorum ordinum, quàm non abstinere: atqui pariter tutior semita est, dubium probabilistam abstinere à sequenda libertate probabili, seu quod idem est, abstinere à transgressione legis probabilis, quàm non abstinere. Habemus ergo plures Pontifices quartæ ætatis antiprobabilismo faventes, qui si expresse & formaliter non deciderunt obligationem operandi secundum legem probabilem, cum libertate æquè probabili concurrentem, tradiderunt tamen principia & regulas ex quibus posteri talem obligationem aliquando decidérent; decisuri ipsimet, si ad ipsorum tribunal quæstio hęc nostra de probabilismo & antiprobabilismo stetisset. Accedunt istis Pontificibus, quatuor Ecclesię Doctores S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura, & Scotus Doctor subtilis, omnes quartam ætatem splendore doctrinæ suæ collustrantes: nam S. Bernardus in hæc Christi verba Math. 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit &c.* Auream planè regulam tradit & explicat de simplicitate oculi interioris, hoc est conscientiæ, quam oculum interiorem appellat; ad oculi interioris simplicitatem seu conscientiæ rectitudinem duo requirens; charitatem in intentione & in intellectu veritatem. *Ego*, inquit, *ut oculus interior simplex sit, duo illi necessaria arbitror; charitatem in intentione & in intellectu veritatem: deinde vero ita concludens hæc addit. Patet igitur laudabilem illam, & laudatam à Domino simplicitatem absque his duobus bonis non esse, benevolentiâ atque prudentiâ; ut oculus videlicet non solùm pius, qui fallere nolit, sed & cautus sit, qui falli non possit.* Hæc est Doctrina S. Bernardi probabilismo æquali non minus adversa, quam probabilismo minori: sequenti enim libertatem probabilem, posthabitâ lege probabili, deesse videtur simplicitas oculi interioris; quia nec in intentione charitatem habet, nec in intellectu veritatem, ac proindè oculum habet, nec satis pium qui fallere nolit, nec satis cautum, qui falli non possit. Sed Bernardo Breviùs simul & expressius S. Thomas Doctor Angelicus in 4. sent. dist. 21. quæst. 2. art. 3. ad tertium definiens, peccare mortaliter, qui aliquid committit vel admittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, & ideo peccare, quia se committit discrimini: atqui

Margin notes: Lucii. — Clementis. — Idem sensere quatuor insignes doctores. — Bernardus. — Thomas.

operans secundum libertatem probabilem, concurrentem cum lege æquè probabili operari prohibente, committit aut admittit aliquid in quo dubitat esse peccatum mortale: ergo peccat mortaliter eo ipso quod se discrimini committit. Doctor vero Seraphicus S. Bonaventura in L. de profectu Religiosorum observat, præcepti interpretationem periculosam esse; eamque semiputrido ponti, de quo dubitatur, an ruiturus sit, nec ne, eleganter comparat; sapienter concludens, debere voluntatem bonam viâ planâ, regiâ & securâ incedere, & relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis, per apertos & certos justorum calles ambulare. Nec à Doctore seu Seraphico, seu Angelico dissentit eâ parte doctor subtilis, qui in aliis materiis ab utroque dissentire non dubitavit: agnoscit enim multa esse in actibus humanis, quę dubium est an verè sint peccata mortalia, & à quibus tanquàm periculosis debet homo cavere, ne dum exponit se peccandi periculo in peccatum incidat: atqui tales sunt transgressiones legum probabilium, cum libertate æquè probabili concurrentium: dubium enim est an peccetur mortaliter in talibus legibus transgrediendis: ergo à talibus legum transgressionibus, tanquam periculosis cavendum est. Hæc satis ad demonstrandam, seu Pontificum, seu Ecclesiæ Doctorum consensum unanimem in asserendo antiprobabilismo.

Bonaventura.

Scotus.

Dices. Quorsum istæ citationum earundem repetitiones, nisi ad nauseam lectorum: nam eadem testimonia bis terve repetita, repetitione validiora non fiunt, ad evertendum probabilismum, & firmandum antiprobabilismum. Respondeo, frustra non fieri repetitionem citationum in materia præsenti: valet enim ista repetitio 1. ad veritatem magis ac magis fidelibus inculcandam. Valet 2. ad extorquendum à lectoribus incredulis veritatis assensum: plerumque enim fit ut quem assensum obtinere non potuit prima veritatis propositio, secunda aut tertia obtineat. Valet 3. ad novum aliquid demonstrandum, quod ante non fuerat demonstratum, ut contingit in nostra hypothesi: nam capite 5. testimonia citavimus ad demonstrandam regulam Canonicam de parte tutiore in dubiis sequenda: eadem vero repetimus capite 6. ad demonstrandam antiprobabilismi traditionem, per omnes Ecclesię ętates diffusam: nam, quod bene advertendum est, summi Pontifices & magni Doctores quartæ ætatis doctrinam antiprobabilismi non tam de suo adinvenerunt, quàm à prædecessoribus acceptam posteris suis fideliter tradiderunt; ita autem tradiderunt, ut nullum, quod sciamus contradicentem habuerint, ex quo satis intelligi potest, doctrinam antiprobabilismi fuisse in quarta ætate unanimem totius Ecclesiæ Doctrinam.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Ecclesia Quintæ ætatis quid de Probabilismo æquali senserit.

Sensus Ecclesiæ quintæ ætatis.

Ab ea Ecclesia reprobatus est probabilismus.

ÆTas Ecclesiæ quinta juxta nostram ætatum divisionem protenditur ut supra dictum est, à Concilio Lugdunensi primo inclusivè usque ad Concilium Tridentinum exclusivè. Hęc autem ætas præsumenda est cum superioribus ætatibus in judicio de probabilismo æquali consensisse, ut in judicio de probabilismo minori consentit. Id enim demonstrat uniformitas quintæ ætatis, in doctrinâ morum, & professio constans uniformitatis cum superioribus ætatibus. Ergo cum in superioribus ætatibus probabilismus seu minor seu æqualis, aut ignoratus fuerit aut positivè reprobatus; consequens est utrumlibet, seu minorem seu æqualem, in quinta ętate, fuisse pariter ignoratum aut positivè reprobatum. Confirmatur 1. Ex illo alto silentio quintæ ætatis circa probabilismum; tum in actis Conciliorum Generalium, tum in decretis summorum Pontificum, tum in scriptis Doctorum: tale enim silentium clamosum aliquod argumentum est, circa probabilismum nihil novi in quinta illa ætate supervenisse. Ergo cum in prioribus Ecclesiæ ætatibus 1. 2. 3. & 4. viguerit apud fideles obligatio sequendi probabilitatem legis concurrentem cum æquali probabilitate libertatis; tenendum est, viguisse pariter in quinta ætate eandem obligationem. Confirmatur 2. Ex Regulis Canonicis & Magistralibus, ad quas ut supra vidimus, examinatus probabilismus æqualis inveniabatur, apud fideles superiorum ætatum, minus habens. Nam eæ Regulæ ad fideles quintæ ætatis pervenerunt nec dubium est, quin ad easdem regulas appensus probabilismus æqualis inveniretur ab iisdem fidelibus, minus habens, ac proindè dubiæ instar & falsæ monetæ reprobandus. Atque hæc satis de sensu Ecclesiæ circa probabilitatem per quinque ætates & quidem satis longas diffusæ. Superest nobis breviter explorandus sensus Ecclesiæ novę hoc est nostræ.

ARTICULUS SECUNDUS.

De sensu Ecclesiæ novæ, hoc est nostræ circa probabilismum æqualem.

Sensus Ecclesiæ nostrorum tēporum.

ÆTatem Ecclesiæ novæ hoc est nostræ numeramuss à Concilio Tridentino inclusivè usque ad Pontificatum Innocentii XII. novam appellamus respectivè ad priores ætates à nobis remotiores; appellamus nostram, quia ad nostra usque tempora producitur.

Nostris temporibus apparuit probabilis-

Intra hanc ætatem certum est apparuisse probabilismum æqualem, seu doctrinam assertivam licentiæ sequendi probabilitatem libertatis concurrentem cum æquali probabilitate legis. Nam hanc intra Eandem ætatem certum est apparuisse probabilismum minorem, seu doctrinam

aſſertivam licentiæ ſequendi probabilitatem minorem libertatis concurrentem cum majore probabilitate legis: ergo certum eſt eâdem ipſa ætate apparuiſſe probabiliſmum æqualem, nam probabiliſmus æqualis longè tolerabilior eſt probabiliſmo minore, & prima ſpecie longè minus offendit quam probabiliſmus minor. Sed quo præciſè tempore intra eandem ætatem emerſerit probabiliſmus uterlibet ſeu æqualis, ſeu minor, ſatis incertum eſt. Hoc tamen certum puto, neutrum omnino ſeu minorem, ſeu æqualem emerſiſſe ante Concilium Tridentinum; nam ſi emerſiſſet ante Concilium Tridentinum nova illa morum regula prioribus Eccleſiæ ſæculis inaudita, non effugiſſet oculos ſapientiſſimi Concilii omnia colluſtrantis, omnia examinantis, omnia zelo infatigabili reformantis: effugit tamen ut patet ex actis Concilii in quibus nulla fit mentio probabiliſmi, ſeu minoris, ſeu æqualis.

mus ſeu minor, ſeu æqualis.

Dicendum eſt igitur probabiliſmum ſeu minorem, ſeu æqualem non niſi poſt tempora Tridentini Concilii prodiiſſe, ambos ſatis affines & cognatos: uter vero duorum præiverit æqualis, an minor, ſatis dubium eſt: veriſimilius tamen apparet æqualem minori præiviſſe; ratio nimirum eſt, quia probabiliſmus æqualis cùm primâ ſpecie ſuâ minus offenderet quam probabiliſmus minor molliores & faciliores aditus invenire debuit, nam in æquali probabilitate legis & libertatis, licentia ſequendi alterutram pro arbitrio, hominibus ad ſolam æqualitatem rationum præciſè attendentibus, viſa eſt ſatis naturalis, rationabilis, & planè innoxia: deindè vero creſcente ſenſim amore libertatis viſa eſt ſufficere ad operandum minor probabilitas libertatis non obſtante majore probabilitate legis: atque ita evenit quod Chriſtus eventurum prædixerat, quoniam *refrigeſcet charitas multorum*: refriguit charitas, & prævaluit libertas humana legi divinæ non ſolum æquè probabili, ſed etiam probabiliori.

QUÆSTIO TERTIA.

An sit licentia, sequendi probabilitatem majorem libertatis, concurrentem cum minore probabilitate legis.

Qui pro lege divinâ seu probabiliore, seu æquè probabili contra libertatem seu minus, seu æquè probabilem religiosè sentimus, deffinientes esse obligationem sequendi probabilitatem legis majorem, aut æqualem concurrentem cum minore aut etiam æquali probabilitate libertatis, miraberis fortè, optime Theophile, eosdem nos stare hodiè pro libertate probabiliore contra legem minus probabilem, decidentes licere sequi majorem probabilitatem libertatis concurrentem cum minore probabilitate legis. Sed mirari desine, nimirum in sentiendo non duritiem aut mollitiem sequi volumus, sed veritatem.

Quid opinio magis tuta. Quid minùs tuta.

Præmitto igitur 1. Opiniones probabiles distingunt Theologi in magis tutas & minus tutas. Magis tutas appellant quæ videntur favere legi contra libertatem: minus tutas quæ videntur favere libertati contra legem. Ratio istius denominationis est, quia opinio, quæ favet legi contra libertatem magis removet operantem à periculo peccandi, tam materialiter, quàm formaliter. Quæ autem favet libertati contra legem, minus removet operantem à periculo peccandi, saltem materialiter. Nam peccare materialiter, est facere actionem prohibitam quidem, aut omittere præceptam, sed sine sufficienti libertate, aut propositione legis seu prohibentis seu præcipientis. Peccare verò formaliter est facere actionem prohibitam, vel omittere præceptam cum sufficienti libertate, & propositione legis seu prohibentis, seu præcipientis. Duæ sunt, exempli causâ, opiniones quarum una docet illicitum esse duas præbendas habere, altera docet licitum esse. Prima dicitur magis tuta, quia favet legi prohibenti habere simul duas præbendas (si qua fortè sit ejusmodi lex) & magis removet à periculo peccandi, tam materialiter, quàm formaliter; nam, qui sequens talem opinionem, contentus unâ præbendâ, dimittit alteram, certus est se non peccare, etiam materialiter; quia certus est nullam esse legem, quæ præcipiat haberi simul duas præbendas. Secunda est minus tuta, quia favet libertati contra legem, & minus removet operantem à periculo peccandi saltem materialiter. Nam retinens præbendas duas, quamvis non peccet formaliter propter ignorantiam legis, fortè tamen peccat materialiter, quia fortè id facit quod facere peccatum est, si adsit sufficiens propositio legis.

Præmitto

Præmitto 2. inter opiniones inæqualiter probabiles, contingere potest, & re ipsâ contingit, ut quæ magis probabilis est, sit eadem magis tuta, & vicissim minus tuta sit, quæ minus est probabilis. Contingit item non rarò, ut quæ opinio magis probabilis est, sit eadem minus tuta, & tutior sit, quæ minus est probabilis. Ita, magis est probabilis opinio Sancti Thomæ docentis licitam esse peccatori dilationem pœnitentiæ, quæ tamen opinio minus tuta est. Contra verò minus probabilis, & simul magis tuta est opinio S. Bonaventuræ docentis esse obligationem pœnitendi statim post peccatum mortale. His ita præmissis.

Interdum quæ opinio est magis probabilis, eadem est minùs tuta. Et tutior minus probabilis.

Quærimus in concursu duarum partium inæqualiter probabilium, an liceat sequi magis probabilem, tum in judicando, tum in operando, sive magis tuta illa sit sive minus.

Dico 1. in concursu duarum partium inæqualiter probabilium licet sequi judicando magis probabilem sive magis tuta illa sit, sive minus. Hæc Thesis fundamentum erit sequentium. Nam si intellectus non posset judicare nisi imprudenter partem probabiliorem, jam non liceret sequi in operando opinionem probabiliorem; quia judicium imprudens non potest esse regula actionum humanarum.

In concursu duarum partiū inæqualiter probabiliū licet sequi judicando magis probabilem sive magis tuta illa sit sive minus.

Veritas autem illa haberi potest. 1. Experientiâ communi. Constat enim nos secundùm unam partem contradictionis probabiliter concludere, rejectis omnibus motivis quæ parti contrariæ favent, & sæpe probabilia sunt. Nam quis Scotista non assentitur Scoto suo probabiliter, quamvis credat opinionem Thomistarum esse probabilem? Aut quis Thomista non assentitur S. Thomæ etiam probabiliter, quamvis credat opinionem Scotistarum esse probabilem? in quo negotio nemo seu Scotistas seu Thomistas ita judicantes accuset imprudentiæ. 2. Haberi potest authoritate, & confessione omnium ferè scriptorum, sive in rebus speculativis, sive in moralibus, qui passim sequuntur unam partem contradictionis, ut ipsis quidem videtur probabiliorem; fatentur tamen iidem partem oppositam esse probabilem. Quis autem bene sanus tot magnos viros repræhendere audeat, ut malè & imprudenter judicantes. 3. Haberi potest ratione. Nam ille prudenter agit judicando, qui sinit se flecti motivis plusquam sufficientibus ad obtinendum assensum à viro prudenti. Qui autem judicat secundùm partem probabiliorem, sinit se flecti motivis plusquam sufficientibus ad assensum à viro prudenti obtinendum. Talia enim sunt motiva quę fundant majorem probabilitatem. Et verò quis judicem reprehendat quod in judicando majorem veri apparentiam sequatur? intellectus autem judex est; ergo tenendum est pro certo in concursu motivorum probabilium utrique parti faventium, posse intellectum judicare prudenter, non modò majorem probabilitatem unius partis, sed etiam illius existentiam.

Habetur 1. experiētia.

2. Authoritate scriptorum.

3. Ratione.

Objicies. Intellectus dubitans opinari non potest. Dubium enim propriè dictum est suspensio intellectûs neutram partem determinatè judicantis. Opinio autem est judicium determinatum unius partis; atqui intellectus in propositione motivi minus probabilis dubitans est; motivum enim, quamvis minus probabile, est motivum grave, ac proinde sufficiens ad causandum dubium.

Respondeo intellectum dubitantem opinari non posse in sensu composito, seu non posse componere opinionem cum dubio propriè dicto; quia dubium propriè dictum formaliter excludit opinionem. Sed nego motivum minus probabile, quantumvis grave sit, necessariò causare in intellectu dubium propriè dictum, hoc est suspensionem omnis assensûs ad unam partem determinati. Valet quidem ejusmodi motivum dubium causare; necessariò tamen dubium non causat, sed solùm formidinem. Formido autem non excludit assensum ad unam partem determinatum; est enim formido actus positivus, per quem intellectus judicat motiva, propter, quæ assentitur uni parti, non esse convincentia, sed subesse illis aliquod errandi periculum.

Motivum minus probabile quãtũvis grave sit non causat necessariò in intellectu dubiũ propriè dictum.

Instabis. 1. Nemo prudenter se exponit periculo errandi, ubi facilè potest vitari periculum; sed intellectus sequens partem probabiliorem in concursu minus probabilis, exponit se periculo errandi, potest enim facilè vitari periculum, ergo, &c.

Respondeo, distinguo majorem. Nemo prudenter exponit se periculo errandi, si magnam spem habeat assequendæ veritatis, & periculum errandi prudenter contemnat, nego majorem. Si, nec magnam spem habeat assequendæ veritatis, nec periculum errandi prudenter contemnat, concedo majorem. Sed qui partem probabiliorem sequitur, & magnam spem habet assequendæ veritatis, quia nititur motivis, quæ plerunque non fallunt; & prudenter contemnit errandi periculum, quia minus malum est intellectui interdùm errare, plerumque assequendo veritatem, quam manere semper in statu ignorantiæ, & suspensionis.

Ubi magna spes est assequendæ veritatis prudenter contemnitur errandi periculum.

Instabis 2. viator in bivio positus interrogat tres sapientes viros, utra via tenenda sit ad vitandum occursum Leonis in alterutrâ viâ obambulantis. Duo sapientes viam dextram indigitent, unus à duobus dissentiens sinistram præferat, alteram aïens esse plenam periculi, leonem quippe esse hac in viâ. In hoc rerum discrimine, via quidem dextra probabilior est propter autoritatem duorum prævalentem autoritati unius; viator tamen neutri viæ se prudenter committet, facilè est rem applicare materiæ præsenti. Viator est intellectus: duæ viæ sunt duæ partes contradictionis: via dextra est pars probabilior: sinistra minus probabilis: latens error est Leo in via. Ergo intellectus neutram partem contradictionis prudenter sequetur.

Respondeo ipso exemplo demonstrari, quod volumus. Viator enim nixus autoritate duorum prudenter credit viam dextram esse viam bonam. Quod ut clarius fiat, supponamus instare hostem insequentem stricto gladio, ac proindè instare viatori necessitatem fugiendi alterutrâ viâ; viator prudenter fugiet viâ dextrâ; ergo prudenter credet viam dextram esse viam bonam. Neque enim prudenter eligeret viam dextram, si non prudenter crederet viam dextram esse viam bonam. Ergo licet judicare partem probabiliorem in concursu probabilis. Nam ista fugiendi necessitas nec auget probabilitatem viæ dextrę, nec tollit probabilitatem viæ sinistræ. Quod autem additur viatorem non facturum prudenter, si absque necessitate viam dextram sequeretur propter periculum leonis, er-

go neque intellectum facturum prudenter, si absque necessitate sequatur partem probabiliorem propter periculum erroris, dico disparitatem esse duplicem. 1. Est quia error præsertim si prudens est & specie, & insignibus veritatis vestitus, non est leo in via, nec aliquid ita intellectui formidandum, ut leo formidandus est viatori. Altera est quia melius esset viatori resilire aut manere diù ancipitem, quam semel incurrere in leonem. Contra vero melius est intellectui plerumque assequi veritatem, & interdum errare, quam semper manere in statu dubii, & suspensionis; ergo voluntas melius consulit bono intellectûs, si intellectum determinet ad judicandum partem alterutram, etiam cum aliquo periculo errandi, quàm si illum teneret suspensum.

Dico 2. in concursu duarum partium inæqualiter probabilium, licet operando sequi probabiliorem, sive magis tuta illa sit, sive minus. Ratio generalis est quia licet sequi judicando partem probabiliorem quæcumque illa sit, ergo licet illam sequi operando. Licet enim conformare actionem suam judicio plusquam prudenti, quale est judicium partis probabilioris. Ratio specialis pro parte magis tutâ est, quia licet sequi opinionem, quæ omnino removet operantem à peccato, eumque nulli exponit periculo peccandi etiam materialiter. Talis autem est opinio magis tuta; quamvis enim ejusmodi opinio falsa esset, operans tamen secundum illam ne materialiter quidem peccaret. Pro parte verò minus tutâ speciatim militat communis sensus & praxis fidelium. Nam si non liceret operando sequi partem minus tutam & probabiliorem, peccaret quicumque differt pœnitentiam, seu qui non elicit actum perfectę contritionis, aut confitetur statim post peccatum mortale: peccaret qui dolet tantum generatim de omnibus peccatis mortalibus, non autem speciatim de singulis: peccaret qui circumstantias aggravantes non explicat in Confessione; sequeretur enim partem minus tutam & probabiliorem, relictâ minus probabili & magis tutâ; consequens autem est contra Communem sensum & praxim fidelium. Ratio ulterior est quia sequens partem minus tutam certus est se non peccare contra ullam legem obligantem; quia nulla est lex obligans hominem in circumstantiis in quibus prudenter credit nullam esse talem legem; lex enim quæ prudenter creditur non esse, perinde est ac si non esset in ordine ad obligandum.

Licet sequi operãdo probabiliorem sive magis tuta illa sit, sive minus.

Objicies. Sectari tutiorem partem in rebus ad salutem spectantibus, est Christianæ prudentiæ; ergo non licet sequi partem minus tutam, quamvis probabiliorem.

Respondeo 1. Distinguo antecedens. Sectari tutiorem partem est Christianæ prudentiæ obligantis, nego; Christianæ prudentiæ consulentis, concedo. Hæc distinctio est Sancti Antonini 1. parte tit. 3. cap. 10. §. 10. Eligere, inquit, viam tutiorem, consilii est, non præcepti; aliàs oporteret multos ingredi religionem, in quâ tutius vivitur, quam in sæculo. Non igitur de necessitate oportet tutiorem eligere, quandò etiam aliâ viâ potest eligi tuta. Sicut enim diversæ viæ tendunt ad unam civitatem, licèt una tutior sit aliâ, ita ad civitatem cœlestem alius sic, & alius sic vadit, & tutè, licet alius tutiori modo. Ita S. Antoninus.

Eligere viam tutiorem consilii est non præcepti.

Reſpondeo 2. Tranſeat antecedens nego conſequentiam; quia in ordine ad excuſandam à peccato operationem, & certificandum operantem, pars minus tuta probabilior tutiſſima eſt; certus eſt enim operans ſe non peccare operando, & ſequendo partem minus tutam probabiliorem; quia certus eſt ſe prudenter agere eam partem ſequendo.

Inſtabis 1. quando honeſtas operationis dubia eſt, abſtinendum eſt ab operatione; quia juxta regulam juris, *in dubiis tutior pars eſt eligenda.* Quando autem pro utraque parte ſunt motiva probabilia, honeſtas operationis dubia eſt; neque enim poteſt operans eſſe certus quod bene operetur.

Reſpondeo nego minorem; quia intellectus judicans determinatè partem probabiliorem, non eſt dubius de honeſtate operationis. Dubius enim ille propriè dicitur, qui neutram in partem propendet, neutram determinatè judicat. Quare caſus iſte noſter regulâ illâ juris non comprehenditur. Quod autem aïunt operantem non eſſe certum de honeſtate ſuæ operationis, dico non eſſe quidem certum de honeſtate antecedente, ſed eſſe certum de honeſtate conſequente, quod ſufficit.

Inſtabis 2. Quicumque operatur cum ſuſpicione, ſcrupulo, aut levi aliquâ credulitate malitiæ inexiſtentis operi, peccat operando; atqui ſequens opinionem probabiliorem minus tutam credulitatem habet ſcrupulo, & ſuſpicione majorem de malitiâ operis ſui; judicat enim quamvis minus probabiliter opus eſſe illicitum.

Reſpondeo. Qui ſequitur partem probabiliorem minus tutam, nec ſcrupulum habet, nec ſuſpicionem, nec ullam credulitatem malitiæ inexiſtentis operationi ſuæ; quia non poteſt habere credulitatem malitiæ, qui abſolutè & determinatè credit in operatione nullam eſſe malitiam. Non igitur habet ſcrupulum; ſcrupulus enim eſt judicium abſolutum, quo quis judicat ex levibus fundamentis malitiam ineſſe operationi; atqui ſequens partem probabiliorem judicat abſolutè non eſſe malitiam in operatione; ergò judicare non poteſt in operatione eſſe malitiam. Sed neque ſuſpicionem habet. Eſt enim ſuſpicio actus, quo quis judicat, ſi veritas ulterius inquireretur, fortè malitiam detectum iri in operatione; atqui ſequens partem probabiliorem non poteſt judicare detectum iri malitiam, quia certò judicat malitiam nullam eſſe. Habet igitur ſolam formidinem de malitiâ operis antecedente, ſeu habet actum quo judicat motiva, quæ ſuadent honeſtatem, aut licentiam antecedentem, non eſſe convincentia; fieri poſſe, ut in illâ judicandâ fallatur; ſed nullam formidinem habet de honeſtate, aut licentiâ conſequente; eſt enim certus ſe non peccare operando in circumſtantiis, in quibus operatur. Quare nec ſcrupulum habet, nec ſuſpicionem, nec ullam malitiæ credulitatem.

Requiritur notabilis exceſſus probabilitatis ad libertatem ſeu

Dico 3. Ad libertatem probabiliorem, ſeu judicandam ſeu ſequendam, præ lege minus probabili, non ſufficit quicumque probabilitatis exceſſus; ſed requiritur exceſſus notabilis. Explicatur, & probatur. Fieri poteſt, ut probabilitatis exceſſus, quo libertas legem ſuperat, ſit adeò levis ac tenuis, ut moraliter pro nullo haberi debeat. In quâ hypotheſi

probabilitas libertatis, & probabilitas legis ſunt moraliter æquales. In tali autem æqualitate morali, debet lex præferri libertati, non libertas legi. Atquè hujus prælationis occurrit cauſa multiplex. 1. Eſt rationabilis ſuſpicio proprii amoris ſubtiliter illudentis; fieri enim poteſt, ut amor ille proprius apparentiam libertatis ſupra meritum augeat, & quod eſt conſequens, libertatem probabiliorem repræſentet quam re ipsâ ſit. Quare non obſtante illo exceſſu apparentiæ libertatis ſupra apparentiam legis, rationabiliter præſumi poteſt æquè probabilem eſſe legem ac libertatem; ſeu parem eſſe cauſam utriuſque; atqui in pari causâ melior eſſe debet conditio Dei quam hominis, & lex divina jus habet prælationis ſupra libertatem humanam. Altera cauſa eſt præcipuus aliquis affectus erga legem divinam; ex quo affectu fieri debet ut ſtet homo contra libertatem, non obſtante levi aliquo probabilitatis exceſſu quem videtur habere libertas ſupra legem. Quarè apud bonas & religioſas mentes principium eſto libertatem non ſequi poſtpoſitâ lege, niſi probabilitas libertatis notabiliter excedat probabilitatem legis; nimirum ubi non apparet notabilis exceſſus unius ſupra alterum, cenſeri debent in pari causâ; in causâ vero pari habet lex divina jus prælationis ſupra libertatem humanam.

judicandã, ſeu ſequendam.

Inſtabis deffiniatur ſi fieri poteſt, notabilis ille probabilitatis exceſſus præcisè neceſſarius & ſufficiens quem debet habere libertas probabilior ſupra legem minus probabilem nam ſi non deffiniatur, manca & inutilis eſt doctrina noſtra. Reſpondeo, difficillimum eſſe quod poſtulatur; dico tamen ad ſatisfaciendum poſtulato, exceſſum illum apparentem ita debere eſſe notabilem, ut æquivaleat teſtimonio duorum aut trium teſtium. Ratio deciſionis hæc eſt, quia niſi accedat exceſſus apparentiæ pro libertate æquivalens teſtimonio duorum aut trium teſtium, jam libertas non eſt ſatis probabilis, ut legi divinæ minus probabili præferatur; nam ſi exceſſus apparentiæ favens libertati non æquivaleat teſtimonio duorum aut trium teſtium, æquivalebit dumtaxat teſtimonio unius, quod teſtimonium planè non ſufficiet, ut libertas legi divinæ præferatur. Habet enim aliunde lex divina ex origine, & conditione ſuâ unde præferatur libertati, nec ſatis ponderans eſt teſtimonium unius ad elevandam probabilitatem legis ex origine & conditione ſuâ præponderantis. Ergo ad elevandam probabilitatem legis neceſſarius eſt exceſſus apparentiæ libertatis ſupra apparentiam legis, æquivalens teſtimonio duorum aut trium teſtium, in quo teſtimonio ſeu formali ſeu virtuali ſtat omne verbum.

Qualis exceſſus requiratur.

ANTIPROBABILISMI

PARS SECUNDA.

Probabilitas seu legis, seu libertatis extra concursum unius cum alterâ.

VIDEBATUR mihi ordinem naturalem sequenti tractanda primo loco ista controversiæ pars, idque titulo multiplici ac 1. quidem titulo majoris facilitatis, est enim facilioris decisionis quam prima: à facilioribus autem progredi oportet ad difficiliora ut fiat compendium laboris, & difficultatis asperitas ipso tractandi usu emolliatur 2. titulo majoris necessitatis, est enim pars ista magis necessaria respectu populi Christiani, cui duorum aut trium doctorum authoritas facere solet probabilitatem absolutam, seu cum ulla probabilitate oppositâ non concurrentem. 3. Denique titulo expeditioris & ordinatioris methodi, principia enim generalia quæ ferè traduntur pro tractanda probabilitate absolutâ, eadem utilia esse possunt ad extricandam & collustrandam probabilitatem respectivam cum oppositâ probabilitate concurrentem. Sed mihi hodie melius consulto magis placet sequi exemplum Domini, atque ut ille ascendebat in montem ad tractanda cum Apostolis mysteria difficiliora, & ad ima descendebat pro facilioribus populo explicandis, ita mihi visum est tractare primò cum doctoribus de concursu probabilitatis cum probabilitate, quæ materia difficilior est; deinde verò ad planiora descendere & populo Christiano explicare probabilitatem absolutam longe facilioris decisionis & ad captum pusillorum magis accommodatam.

Tota autem hæc controversiæ pars ultrò se ac sponte in duas Quæstiones partitur. 1. Est de probabilitate libertatis absolutâ, seu non concurrente cum ulla probabilitate legis. Altera de probabilitate legis absolutâ, seu non concurrente cum ullâ probabilitate libertatis.

QUÆSTIO PRIMA.

De probabilitate libertatis absoluta seu non concurrente cum ullâ probabilitate legis.

1. Quæstio de probabilitate legis absoluta.

PRÆMITTO 1. Innocentius quidem XI. Pontifex Maximus satis apertè declaravit quod à nobis supra demonstratum fuit; ad habendam conscientiam certam licentiæ operandi non omnem sufficere probabilitatem. Nihilominus tamen subindicavit idem in ipso eodem decreto suo, sufficere aliquam; cum enim id solum reprehenderit, quod dicere ausi fuerant laxiores nonnulli, *licitum esse operari ex quacumque probabilitate quantumvis tenui*, supponere visus est licitum esse operari ex aliqua probabilitate, quæ tenuis non sit. Sed ut idem demonstremus quod Pontifex subobscure tantùm visus est innuere.

Præmitto 2. Ad habendam conscientiam certam licentiæ operandi, nullam sufficere probabilitatem quæ non sit eadem formalis, simpliciter practica, & certa, convenienti modo formata, possessa & applicata; ut distinctè explicuimus in præambulis nostris, parte 1. controversiæ generalis præambulo 3.... ubi definimus probabilitatem illam formalem esse ipsummet judicium probabile practicum & certum, convenienti modo formatum, possessum & applicatum.

Quæ nam requiritur probabilitas ad licitè operandum.

Præmitto 3. multiplex esse operationis genus, in quod cadere possit istiusmodi probabilitas; in quodcumque vero cadat sufficit ad habendam conscientiam certam; ut demonstrari potest ipsâ enumeratione; nam primo, si operatio consilii est non præcepti, ita ut operans probabiliter judicet, operationem à Deo consuli, certus illam non prohiberi; dubium non est quin faciat honestè, si ex studio sequendi divinum auxilium, actionem fecerit, quam prudenter judicat à Deo consuli. Secundò. Si probabile est actionem esse præceptam & simul certum, non esse prohibitam, dubitari non potest quin operans rectè faciat, si ex desiderio conformandi se voluntati divinæ præcipienti actionem faciat, quam probabiliter judicat esse præceptam, certus non esse prohibitam. Tertiò. Si probabile est actionem esse prohibitam, & simul certum non esse præceptam; certus est operans licere sibi omittere actionem, quam probabiliter judicat esse prohibitam, certus aliunde non esse præceptam. Quartò. Si ita probabile est actionem esse permissam, ut probabilitas permissionis non concurrat cum ulla probabilitate prohibitionis; potest per suam illam permissionis probabilitatem certificari operans se non peccare faciendo actionem quam probabiliter ita judicat sibi esse permissam, ut ei proba-

bile

bile non ſit, eſſe prohibitam. Quintò. Si probabile eſt omiſſionem actionis ita eſſe permiſſam ut non ſit probabile, actionem eſſe præceptam, ex ſua illa probabilitate poteſt operans fieri certus, ſe non peccare omittendo actionem, cujus omittenda libertas ita probabilis eſt, ut ejuſdem faciendæ non ſit probabilis obligatio. Sed ut hæc omnia ad unum aliquid certum & minus vagum reducam, ſto in ſola probabilitate libertatis ſeu permiſſionis operandi abſolutâ nec concurrente cum ulla probabilitate legis libertatem ligantis & ſic argumentor.

Eſſe poteſt aliqua probabilitas permiſſionis extra concurſum, ſeu non concurrens cum ulla probabilitate prohibitionis: ejuſmodi vero probabilitas ſufficit ad habendam conſcientiam certam licentiæ operandi, dummodo ſit eadem formalis, certa & ſimpliciter practica, tum ex parte actûs: ergo aliqua probabilitas ſufficit ad habendam conſcientiam certam licentiæ operandi. Conſequentia ſyllogiſmi noſtri evidens eſt poſita certitudine præmiſſarum: duæ vero præmiſſæ, quarum una facti eſt, altera juris, ambæ certæ ſunt & demonſtrabiles.

Ac prima quidem facile demonſtratur: eſſe nimirum aliquam probabilitatem permiſſionis, non concurrentem cum ulla probabilitate prohibitionis: quia contingit non raro ut ſint quædam gravia motiva idonea movere virum prudentem quæ ſuadeant, non eſſe ullum præceptum libertatem ligans; nulla vero, aut certè levia motiva ſint pro exiſtentia præcepti libertatem ligantis: in qua hypotheſi ita probabilis eſt non exiſtentia præcepti, ut probabilis non ſit præcepti exiſtentia: ergo in tali hypotheſi habetur probabilitas permiſſionis extra concurſum, ſeu non concurrens cum ulla probabilitate prohibitionis. Rem ſenſibilem facio exemplis familiaribus. Caïus vir conſcientiæ timoratæ, in dubio de licentia contractûs, qui faciendus proponitur, duos treſve conſulit Juriſconſultos, viros magnos; nec plures habet quos conſulat: conſentiunt vero omnes unanimiter propoſitum contractum nihil habere vitii: ex hoc habet Caïus probabilitatem licentiæ contrahendi; duo enim aut tres illi Juriſconſulti probabilitatem faciunt, eaque probabilitas, eſt aliqua probabilitas extra concurſum, ſeu non concurrens cum ulla probabilitate partis oppoſitæ: pro parte enim oppoſita nulla gravis ratio, nulla authoritas occurrit quæ probabilitatem facere poſſit. Ruſticus, qui fortè iter faciens nummum invenit in via publica, neſciens cujus ſit, Parrochum ſuum conſulit, an liceat ſibi ſervare nummum inventum, cujus neſcitur Dominus, poſt ſufficientem inquiſitionem: reſpondet Parrochus, vir probus & ſapiens, licere: reſponſio Parrochi probabilitatem facit ruſtico licentiæ nummi retinendi; eaque probabilitas non concurrit cum ulla probabilitate obligationis nummi abdicandi: eſt enim ruſtico ita probabilis licentia nummi ſervandi, ut ei non ſit probabilis obligatio nummi à ſe abdicandi. Parrochus ruri poſitus, in gravi periculo perdendæ ſegetis, aut vindemię, ſi meſſis aut vindemia differatur, dubitat forte, an in die feſto facere veniam poſſit metendi, aut vindemiandi: in tali dubio conſulit, quos ſolos habet, caſuiſtas duos, putà Bonacinam & Toletum, authores probatos, eoſque comperit fa-

vere licentiæ metendi & vindemiandi in caſu propoſito : conſenſus ille duorum facit Parrocho probabilitatem veniæ faciendæ , eaque probabilitas non concurrit in mente Parrochi cum ulla probabilitate prohibitionis : Parrocho enim ita probabilis eſt licentia faciendæ veniæ , quæ petitur , ut non ſit probabilis obligatio veniæ negandæ. Puella devota nimis anxia , an liceat ſibi legere librum aliquem ignotum , directorem adit, quem habet pro viro bono & ſapiente : reſpondet director licere : reſponſio autem illa directoris probabilitatem facit puellæ de licentia libri legendi ; probabilitatem inquam , non concurrentem in mente puellę cum ulla probabilitate præcepti lectionem prohibentis : eſt enim puellæ ita probabilis licentia libri legendi ut ei nullo modo probabilis ſit prohibitio. Sufficiant pauca hæc exempla , ex quibus ſatis apparet quam familiaris & frequens ſit iſta probabilitas permiſſionis non concurrens cum ulla probabilitate prohibitionis. Stet igitur pro demonſtrato, eſſe aliquam probabilitatem permiſſionis , ſeu licentiæ operandi non concurrentem cum ulla probabilitate prohibitionis : quod erat primum demonſtrandum.

Objicies. Ex quo una pars eſt improbabilis , pars oppoſita videtur eſſe certa : eſt enim certum , cujus oppoſitum eſt improbabile : ergo quæ fingitur à nobis probabilitas permiſſionis extra concurſum ſeu non concurrens cum ulla probabilitate prohibitionis , jam non eſt probabilitas permiſſionis ſed ſpecies aliqua certitudinis. Reſpondeo. Vanam eſſe objectionem & manifeſtè falſam : ſiquidem ex improbabilitate unius partis , nullo modo ſequitur certitudo alterius : poteſt enim utraque *pars eſſe improbabilis* , ut apparet in quæſtione , an aſtra ſint paria. Nam utraque pars , ſeu affirmans , ſeu negans , omnino improbabilis eſt ; quia pro neutra parte occurrunt rationes ſufficientes , ad fundandum judicium probabile de aſtrorum ſeu paritate ſeu imparitate. Quod ſi ex improbabilitate unius partis inferri nequit probabilitas alterius , longe etiam minus inferri poterit certitudo. Ratio nimirum eſt. Quia quod ſint motiva quædam gravia pro una parte , non continuo ſequitur eſſe pariter gravia quædam motiva pro altera : ergo quod una pars probabilis ſit non continuo ſequitur oppoſitam eſſe probabilem. Poteſt igitur ita probabilis eſſe permiſſio ſeu licentia operandi , ut nullo modo probabilis ſit prohibitio , ac proindè poteſt eſſe probabilitas aliqua permiſſionis, non concurrens cum ulla probabilitate prohibitionis. Dico autem ejuſmodi probabilitatem , dummodo ſit eadem formalis , certa , ſimpliciter practica , tam ex parte actûs quam ex parte objecti , ſufficere ad rectè operandum : & hoc eſt alterum quod demonſtrare habeo.

Sufficit eadem ad operandũ.

Nec difficilis erit demonſtratio : nam quicumque poſt examen ſufficiens , conſideratis omnibus circumſtantiis , judicat prudenter , ſibi licitum eſſe operari , idemque ſibi conſcius eſt illius ſui judicii prudentis, certus eſt idem , ſe non peccare operando : quo modo ſe habet operans ex probabilitate permiſſionis , non concurrente cum ulla probabilitate prohibitionis. Generale illud principium crediderim ego eſſe evidens omni homini bene penetranti terminos : quia tamen video eſſe adhuc

nonnullos, qui terminos non satis penetrant, hæsitantque in rebus etiam clarissimis; placet hoc principium aliquantulum versare; forte enim diversimodè versatum ponetur tandem in bono aliquo lumine, unde omnibus appareat; duas tantum demonstrationes proponere habeo, ab intrinseco unam; alteram ab extrinseco petitam.

Proponitur demonstratio ab intreseco.

QUicumque peccat operatur imprudenter: sed qui operatur ex nostra illa probabilitate permissionis non contra pugnata per ullam probabilitatem prohibitionis non operatur imprudenter: operatur enim eo modo quo decet operari virum prudentem, ex rationibus gravibus permissionem suadentibus, nec per alias rationes graves contra pugnantes. Confirmatur 1. evidens est hominem non posse Deo displicere eo præcisè quod rationabiliter operetur: operans autem ex probabilitate nostra operatur rationabiliter, quippe qui operatur propter rationes evidenter graves, nullis gravibus rationibus contra ponderatas: ergo est evidens, operantem ex nostra probabilitate Deo non displicere. Confirmatur 2. Evidens est hominem cum peccat esse reprehensibilem; peccatum enim essentialiter reprehensionem meretur: sed homo operans ex probabilitate nostra nullatenus reprehensibilis est; si enim reprehensibilis esset vel ideo quod male judicaret, actionem sibi esse permissam; vel quod actionem faceret judicans prudenter sibi permissam esse: atqui reprehensibilis non est, quod male judicet actionem sibi esse permissam supponitur enim judicare prudenter & bona fide: neque item reprehensibilis est, quod actionem faciat judicans prudenter & bona fide sibi permissam esse & vero si diceretur homini ita operanti: *cur talem actionem fecisti?* haberet in promptu excusationem paratam; *quia credidi permissam esse & prudenter ita credidi*; quæ excusatio est evidenter legitima. Confirmatur 3. Evidens est hominem non teneri lege, quam prudenter credit non esse: sed homo operans in statu probabilitatis nostræ prudenter credit, non esse legem prohibentem, cui legi nulla ut supponimus probabilitas favet: ergo evidens est hominem in statu nostræ probabilitatis non teneri lege prohibente, si qua forte sit, ac proindè evidens est non peccare si quid contra operatur: neque enim peccat homo si non facit contra ullam legem obligantem se. Demonstratur ab intrinseco.

Objicies. Esto ex natura rei non teneatur homo ea lege, quam prudenter credit non esse; quia lex quæ creditur prudenter non esse post examen sufficiens, perinde se habet in ordine ad obligandum ac si non esset: potest tamen Deus ex alto Dominio suo ferre aliquam legem generalem, ne unquam homo operetur, donec illi evidens fiat, non esse ullam legem, quæ prohibeat operari: quis autem satis scire potest, num Deus legem ejusmodi tulerit? in qua suppositione demonstratio nostra funditus rueret. Respondeo. Esto, possit Deus ferre illam legem, quantumvis indignam, ut nobis quidem videtur, Deo optimo legislatore: manebit tamen homo in suo jure, quoad omnes alias leges, quarum nulla

est probabilitas, donec de nova illa lege constiterit: quamdiu enim nova illa lex prudenter credetur non esse lata, perinde erit, ac si non esset, in ordine ad obligandum: atqui nova illa lex prudenter creditur non esse lata; quia probabile est & plus quàm probabile latam non esse: ergo manet homo in suo jure, quoad omnes alias leges, quarumcumque existentia est improbabilis; & stat integra prima nostra demonstratio, quam confirmabit altera ab extrinseco petita.

Proponitur demonstratio ab extrinseco.

Demonstratur ab extrinseco.

NOn peccat homo operando in circumstantiis in quibus Deus homini permittit operari: Deus autem permittit homini operari in circumstantiis, in quibus prudenter ita credit homo actionem non esse prohibitam, ut nulla appareat probabilitas prohibitionis: ergo non peccat homo operans in talibus circumstantiis. Major est evidentissima: Deus enim non permittit homini peccatum permissione morali de qua nunc agimus seu permissione, quæ peccati licentiam faciat: minor autem habetur 1. ex ipso lumine naturæ quia credibile non est Deum bonum & justum voluntate sua ita hominem impedire & illaqueare, ut vix operari possit homo sine peccato: sed si Deus non permitteret homini operari in circumstantiis in quibus prudenter credit homo, non esse legem prohibentem, cujus nulla apparet probabilitas, Deus ita impediret & illaquearet hominem ut vix operari posset homo sine peccato; frequenter enim contingit homini necessitas operandi, etiam cum evidenter sciri non potest an sit lata lex prohibens, necne. 2. Habetur ex communi sensu Patrum, & Ecclesiæ Doctorum qui passim, seu implicitè seu explicitè tradunt; non peccari cum ea fiunt, quæ ita prudenter creduntur non esse prohibita, ut nulla sit apparentia prohibitionis; idque tanto consensu tradunt, ut vix ullus sit in quo non reperiatur nostrum hoc principium, vel resolutio aliqua moralis in eo principio fundata; quod argumento est tale principium vel lumine naturæ notum esse, vel de traditione aliqua divina eaque manifesta descendere. Habetur 3. Ex usu sanctorum: nam via illa tutissima censenda est, quam sequentes viri sancti ad metam sanctitatis pervenerunt. Pervenerunt autem sequendo probabilitatem nostram, seu multa faciendo quorum honestas aut licentia antecedens certò illis non apparebat, sed probabiliter tantùm: cujus rei tot exempla sunt, ut conficere possint volumen integrum. Habetur 4. ex praxi bonorum fidelium irreprehensibiliter operantium ex judicio probabili permissionis, seu licentiæ operandi. Unde sequitur principium supra positum verum esse: nam si verum non esset jam Ecclesia per orbem diffusa erraret in principio aliquo directivo morum, quod plane dici non potest: quare pro certò tenendum est, sufficere ad rectè operandum probabilitatem permissionis seu licentiæ operandi, non concurrentem cum ulla probabilitate prohibitionis, dummodo sit eadem formalis practica & certa, convenienti modo formata, possessa & applicata, ut supra ipso initio monuimus. Sed quia

ista probabilitas distingui potest multiplex; intrinseca, vel extrinseca; absoluta, vel respectiva; directa, vel indirecta; progrediamur ulterius, & videamus an sufficiat cujuscumque generis sit.

Dico igitur 1. ad rectè operandum sufficit probabilitas nostra, sive intrinseca sit, sive extrinseca. Nam de intrinseca quidem, quæ probabilitatis perfectissima species est, & probabilitatem fundat extrinsecam nullum est dubium. De extrinseca verò similiter patet: quia nimirum gravis authoritas idonea est movere virum prudentem & fundare potest judicium practicè prudens. Accedit, quod sæpè non alia suppetat probabilitas quam extrinseca, sive id ferat natura objecti, quod solo testimonio haberi potest; sive hebetudo hominum qui ratione parum valent, & sola ferè authoritate reguntur.

Dico 2. Ad rectè operandum sufficit probabilitas non absoluta solum sed etiam respectiva. Nam de absoluta quidem dubitari non potest, quin sufficiat: nititur enim illa aliquo motivo quod reipsa grave est, & omni homini rectè judicanti grave apparet: de respectiva autem facilè probatur: quia plerumque operans nullam aliam probabilitatem habere potest, nisi respectivam, ut videre est in rusticis, quibus authoritas Parrochi probabilitatem facit eamque sufficientem ad rectè operandum; in pueris qui licitè sequuntur sententiam patris, aut præceptoris; in devotis mulierculis quæ prudenter stant placitis directorum suorum. Certè rusticus in materia fidei prudenter facit, si credat quod ei Parrochus credendum proponit: quidni igitur prudenter faciat in materia morum, si ex consilio & authoritate ejusdem parrochi operatur. Ratio ulterior esse potest, quia rationabilis Dei voluntas est, ut omnes eo motivo ducamur, quod nobis apparet grave post adhibitam sufficientem diligentiam, sive illud motivum grave sit in se, sive non sit.

Dico 3. ad rectè operandum sufficit probabilitas seu directa, seu indirecta; quia nihil interest ad rectè operandum undecumque veniat probabilitas sive ex natura objecti, sive ex circumstantiis objecto extrinsecis, dummodo judicium fundet vere probabile, & practicè prudens, nec contra pugnatum ulla gravi ratione in contrarium. Nam ut miles, exempli causâ, licitè bellum suscipiat, debet quidem judicare prudenter, sibi licitum esse bellum facere, sed nihil interest, ex quibus principiis ita judicet: sive enim belli naturam considerans, prudenter judicet, bellum esse justum, sive judicet in dubio parendum esse principi bellum indicenti, dummodo, inquam, prudenter judicet, licitum esse sibi bellum gerere, in belli gestione non peccabit. Et hæc quidem omnia satis clara & certa videri possunt: sed ne dissimulem, gravissimæ & subtilissimæ difficultatis res est, quomodo per probabilitatem permissionis, etiam non concurrentem cum ulla probabilitate prohibitionis certificari possit operans de licentia operandi: nam ut certificetur operans per viam talis probabilitatis, debet ipsum judicium probabile permissionis vel esse conscientia certa licentiæ operandi, vel conscientiæ certæ fundamentum: neutrum vero videtur dici posse aut concipi: nam ipsum quidem judicium probabile, cum certum non sit nequit esse conscientia certa: sed

neque poteſt eſſe conſcientiæ certæ fundamentum; cum ſit ipſummet incertum. Hoc eſt Myſterium paucis admodum intellectum, dignum tamen ſi fieri poteſt omnibus aperiri.

APERITUR MYSTERIUM
Judicii probabilis operantem certificantis de licentia operandi.

Aperitur myſterium judicii probabilis certificantis operantem de licentia operandi.

JUdicium probabile certum eſt, ſaltem quoad exiſtentiam & quoad prudentiam: nam certo exiſtit & certò prudens eſt: ergo aliquis actus reflexus aſſerens dumtaxat exiſtentiam & prudentiam judicii probabilis fundari poteſt in ipſo judicio probabili ut in fundamento certo. Exemplum ſit vulgaris ille diſcurſus, per quem haberi dicitur conſcientia certa rectæ operationis. *Non peccat operando qui prudenter judicat, ſibi licitum eſſe operari: ego autem hic & nunc prudenter judico, mihi licitum eſſe operari: igitur ego hic & nunc non pecco operando.* Nam minor quidem propoſitio iſtius diſcursûs aſſerit exiſtentiam & prudentiam judicii probabilis cum objecto ſuo, quæ conformitas incerta eſt: ergo in minore illa propoſitione, præſuppoſitâ certitudine majoris, fundari poteſt actus certus & evidens reflexus ſupra exiſtentiam & prudentiam judicii probabilis, ac proindè conſcientia aliqua certa licentiæ operandi: talis enim actus reflexus eſt conſcientia certa licentiæ operandi, in judicio probabili ut in fundamento certo immobiliter fundata. Nihilominus tamen, ut mihi quidem videtur, rationabilius & ſapientius dixeris, ipſum judicium probabile eſſe conſcientiam certam rectæ operationis, non conſcientiæ certæ fundamentum; quia ipſum judicium probabile ſe ipſo certificat operantem quod non peccet operando: nam ſi ſubtilius & peritiùs rem inſpexeris, invenies per vulgarem illum diſcurſum, ſi rectè fiat, verificari quidem conſcientiam certam, ſed non formari: talis ergo diſcurſus conſcientiam certam præſupponit, non facit: quod ſic oſtendo. Judicium probabile vel excludit ſe ipſo omnem peccandi formidinem à ſubjecto, vel non excludit: Si 1. ergo judicium probabile ſe ipſo certificat operantem, quod non peccet operando: Si 2. ergo judicium probabile ſtare poteſt cum formidine peccandi, ac proindè falſum eſt, rectè operari, quicumque operatur, judicans prudenter, ſibi licitum eſſe operari: nemo enim rectè operatur formidans, an peccet operando: ergo vel diſcurſus ille vulgaris falſus eſt, vel judicium probabile ſe ipſo formidinem peccandi à ſubjecto excludit. Atque hinc ſequitur, diſcurſum hujuſmodi, ut bonus ſit, in hunc modum formari debere. *Non peccat operando quicumque prudenter judicat, ſibi licitum eſſe operari, & formidinem peccandi nullam habet, aut ſi quam habet prudenter contemnit: atqui ego hic & nunc prudenter judico, mihi licitum eſſe operari, & formidinem peccandi nullam habeo, aut ſi quam habeo, prudenter contemno: ergo non pecco operando.* Minor autem propoſitio illius diſcursûs præſupponit in operante, tum exiſtentiam & prudentiam judicii proba-

bilis, tùm exclusionem & contemptum formidinis; est enim actus assertivus utriusque; & utrique supervenit: ergo jam præsupponit in operante conscientiam certam quare dicendum est, ejusmodi discursum, non ad formandam conscientiam certam, sed ad verificandam pertinere.

Objicies 1. Judicium probabile est incertum: ergo seipso non potest certificare operantem quod operando non peccet. Respondeo. Distinguo antecedens. Judicium probabile est incertum, respectu honestatis aut licentiæ antecedentis; concedo. Respectu honestatis aut licentiæ consequentis; nego: multiplex enim est objectum judicii probabilis; nec est idem se habendi modus circa omne objectum suum. Explicatur res in judicio probabili, quo Caïus judicat, licitum sibi esse contractum facere probabiliter legitimum: Nam 1. Judicium illud probabile habet pro objecto honestatem aut licentiam antecedentem faciendi contra actûs, in eo positam, quod nulla sit lex prohibens contractum facere; & quidem circa tale objectum judicium Caïi incertum est. 2. Habet pro objecto rationes graves, quæ suadent non esse legem prohibentem contrahere; circa quas rationes judicium Caïi contrahentis incertum non est; asserit enim certò & evidenter, rationes illas graves esse aut graves apparere. 3. Habet pro objecto examen sufficiens rationum & circumstantiarum; in quo examine certò & evidenter versatur. 4. Habet pro objecto existentiam & prudentiam sui; judicium enim Caïi contrahentis reflexivum est; quia per ipsum judicium suum Caïus certò scit se judicare, & quidem prudenter, licere sibi contrahere; scit enim se judicare propter rationes certò graves. 5. Demum habet pro objecto honestatem aut licentiam contrahendi consequentem, in eo positam quod nulla sit lex obligans ipsum ad non contrahendum; quam honestatem aut licentiam consequentem certò & evidenter asserit: nam ea licentia evidenter apparet, & in omnibus supra dictis formaliter continetur: quicumque enim certò scit se judicare prudenter nullam esse legem quæ prohibeat contrahere, eo ipso certò scit nullam esse legem obligantem se ad non contrahendum; nam si qua fortè est lex prohibens contrahere, ea lex vim habet obligandi ad non contrahendum duntaxat conditionatam, sub conditione quod operans non sit certus, se judicare prudenter nullam esse legem prohibentem contrahere: ergo quando operans certus est, se judicare prudenter nullam esse legem prohibentem contrahere, certus est idem nullam esse legem obligantem se ad non contrahendum: atqui per judicium practicè probabile permissionis faciendi contractûs, convenienti modo formatum, possessum & applicatum certus est operans se judicare prudenter, nullam esse legem prohibentem contrahere: ergo per ipsum judicium probabile certus est operans nullam esse legem obligantem se ad non contrahendum, ac proindè certus est se non peccare contrahendo.

Objicies 2. Si est aliqua lex prohibens non contrahere, certè qui contrahit, talem legem violat: atqui fieri potest ut sit aliqua lex prohibens contrahere; supponitur enim non existentia talis legis esse duntaxat probabilis, non certa: ergo fieri potest ut qui contrahit ex judicio dunta-

xat probabili legem aliquam violet. Respondeo. Si est aliqua lex prohibens contrahere, in circumstantiis omnibus in quibus reperitur, qui contrahit; necesse est ut contrahens legem aliquam violet contrahendo: sed si est aliqua lex contrahere prohibens in aliis circumstantiis in quibus non reperitur contrahens, certè qui contrahit non propterea legem violat. Dico autem nullam esse legem, quæ prohibeat contrahere in circumstantiis in quibus prudenter creditur contractus esse licitus: esto, sit fortè lex prohibens in aliis circumstantiis: ergo contrahens in circumstantiis in quibus prudenter credit, licitum sibi esse contrahere, nullam legem violat. Confirmatur responsio. Si qua fortè sit lex prohibens contrahere, eodem modo se habet respectu hominis ex judicio probabili contrahentis quo modo se habet lex jejunii respectu pueri decennis, aut hominis ægrotantis: nam sicut puer decennis, aut homo ægrotans non violat legem jejunii etsi non jejunet; quia lex non præcipit jejunium puero decenni, aut homini ægrotanti; ita qui contrahit ex judicio probabili dictante contractum sibi esse licitum, non violat legem prohibentem contrahere, si qua fortè lex ejusmodi est; quia lex ejusmodi, si qua est; non prohibet fieri contractum ab eo, qui prudenter credit, contractum sibi esse licitum.

Objicies 3. Peccat qui operatur cum formidine peccandi: operans autem ex judicio probabili, operatur cum formidine peccandi; quia judicium probabile formidolosum est, formidinem essentialiter includens, aut trahens. Respondeo. Nego minorem & distinguo probationem. Judicium probabile formidolosum est, respectu alicujus objecti sui; concedo: respectu omnis objecti sui; nego. Nam judicium probabile est quidem formidolosum respectu honestatis aut licentiæ antecedentis, quod est objectum directum, seu directè cognitum; sed respectu honestatis aut licentiæ consequentis, quod est objectum cognitum reflexè, judicium probabile, non est formidolosum; quamvis enim formidet operans, an sit aliqua lex prohibens operationem, certus tamen est ea se lege non teneri; quia certus est, se judicare prudenter, talem legem non esse latam: ergo judicium probabile seipso excludit formidinem peccandi, & certificat operantem quod non peccet operando.

Objicies 4. Judicet Caïus probabiliter, sibi licitam esse retentionem agri per contractum probabiliter legitimum acquisiti, quem prudenter præsumit suum esse; certè cum tali judicio probabili habet Caïus formidinem ne ager sit alterius, & formidans dicit apud se, fortè ager non est meus: ergo habet formidinem peccandi in agri retentione; nam si ager est alterius, peccat Caïus retinendo agrum non suum: formidat autem ne ager sit alterius: ergo formidat ne peccet, retinendo agrum non suum. Respondeo. In Caïo distingui posse multiplicem formidinem. 1. Est ne fortè ager sit alterius. 2. Ne fortè sit lex prohibens retentionem agri. 3. Ne lex illa prohibens, si qua fortè sit, ipsum vere obliget ad restituendum agrum. Dico autem, cum judicio probabili licitæ retentionis agri, posse quidem remanere in Caïo primam formidinem; quia potest Caïus formidare, & fortè reipsa formidat, ne ager sit alterius:

posse

posse item remanere secundam; quia potest formidare Caïus, & fortè reipsâ formidat, ne sit aliqua lex prohibens retentionem agri non sui: sed nego omnino posse remanere tertiam: certus est enim Caïus, se non teneri lege prohibente retentionem agri, quæcumque tandem illa sit; quia certus est, se judicare prudenter nullam esse talem legem prohibentem, ac proinde certus, se non peccare retinendo agrum. Sed hæc satis pro revelando mysterio judicii probabilis, certificantis operantem de licentia operandi, quando probabilitas in qua fundatur tale judicium, est probabilitas extra concursum seu non concurrens cum ulla probabilitate prohibitionis.

Objicies 5. Si per probabilitatem extra concursum haberi potest conscientia certa licentiæ operandi, haberi quoque poterit per probabilitatem in concursu: videtur enim par esse utriusque ratio: haberi autem non potest certa licentia operandi per probabilitatem in concursu: ergo neque per probabilitatem extra concursum. Respondeo. Nego sequelam majoris propositionis manifestè falsam: nam ubi ita probabilis est permissio, ut nullo modo probabilis sit prohibitio, certum est operari prudenter, qui operatur ex judicio probabilis permissionis non contrapugnatæ per ullam probabilitatem prohibitionis: sed non ita certum est, operari prudenter qui operatur ex probabilitate permissionis contrapugnata per probabilitatem prohibitionis: incertum enim adhuc & valde controversum, an ex tali probabilitate liceat operari.

QUÆSTIO SECUNDA.

De probabilitate legis absolutâ, seu non concurrente cum ullâ probabilitate libertatis.

1. Quæstio de probabilitate legis absoluta.

PRo decisione quæstionis duo nobis demonstranda sunt. Unum est, esse posse & reipsâ esse probabilitatem aliquam legis absolutam, seu non concurrentem cum ullâ probabilitate libertatis. Alterum ex probabilitate legis absolutâ, seu non concurrente cum ullâ probabilitate libertatis fieri veram & strictam obligationem servandæ legis.

Est aliqua probabilitas legis absoluta.

Dico 1. Esse potest, & reipsâ est aliqua probabilitas legis absoluta, seu non concurrens cum ullâ probabilitate libertatis. Probatur, quia fieri potest, & reipsâ fit, ut veram probabilitatem habeat lex libertatem ligans, nullam verò habeat probabilitatem libertas à lege; nec rarus est aut metaphysicus casus iste, sed satis frequens, ac familiaris, idque in omni genere hominum, in pueris & adultis, in viris & fæminis, in plebæis & magnatibus, in urbanis & rusticis, in doctis æquè ac rudibus. Rem demonstro in exemplis. Puer bene moratus dubitat, an sibi liceat legere librum à nebulone oblatum, pedagogum suum consulit de lectione libri; respondet pedagogus alumno suo librum esse prohibitum. Responsio illa pedagogi facit puero probabilitatem legis librum prohibentis, eaque probabilitas non concurrit in mente pueri cum ullâ probabilitate libertatis à lege prohibente, nam ita puero fit probabilis lex prohibens lectionem libri oblati, ut ei probabilis non sit libertas à lege prohibente. Dubitat adultus de licentiâ contractus qui proponitur faciendus, duos jurisperitos interrogat super eâ re, respondent ambo unanimiter contractum qui proponitur usurarium esse, ex eâ verò jurisperitorum responsione fit ita probabilis lex contractum prohibens, ut ei probabilis non sit licentia faciendi contractus. Fœmina anceps an possit ac debeat reddere debitum conjugale merito suo quem scit esse adulterum, Confessarium adit eique proponit dubium suum, respondet sapiens Confessarius posse ac debere fœminam reddere debitum marito suo petenti, non obstante ipsius adulterio, ex hac autem Confessarii decisione ita fit fœminæ probabilis lex reddendi debiti, ut non sit ei probabilis libertas negandi. Rusticus in procinctu ad opus servile dubitat an dies festus sit, & proinde an sit licentia faciendi operis servilis, currit ad parrochum doctorem suum & sciscitatur de die festo, Respondet parrochus, diem festum esse, ac proinde ab opere

ſervili abſtinendum. Ex hac verò reſponſione parrochi ita fit probabilis lex prohibens opus ſervile ut ei probabilis non ſit licentia operandi ſerviliter. Beneficiarius vir alioqui doctus, ſed in propriâ causâ de ſeipſo diffidens dubitat, an in beneficio ſibi reſignato labes ſymoniæ intervenerit propter graviorem penſionem reſignanti promiſſam; duos aut tres rei beneficiariæ peritos conſulit, atque omnes unanimiter in adeptione beneficii ſymoniæ labem agnoſcunt. Ex hoc autem unanimi duorum aut trium conſenſu ita probabilis fit beneficiario lex dimittendi beneficii, ut non ſit probabilis libertas retinendi. Sed hæc ſatis, ut intelligas quam frequens ſit & familiaris probabilitas aliqua legis non concurrens cum ullâ probabilitate libertatis. Demonſtrandum ſupereſt fieri veram & ſtrictam obligationem ex probabilitate illâ legis abſolutâ; ſeu non concurrente cum ullâ probabilitate libertatis.

Ex hac probabilitate fit vera & ſtricta obligatio legis.

Dico 2. Ex hâc probabilitate legis abſolutâ, ſeu non concurrente cum ullâ probabilitate libertatis fit vera & ſtricta obligatio legis probabilis cum libertate improbabili concurrentis. Demonſtratur 1. ex doctrinâ ſæpe traditâ tomo 1. quæſtione 2. de Obligatione legis probabilis cum libertate æquè probabili concurrentis; nam ſi probabilitas libertatis concurrens cum æquali probabilitate legis non impedit quominus lex probabilis obliget, multominus impediet libertatis improbabilitas.

Demonſtratur 2. Quia lex probabilis non concurrens cum ullâ probabilitate libertatis ſatis innoteſcit homini ex ſuâ ipſius probabilitate. Apparet enim res nixa rationibus quæ movere poſſunt virum prudentem ut credat legem exiſtere & obligare. Lex autem obligat, eo ipſo quod rationabiliter creditur obligare.

Demonſtratur 3. Ea lex verè obligat cujus exiſtentia ita rationabiliter credi poteſt, ut non credi poſſit illius non exiſtentia, talis autem eſt lex probabilis in concurſu libertatis improbabilis.

Demonſtratur 4. Probabilitas legis abſoluta ſeu non concurrens cum ullâ probabilitate libertatis æquivalet teſtimonio duorum aut trium teſtium non contrapugnato per ullum teſtimonium oppoſitum. Teſtimonium autem duorum aut trium non contrapugnatum ullo teſtimonio oppoſito ſufficit ad credendam rem per duos aut tres teſtes conteſtatam. Ergo probabilitas legis abſoluta ſufficit ad credendam obligationem, nam ex quo creditur eſſe obligatio legis eo ipſo inducitur.

Demonſtratur 5. Ex generali illo axiomate, in ore duorum, aut trium teſtium ſtat omne verbum; ergo ſtare debet verbum aſſertivum exiſtentiæ legis: cur enim exciperetur de omni verbo, verbum exiſtentiæ legis aſſertivum. Et verò ſi in ore duorum aut trium teſtium decidantur clariſſimæ Controverſię de capite, de famâ, de fortunis hominum, non video cur ex ore duorum aut trium teſtium de legis exiſtentiâ non decideretur. Ex ore duorum aut trium teſtium damnatur reus aut abſolvitur, in ore duorum aut trium teſtium ſtat fama, vel perditur: in ore duorum aut trium teſtium bona fortunæ litigioſa juri litigantium adjudicantur; ergo ubi controvertitur exiſtentia legis aut non exiſtentia in ore duorum aut trium teſtium controverſia decidi poteſt ac debet.

Demonſtratur 6. Probabilitas legis abſoluta ſeu non concurrens cum ullâ probabilitate libertatis, vel habetur teſtimonio formali duorum aut trium teſtium, ut plerumque fit, vel habetur aliis argumentis ad faciendam fidem teſtimonio formali duorum aut trium teſtium æquivalentibus. Si primum, jam in ore duorum aut trium teſtium ſtare debet verbum exiſtentiæ legis aſſertivum, ſeu credi debet duobus aut tribus doctoribus idoneis, qui de lege conſulti reſpondeant legem eſſe & obligare. Si ſecundum, ſtandum eſt pariter argumentis ita legem ſuadentibus ut æquivaleant teſtimonio formali duorum aut trium teſtium ac proinde ſtandum pro lege probabili & obligatione legis probabilis non concurrentis cum ullâ probabilitate libertatis.

Demonſtratur 7. Ex reverentiâ Deo ſupremo Domino & Legiſlatori debitâ, quæ reverentia poſtulat ne ſe temerè & ſine causâ exponat homo periculo probabili violandi veram aliquam legem divinam; ſed ſi legem probabilem violaret non concurrentem cum ullâ probabilitate libertatis, jam exponeret ſe periculo probabili violandi veram aliquam Dei legem & quidem temerè ac ſine causâ; lex enim ſupponitur ita eſſe probabilis, ut nulla ſit probabilitas libertatis à lege. Stet igitur ex probabilitate legis abſolutâ ſeu non concurrente cum ullâ probabilitate libertatis fieri veram obligationem ſervandæ legis, quod erat demonſtrandum.

Objicies 1. Lex merè probabilis non eſt lex certa; nam ſi certa eſſet non eſſet merè probabilis, manet igitur incerta non obſtante ſuâ probabilitate. Atqui ex lege incertâ venire non poteſt certa obligatio; nam ſi incertum, na ſit lex, incertum quoque eſt an ſit obligatio legis. Reſpondeo 1. Legem probabilem de quâ agimus non eſſe abſolutè & ſimpliciter certam, ſupponitur enim eſſe merè probabilis ut reipsâ eſt, habens pro ſe motiva gravia, quæ moverè poſſunt virum prudentem ad judicandam ipſius exiſtentiam, ſed non ita gravia, ut de illius exiſtentiâ convincant, nihilominùs tamen eadem ipſa lex certò probabilis eſt: ex certâ autem probabilitate ſuâ habet certam vim obligandi. Ratio eſt quia ex reverentiâ debitâ Deo Domino & ſupremo legiſlatori tenetur creatura non ſubire periculum probabile violandi veram aliquam Dei legem, quod periculum neceſſariò ſubiret, ſi legem divinam certò probabilem inobſervatam præteriret. Tenetur ergo legem certò probabilem obſervare.

Accedit quod probabilitas legis quæ controvertitur, eſt probabilitas abſoluta ſeu non concurrens cum ullâ probabilitate libertatis, ergo in hypotheſi noſtrâ convenit lex certo probabilis cum libertate omninò improbabili: certum eſt autem non licere creaturæ operari ſecundum libertatem improbabilem, ergo certum eſt non licere operari contra legem certò probabilem cum libertate improbabili concurrentem; nam ſi fortè operaretur contra legem certò probabilem operaretur eo ipſo ſecundum libertatem improbabilem quod planè non licet, ut ex ipſis terminis patens eſt.

Inſtabis eluditur difficultas non ſolvitur. Nam ſi lex certò probabilis, non eſt ſimpliciter & abſolutè certa, ut fatemur, neceſſe eſt remanere

abſolutè & ſimpliciter incertam. Quomodo autem ex lege abſolutè & ſimpliciter incertâ fieri poteſt certa obligatio, aut quod idem eſt, quomodo poteſt vinculum non ſatis firmum ligare fortiter? Reſpondeo intelligentibus & acutè videntibus ſatis credo apparere ſolutam difficultatem non eluſam. Sed quia omnibus debitor ſum dico ulterius legem merè probabilem remanere abſolutè & ſimpliciter incertam; ex lege autem abſolutè & ſimpliciter incertâ fieri poſſe, ſi non formaliter, ſaltem fundamentaliter aut occaſionaliter obligationem certam. Explicatur. Lex quidem incerta non poteſt ſeipsâ facere formaliter obligationem certam, ſed poteſt eſſe fundamentum aut occaſio faciendæ obligationis certæ. Dubitas exempli causâ, an ſit aliquid à Deo prohibitum, teneris à faciendo abſtinere, ex ipſo dubio tuo venit tibi certa obligatio abſtinendi ab eo quod dubitas an ſit prohibitum. An ipſum dubium tuum obligat te formaliter & per ſe. Minimè vero, ſed & dumtaxat fundamentum aut occaſio obligationis, nimirùm dubio illo tuo ſupervenit lex aliqua certa ne id facias quod dubitas an ſit prohibitum. Simili omninò ratione lex merè probabilis & incerta non poteſt quidem facere formaliter & per ſe obligationem certam. Poteſt tamen eſſe, & reipsâ eſt fundamentum aut occaſio certæ obligationis, quatenus legi probabili & incertæ poteſt ſupervenire & reipsâ ſupervenit reflexa aliqua lex certa obligans ad id faciendum aut non faciendum quod lege probabili jubetur aut prohibetur. Tales ſunt duæ leges ſupra memoratæ. 1. Eſt lex de non ſubeundo periculo probabili violandi veram aliquam Dei legem, quod periculum ſubiretur ſi forte negligeretur obſervatio legis probabilis & incertæ; cum enim probabile ſit legem probabilem & incertam eſſe veram aliquam Dei legem, tranſgrediens ſubiret eo ipſo periculum probabile violandi veram aliquam legem Dei; quod periculum ſubire prohibet lex naturalis eaque certa. Altera eſt lex non minus certa & naturalis de non operando ſecundum libertatem improbabilem, præſertim in concurſu legis libertatem ligantis, partem enim libertatis improbabilem ſequi, & partem legis probabilem audacter prætergredi imprudentiæ & temeritatis eſt.

HAbes hîc, optime Theophile, ſtateram qualem promiſi totius probabiliſmi moralis, ſtateram fidelem, & planè divinam, totamque ex rationibus divinis compactam, in qua appenſus probabiliſmus multiplex inventus eſt minùs habens. Ad hanc ſtateram, quemcumque probabiliſmum dubium aut ſuſpectum habueris appendere ne dubites; nam ſi levior fuerit, aut parum ſolidus, in ſtatera appenſus continuò elevabitur, & qualis eſt, talis, ſeu minùs habens apparebit. Sed de fide & probitate ſtateræ ſi quis adhuc ſcrupulus ſuperſit; hunc tibi ſcrupulum eximent tria Corollaria, quæ ſubjicere placet pro complemento & coronide totius operis. Primum eſt, ordinata ſeries principiorum generalium, in quibus ſtatera noſtra conſiſtit; alterum eſt inquiſitio legitima voluntatis divinæ, regulæ univerſalis objectivæ actionum humanarum. Tertium erit certa methodus conſcientiæ rectè formandæ, quæ conſcientia actionum humanarum formalis & immediata regula eſt.

COROLLARIUM PRIMUM.

Series ordinata principiorum generalium in quibus ſtatera noſtra divina tota conſiſtit.

PRINCIPIUM I. Regula objectiva actionum humanarum eſt aliqua voluntas divina hominis directiva ; quia ut homo rectè operetur debet attendere ad voluntatem divinam , eique ſe in operando conformare. Deus nimirùm , ſupremus Dominus creaturæ rationalis , ſummum jus habet, ne creatura quidquam faciat , niſi ſecundum ipſius voluntatem directivam , aliquo modo cognitam , ſeu diſtinctè, ſeu confusè. Dirigit autem Deus creaturam ſuam multipliciter : nam dirigit præcepto ; dirigit conſilio ; dirigit permiſſione ; ſed quocumque modo dirigat debet attendere creatura ad voluntatem directivam ut benè ; aut certè non malè operetur.

Principium 2. Regula formalis actionum humanarum eſt conſcientia hominis operantis rectè formata. Nimirum voluntas Dei directiva , quæ regula eſt objectiva actionum humanarum , dirigere hominem non poteſt , niſi idoneo & convenienti modo homini applicetur : applicatur autem per conſcientiam ipſius hominis operantis , ſeu per judicium aliquod divinæ voluntatis aſſertivum , quo judicet homo , Deum velle , aut nolle, ut operetur : conſcientia vero rectè formata dicitur , quæ per inquiſitionem ſufficientem , ſecluſo affectu , aut præjudicio , habetur ex ſolo ſtudio veritatis.

Principium 3. Conſcientia rectè formata , quæ actionum humanarum formalis regula eſt , eſt eadem conſcientia aliqua certa certitudine ſubjecti , ſeu certificans ſubjectum ſuum. Ratio eſt. Quia ex terminis patet, rectè operari , quicumque operatur certus , operationem ſuam conformem eſſe divinæ voluntati : patet item ex terminis , ut quis operetur rectè, debere eſſe certum , ſe non peccare operando : nam qui operatur , incertus, an peccet operando , eo ipſo peccat ; quia eo ipſo ſe determinat ad peccandum , & voluntate amplectitur totam malitiam , quantacumque ineſt operationi , aut ineſſe dubitatur vel formidatur : operans enim cum hoc judicio : *Fortè pecco operando :* virtualiter apud ſe dicit : *Eſto peccem operando volo operari :* Quo ferè modo dubitans aut formidans Mercator , nummum ſibi oblatum eſſe reprobum ; ſi tamen nummum admittit , eo ipſo determinat ſe ad nummum etiam reprobum admittendum ; & habens in mente hoc judicium : *Fortè accipio nummum reprobum* , dicit apud ſe vir-

tualiter & interpretativè : *Esto nummus ille sit reprobus , volo nummum accipere , qualiscumqum sit.* Atqui voluntas , quâ quis dicit ; *Esto peccem operando , volo tamen operari* ; est voluntas formaliter mala , quia est interpretativus aliquis malitiæ amplexus. Ratio ulterior petenda est ex perfectissimo obsequio , quod Deus meretur à creatura sua : tale enim obsequium postulat, ne creatura quidquam operetur , dubitans , an operatio sua Deo displiceat : ergo creatura.

Principium 4. Conscientia certificans operantem , est eadem certa certitudine actûs, seu necessario vera , juxta illud Axioma Apostoli Rom. 14. *Quod non est ex fide peccatum est.* Scilicet , juxta Apostolum , peccatum est omne quod bonâ fide non fit , & contrario peccatum non est quod fit bonâ fide : bona autem fides est conscientia rectæ operationis, sine qua conscientia quicumque operatur peccat , & ex qua quicumque operatur non peccat ; ergo certæ operationi necessario prælucet conscientia aliqua certa certitudine actûs , seu necessario vera : nam si conscientia illa posset esse falsa , jam fieri posset , ut bonâ fide operans peccaret , cum enim conscientia illa , quæ est bona fides , dictet , hominem non peccare operando, si falsa supponeretur , reipsa homo quamvis operans bonâ fide peccaret, quod est contra mentem Apostoli , sensumque communem omnium hominum , qui omnes putant excusari se satis à peccato , eo ipso quod fortè bonâ fide fecerunt.

Principium 5. Conscientia illa certa , est eadem conscientia quædam evidens honestatis aut licentiæ operationis : nam si evidens non esset , jam illius certitudo non sufficeret ad certificandum seipsâ operantem de honestate , aut licentia operationis : nam quomodo certificari potest operans per actum certum , nisi sciat idem certum esse. Nimirum quandiu nescitur certus esse , tandiu dubitationi , aut formidini locum aliquem relinquit ; in qua dubitatione , aut formidine operari non licet. Atque hinc est , quod conscientia directiva actionum humanarum dicatur esse aliquod lumen vultus Dei , seu aliqua participatio divini luminis : talis enim esse dicitur Psal. 4. ubi Psalmista Rex post interrogationem factam : *Quis ostendit nobis bona* ; statim respondet *signatum est super nos lumen vultus tui Domine :* Ergo conscientia directiva est conscientia aliqua certa & evidens : conscientia enim incerta errori & obscuritati obnoxia non bene diceretur lumen vultus Dei, seu participatio divini luminis.

Principium 6. Habetur conscientia certa & evidens rectæ operationis, eo ipso quod operans sibi conscius est, se prudenter operari, quia certum & evidens est, operari rectè , quicumque prudenter operatur.

Principium 7. Non licet operari in dubio , aut formidine licentiæ operandi. Intelligitur ex supra dictis quia operari in dubio , aut formidine licentiæ operandi , est operari sine conscientia certa & evidente , quæ certificet operantem de licentia operationis : conscientia enim certa & evidens licentiæ operandi excludit dubitationem & formidinem de licentia operationis , ut per se patet.

Principium 8. Nihil tamen obstat licentiæ operandi dubitatio , aut formido aliqua de existentia legis operari prohibentis, dummodo talis formido,

mido, aut dubitatio deponatur, vel prudenter contemnatur. Ratio principii hæc eſt. Quia certum & evidens eſt, prudenter facere, qui dubitationem ejuſmodi aut formidinem prudenter deponit, vel contemnit, eâque prudenter contemptâ vel depoſitâ ad actionem progreditur, certus, ſe prudenter facere progrediendo: habet enim eo ipſo conſcientiam certam & evidentem licentiæ operandi.

Principium 9. Toties prudenter contemnitur, aut deponitur formido, vel dubitatio de exiſtentia legis operari prohibentis, quoties notabiliter probabilius eſt, non exiſtere legem operari prohibentem, quam exiſtere: tunc enim eſt certum & evidens, prudenter facere, qui determinat ſe adjudicandam non exiſtentiam legis operari prohibentis, eâque non exiſtentiâ judicatâ progreditur ad operandum ſecundum libertatem; quia ex hoc habet conſcientiam certam & evidentem licentiæ operandi: ex quo enim habet conſcientiam certam & evidentem, ſe prudenter facere operando, habet ex hoc ipſo conſcientiam certam & evidentem licitæ operationis, quia certum & evidens eſt, licitam eſſe operationem, quamcumque certum & evidens eſt prudenter fieri.

Principium 10. Notabiliter probabilior cenſeri debet non exiſtentia legis, quam exiſtentia, quando probabilitas non exiſtentiæ ſuperat exceſſu notabili probabilitatem exiſtentiæ: notabilis verò cenſendus eſt exceſſus unius ſupra alteram, quando talis ac tantus eſt, ut ponderi & momento duorum aut trium teſtium legitimorum æquivaleat: ſapienter enim ſcriptum eſt, *In ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum.* Nimirùm jam certum & evidens eſt, prudenter facere, qui tali ac tanto probabilitatis exceſſu duci ſe ſinit adjudicandam non exiſtentiam legis operari prohibentis, & conſequenter ad operandum ſecundum libertatem: ergo certum & evidens eſt, eidem licere operari ſecundum libertatem; quia certum & evidens eſt, licitè operari, quemcumque certum & evidens eſt operari prudenter.

Principium 11. In dubio poſitivo legis & libertatis non licet operari ſecundum libertatem, lege poſthabitâ. Cùm enim dubium poſitivum legis & libertatis in eo conſiſtat, quod æqualibus utraque ſeu libertas, ſeu lex rationibus nitatur; in tali rationum æqualitate nihil occurrit, quo poſſit prudenter præferri libertas legi: ergo certus eſſe non poteſt, quicumque præfert libertatem legi, ſe prudenter facere præferendo legi libertatem, ac proinde habere non poteſt conſcientiam certam & evidentem de honeſtate, aut licentia talis ſuæ prælationis: quod ſi in judicando non poteſt prudenter præferri libertas legi, ſeu judicari non exiſtentia legis, præ legis exiſtentia, jam non poteſt eſſe certum & evidens, licere operari ſecundum libertatem, lege contemptâ, ac proinde non poteſt haberi conſcientia certa & evidens, quæ certificet operantem de licentia operandi ſecundum libertatem; ergo certum & evidens eſt, in dubio poſitivo, ſeu legis, ſeu libertatis, non licere operari ſecundum libertatem; quia ex principio ſupra poſito non licet operari ſine conſcientia certa & evidente, quæ certificet operantem de licentia operandi: in tali autem dubio non habetur ea conſcientia, imò nec haberi poteſt. Neque dixeris, in tali dubio liberum

esse utramlibet partem sequi seu judicando, seu operando, quia utralibet rationabilis est: videtur autem certum & evidens, licere sequi partem quamcumque rationabilem: ergo cum in dubio positivo legis & libertatis, libertas sit pars rationabilis, videtur certum & evidens licere illam sequi. Nam repono ego, & statuo, in tali dubio positivo neutram partem satis esse rationabilem, ut possit una prudenter judicari præ altera: quare debet utraque tandiu manere injudicata, donec alterutri novæ quædam rationes accesserint, ut videre est in foro humano, ubi judicium non habetur, quandiu sunt bipartita æqualiter suffragia judicum, nec porrò habebitur nisi uni parti nova quædam suffragia accedant. Ratio nimirum est. Quia in concursu rationum, aut suffragiorum invicem contra ponderantium fit quoddam æquilibrium, non arbitrio voluntatis, sed novi alicujus ponderis accessu tollendum. Stet igitur in tali dubio positivo, non licere judicare contra legem, & secundum libertatem, multò etiam minus operari; quia stante dubio illo positivo haberi non potest conscientia certa & evidens de licentia, judicii aut operationis.

Principium 12. Deus habet jus irrefragabile prælationis supra creaturam suam, non solùm in causa meliore, sed etiam in causa pari: tale enim jus prælationis essentialiter annexum est supremæ dignitati & authoritati Dei: quare si causa Dei melior est, seu probabilior lex divina quam libertas humana, clarum est debere postponi legi divinæ probabiliori libertatem humanam minùs probabilem: Neque id solùm; sed in pari etiam causa, quando libertas humana æque probabilis est, ac lex divina, debetur Deo honor prælationis: nimirùm longè minus malum est, creaturam accipere quandoque umbram legis pro lege, quam exponere se periculo frustrandi sæpe veram legem divinam.

Hæc sunt principia generalia, in quibus, veluti cardinibus nostras omnes de probabilismo decisiones verti, & stare volumus: quamvis autem sint plura numero, omnino duodecim, referuntur tamen omnia ad necessitatem, conscientiæ certæ & evidentis, aut ad modum legitimum talis conscientiæ rectè formandæ, aut verificandæ: sed ne fortè quis ad hæc principia hæsitet, necesse habemus, difficultates, si quæ occurrant dissolvere, easque fugare veluti nubeculas obscurantes veritatem capitalis principii nostri de necessitate conscientiæ alicujus certæ & evidentis ad rectam operationem.

Occurrit autem 1. Scrupulosorum labor & anxietas: nam viri spirituales & sancti interdùm scrupulis graviter anguntur dubitantes post operationem; an peccaverint operando; an actu peccent operantes; an post modum peccaturi sint: neque enim satis apparet, quomodo ista scrupulosorum dubitatio & anxietas stare possit cum conscientia aliqua certa & evidente operationis directiva. Sed facilè responderi potest, scrupulosos non angi ferè circa operationem actu præsentem, sed circa præteritam, aut futuram: circa futuram quidem, quia timent ne fortè operentur deinceps sine conscientia certa & evidente, quam nondum habent: circa præteritam verò turbantur, quia deest illis plerumque memoria ultimi dictaminis actionem regulantis. Atque hæc est causa laboris & anxietatis scrupulosorum, oblivio nimirum frequens conscientiæ certæ & evidentis, ex qua

ſunt operati: eſt enim ea conſcientia inſtar fulgetri celerrimè tranſeuntis,& nullum ſui veſtigium relinquentis. Accedit, quod ſcrupuloſi ferè confundant duo tempora; ſcilicet tempus proximè antecedens actionem, & tempus ipſius actionis; tempus dubii, & tempus certitudinis: undè fit, ut ferè neſciant, quâ conſcientiâ, certâ, an dubiâ actiones ſuas fecerint.

Occurrit 2. Species operationis legitimè factæ, aut faciendæ, ſine ulla certitudine: nam medicus nihil opus habet certitudine ad venæ ſectionem legitimè præſcribendam. Sed occurrit ſtatim diſtinctio, quâ nubes iſta diſſolvatur: nam medicus quidem nihil opus habet certitudine utilitatis ad venæ ſectionem legitimè præſcribendam; ſed plane opus habet certitudine honeſtatis pro honeſtè præſcribenda venæ ſectione: quare ut Medicus honeſtè præſcribat ſectionem venæ, certus eſſe debet, ſe honeſtè & legitimè, ſectionem venæ præſcribere, hoc eſt ſecundum regulas artis ſuæ; eſto non ita certus ſit, ſectionem venæ futuram utilem ægroto.

Occurrit 3. Honeſta quædam operatio ſine certitudine honeſtatis: nam vir ſanctus ex præſcripto ſuperioris, aut Medici poteſt piè ſanctèque pullum comedere in quadrageſima; incertus tamen, num ſatis habeat virium ad ſervandam abſtinentiam à carnibus. Sed occurrit ſtatim diſtinctio honeſtatis directæ & reflexæ. Explicatur. Certitudo honeſtatis haberi quidem interdum poteſt ex principiis directis, ſeu repræſentantibus objectum ſecundum ea quæ habet in ſtatu reali; quomodo certus eſt homo, ſe agere honeſtè colendo Deum, honorando parentes, ſubveniendo miſeris, &c. Plerumque tamen non habetur certitudo honeſtatis ex principiis directis, ſed habetur quandoque ex ſolis principiis reflexis, ſtatum objecti mentalem repræſentantibus: quomodo vir ſanctus comedens pullum in quadrageſima certitudinem habet de honeſtate comeſtionis pulli, ſic apud ſe diſcurrens: *Non peccat qui in dubio ſanitatis ſequitur conſilium Medici & præſcriptum ſuperioris: atqui ego hic & nunc pullum comedens in dubio ſanitatis ſequor conſilium Medici & præſcriptum ſuperioris: ergo comedens pullum in quadrageſima non pecco.*

Occurrit 4. Recta operatio facta in dubio honeſtatis, ac proindè ſine honeſtatis certitudine: nam vir ille ſanctus pullum comedens in quadrageſima, dubitat an lege abſtinentiæ obnoxius ſit: ergo certus eſſe non poteſt de honeſtate comeſtionis pulli in quadrageſima. Sed occurrit quoque hic diſtinctio certitudinis practicæ, & dubitationis ſpeculativæ: nam ſanctus ille vir certus eſt certitudine practica, ſe non peccare comedendo pullum in quadrageſima, idemque dubius eſt dubitatione ſpeculativa: certitudo autem practica cum dubitatione ſpeculativa componi poteſt. Ratio nimirum eſt. Quia dubitatio ſpeculativa & certitudo practica etſi fortè verſentur circa unum idemque objectum materiale, non verſantur tamen circa eaſdem objecti circumſtantias: nam, ut ſtemus in exemplo dato, dubitatio viri ſancti verſatur circa eſum pulli conſideratum abſolutè, & præſcindendo à circunſtantia Medici, aut ſuperioris præſcribentis: at vero certitudo practica cadit ſupra eſum pulli, circumſtantiâ Medici & ſuperioris præſcribentis affectum: nimirum dubitat quidem vir ſanctus, an ſit in eo ſtatu valetudinis, in quo eſſe debet, qui obligatur lege abſtinentiæ:

dubitare item poteſt, an Medicus & ſuperior ſtatum illum ſuum verè aſſequantur; ſed nullatenus dubitat, quin, ex ſuppoſitione Medici & ſuperioris præſcribentis eſum pulli, ſolvatur ipſe à lege abſtinentiæ, & pullum comedere poſſit in quadrageſima etiam laudabiliter.

Occurrit 5. Poſſibilis ſtatus perplexitatis; in quo ſtatu credat operans, peccare ſe, quamcumque partem ſequatur: cum tali enim perplexitate nequit eſſe conſcientia certa licentiæ operandi. Credat aliquis, exempli causâ, teneri ſe ex præcepto charitatis ſuccurrere proximo in extremis agenti; & ſimul credat idem, inſtare ſibi præceptum audiendi ſacrum in die feſto, quo die teneri ſe credit ſuccurrere proximo: in ea conſcientiæ perplexitate, quamcumque partem elegerit, non peccabit; quia ſi peccaret eligendo alterutram partem, peccaret neceſſario: nemo autem neceſſariò peccat: ergo utramlibet partem elegerit, non peccabit: dubitabit tamen ille ipſe, ut ſupponitur, de licentia ſuæ operationis, ac proindè non habebit conſcientiam certam licentiæ operandi. Sed ad hanc cavillationem duo reſponderi poſſunt. 1. Quidem repugnare ſuppoſitionem, quia illa conſcientiæ perplexitas duo importat judicia incompoſſibilia, quorum unum dictat, eundum eſſe in templum, alterum verò, non eſſe eundum in templum, ſed proximo ſuccurrendum; quæ duo judicia ſimul haberi non poſſunt, alioquin judicaretur aliquid evidenter falſum; eamdem ſcilicet rem faciendam eſſe, & non faciendam: intellectus autem judicare non poteſt, quod apparet evidenter falſum: quare neceſſe eſt, ut duo illa judicia ſint in diverſis inſtantibus, ſibique invicem ſuccedant in qua ſucceſſione haberi poteſt ſucceſſivè conſcientia reflexa, eaque certa pro utraque parte contradictionis. 2. Reſponderi poteſt, ſtante illa perplexitate directâ, haberi poſſe certitudinem reflexam, de licentia operationis, per iſtud nimirum principium certum. *Ex duobus malis æqualibus disjunctivè neceſſariis per inde eſt quodcumque eligas:* Quare perplexus ille, quamcumque partem eligeret, non peccaret; quia per conſcientiam reflexam certificari poſſet de licentia ſuæ operationis.

Occurrit 6. Status probabilitatis alicujus ſufficientis ad operandum: in quo ſtatu non habetur certitudo licentiæ, ſed ſola probabilitas, eaque ad operandum ſufficiens. Sed occurrit, eatenus ſufficere ad rectè operandum veram aliquam probabilitatem, quatenus per viam alicujus probabilitatis veniri poteſt ad conſcientiam certam licentiæ operandi: quare dicendum eſt nullam probabilitatem ſufficere proximè & immediatè ad rectè operandum: ſola enim conſcientia certa & evidens licentiæ operandi proximè & immediatè ad rectè operandum ſufficit.

COROLLARIUM II.

Legitima inquisitio voluntatis divinæ Regulæ universalis objectivæ actionum humanarum.

REGULA universalis objectiva est voluntas divina, quia voluntas divina est objectum cui conformari debet actio humana, ut moraliter bona sit & recta; nam actio illa recta est & bona quæcumque fit secundùm voluntatem Dei directivam; quæcumque verò secundùm Dei voluntatem directivam non fit recta & bona non est. Ratio à priori petitur ex duplici Capite. 1. Quidem ex summâ Dei superioritate, est enim rationabile, ut voluntas superior regulet inferiorem. 2. Ex titulo remuneratoris, qui Deo convenit; æquum enim est ut qui præmium ponit, legitimo cursui aut certamini, leges ipse currendi, aut certandi constituat. Habet autem voluntas divina multiplicem dirigendi modum. Dirigit enim consilio, dirigit præcepto, dirigit prohibitione, dirigit permissione. Deus nimirùm aliqua consulit, & fieri vult citrà obligationem faciendi; alia strictè præcipit, & ità vult fieri, ut ad faciendum obliget. Nonnulla item prohibet, & ità fieri vetat, ut ab iis faciendis abstinendi obligationem imponat. Pleraque demùm permittit ea finens ità fieri, ut arbitrio hominis relinquat facere, vel non facere; est igitur homini diligenter inquirenda multiplex illa Dei voluntas directiva, ut constanter benè, aut certè non malè operetur. Inquiramus & quidem legitimè. Vetus querela Novatorum est Theologiam moralem quæ circumfertur ex corruptis Paganorum & Philosophorum fontibus totam hauriri, magno rei Christianæ detrimento. Sed ad demonstrandam istius quærelę, aut ut meliùs dicam calumniæ vanitatem; trademus hîc 1. modum legitimum inquirendi & habendi Regulam objectivam actionum humanarum, breviter indicantes undè, & quomodò habeant Theologi morales voluntatem Dei directivam respicere aliquam actionem humanam faciendam, vel omittendam. Deindè verò aperiemus errorem multiplicem in inquirendâ & habendâ regulâ objectivâ actionum humanarum.

Dico igitur 1. multis modis iisquè legitimis haberi potest regula objectiva actionum humanarum. Probatur, quia tot modis haberi potest regula objectiva actionum humanarum, quòt modis haberi potest actionem aliquam humanam subjacere voluntati Dei. Sed multis modis, iisquè legitimis haberi potest actionem aliquam humanam subjacere voluntati Dei. Minor probatur enumeratione viæ multiplicis, quâ ad cognitionem divinæ voluntatis veniri potest.

1. Est via rationis naturalis, quam indicavit Paulus ad Rom. 2. Cùm enim inquit, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt fa-*

ciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Nimirùm habetur interdùm ipso naturæ lumine convenientia, vel disconvenientia aliquarum actionum, cùm natura rationali: talis autem convenientia, vel disconvenientia argumentum est divinæ voluntatis respicientis ejusmodi actiones convenientes vel disconvenientes. Ità quia est evidens honestum esse ut filius honorat patrem, evidens est ipso naturæ lumine Deum velle, ut filius patrem honoret. Confirmatur 1. Quia sicut lumen rationis sequendum est homini, quoad veritates speculativas; ità pariter sequendum est quoad veritates morales & practicas, nisi fortè in aliquo lumen rationis â lumine fidei discordare videbitur. Confirmatur 2. Sanctus Thomas in eâ parte summæ, quæ moralem Christianam continet, hoc est in secundâ secundæ, visus est Ethicam Aristotelis exscribere. Quis autem Theologiam moralem S. Thomæ propterea Paganam & Profanam appellet?

2. Est via Scripturæ. Scriptura enim Dei liber est, in quo explicatur quid Deus ab homine fieri velit, quid omitti. Neque minùs valet Scriptura ad veritates morales, quàm ad veritates speculativas aperiendas. Confirmatur 1. Quia multa sunt objecta secundùm se indifferentia, quæ objecta potest Deus velle, potest nolle. Quæ autem istorum velit Deus, quid nolit, scire non possumus nisi ex revelatione ipsius Dei. Revelationes autem Dei in Scripturâ ferè continentur. Confirmatur 2. Ex praxi sanctorum Patrum, qui toti fuere in Scripturâ versandâ, ut ex ea moralem disciplinam fidelibus traderent.

3. Est via Traditionis. Multa enim revelata sunt verbo Dei, non scripto, sed tradito, inter quæ non pauca sunt ad praxim & ad mores pertinentia. Ita traditione habemus Sacramentorum administrationem & usum, Jejunium quadragesimæ, recitationem Horarum Canonicarum, &c.

4. Est via Ecclesiæ. Est enim Ecclesia, ut ait Paulus, *firmamentum & columna veritatis*, nec minùs norma agendorum, quàm regula credendorum. Quò pertinet illa Christi Domini sententia. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Confirmatur. Quia multa sunt objecta de quorum honestate aut turpitudine ratio humana silet, Scriptura & Traditio dubia est. Ergò pro ejusmodi objectis, necesse est recurrere ad definitionem Ecclesiæ.

5. Est via Conciliorum. Ratio est quia Concilia Oecumenica & Generalia, per quæ fit representatio totius nominis Christiani, ut loquitur Tertullianus, habent totam authoritatem Ecclesiæ, & infallibilia sunt, non minùs in Decretis morum, quàm in Decretis fidei. Neque Generalia tantùm Concilia, sed ipsa etiam particularia Canones habent fidelibus sequendos, nisi fortè ab Ecclesiâ abrogati fuerint.

6. Est via Pontificum. Habent enim Pontifices authoritatem directivam in fide & moribus, atque hic fuit perpetuus Ecclesiæ usus, ut in dubiis consulerentur Pontifices. Hinc ortum habent Decretales & Rescripta Pontificum.

7. Est via sanctorum Patrum. Quia sancti veræ rationis lumen habent purius, perpetuò meditantur in lege Domini, viam præmonstrant

& credendi & vivendi. Quarè Dæmoniis comparat Gregorius VII. quicumque institutionem sanctorum Patrum in fide tantùm & non in conversatione pro viribus affectantur.

8. Est; Authoritas privatorum hominum. Ità ad cognoscendam Dei voluntatem rustico interdùm satis est authoritas Parochi sui, puero satis est authoritas Præceptoris, mulierculæ pænitenti satis est authoritas Directoris, fratri cuidam simplici, ut loquitur Navarrus, satis interdùm est authoritas sui superioris.

Dico 2. In habendâ Regulâ objectivâ actionum humanarum multipliciter erratur præsertim à Novatoribus. Optimum erit notare singulos errores.

Primus error est eorum qui in morali disciplinâ solius rationis humanæ arbitrio stare volunt. Nam contrà est 1. quod multæ sunt actiones secundùm se indifferentes, de quibus ratio humana nihil pronuntiat. Quomodò enim ratione haberi possit non esse comedendas carnes die Veneris, aut non faciendum opus servile in die festo. Nimirùm voluntas Dei circà istiusmodi actiones, omnino libera est. Libera autem voluntas, rationis humanæ aciem fugit. Contrà 2. quàm multa sunt in quibus lumen rationis tenue est & malignum. Certè in illo lumine non satis evidenter apparet omnibus malitia usuræ, quam tamen certum est esse illicitam. Non satis apparet cur non liceat mentiri officiosè propter magnum aliquod Reipublicæ bonum, cur sterilitas non sit ratio sufficiens matrimonia dissolvendi. Cur superior politicus reum aliquem morte punire possit, superior œconomicus non possit. Hæc & alia id genus multa solius rationis arbitrio vix decidi possunt. Contra 3. quia peccatum rationi humanæ densas tenebras offudit. Pluit enim & semper pluet Deus, ut ait Augustinus, super peccatores laqueos, ac lege irrefragabili sparget pœnales cœcitates super illicitas cupiditates. Contrà 4. quamvis lumen rationis aliquandò sufficiat, plerumque tamen adest via melior cognoscendæ divinæ voluntatis. Quippe *firmiorem habemus Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes*, ut loquitur Petrus Apostolus: *Abigatur* ergò, inquit sanctus Leo, *abigatur procùl terrenarum caligo rationum, & ab illuminato fidei oculo, mundanæ sapientiæ fumus abscedat.*

Secundus error est eorum qui in moribus solam scripturam, idque nullo discrimine consulendam & audiendam prædicant. Sed contrà 1. Multa tradidit Christus, multa Apostoli circà mores, quæ tamen scripta non inveniuntur. Contrà 2. Scriptura interdùm refert gesta etiam sanctorum virorum non imitanda fidelibus, Deo nimirùm dispensante cùm illis circà aliquas actiones quæ fuissent alioqui illicitæ. Contrà 3. multa sunt præcepta legis Mosaïcæ jàm abrogata. Contrà 4. antè omnem scripturam habebant sancti viri regulam morum quam sequerentur; non habebant autem illam ex Scripturâ. Ergò falsum est ex solâ Scripturâ haberi posse regulam morum. Contrà 5. Scriptura aliquandò dubia est circà regulam morum, itàut periculum sit nè perperàm accipiatur, quomodo perperàm accipitur, ut notat Augustinus, illa Christi sententia, *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit*

eam. Sunt enim nonnulli qui ſe aut aquis præfocant, aut ſe præcipitio collidunt.

Tertius error eorum eſt qui in moribus definiri omnia volunt ſecundùm ſolas antiquas Traditiones. Sed contrà 1. multa ſunt quæ Deus vult ab homine fieri, neque tamen Traditionibus antiquis continentur. Contrà 2. diſtinguere oportet Traditiones à Chriſto immediatè profectas & Traditiones Apoſtolicas & Eccleſiaſticas. Nam Traditiones quidem à Chriſto immediatè venientes integræ perſeverant; ſed Traditiones Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ aliquæ abrogatæ ſunt, ut Traditio de ſalutatione in oſculo ſancto, de conviviis in Eccleſiâ fieri ſolitis, de abſtinentiâ à ſanguine & carnibus præfocatis. Nam quis jam hoc Chriſtianus obſervat, inquit Auguſtinus, ut Turdos aut minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus, aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus nullo cruento vulnere occiſus eſt? Qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant à cæteris ridentur. Contrà 3. poteſt Eccleſia ſancire & reipsà ſancit novas leges. Non eſt igitur in ſolis traditionibus antiquis quærenda regula actionum humanarum.

Quartus error eorum eſt qui fidelium mores unicè fingi volunt ſecundùm Canones Conciliorum & præſertim veterum. Sed contrà 1. ſolent iſti confundere Concilia generalia cum particularibus, approbata cùm reprobatis. Contrà 2. non omnes Conciliorum etiam generalium Canones circà diſciplinam ubiquè terrarum vigent. Nam Concilio Nicæno prohibebantur matrimonia fidelium cum infidelibus, alicubi tamen in Oriente temporibus Hyeronimi ejuſmodi matrimonia permittebantur; & nè antiquitatem appellemus, ipſius Tridentini Concilii Canones circà diſciplinam non omnes ubique recepti ſunt. Contrà 3. Concilia diverſis temporibus habita Canones interdùm habent inter ſe pugnantes. Ratio eſt quia quod uni tempori opportunum eſt, alteri non congruit; Canones autem Conciliorum circà diſciplinam fiunt pro opportunitate temporum. Undè obſervat S. Auguſtinus priora Concilia emendari poſterioribus. Certè dubium non eſt quin plerique veterum Conciliorum Canones, vel contrariis Canonibus, vel uſu contrario abrogati ſint. Contrà 4. quoad fidei Canones ſpectat, vetera & nova Concilia Oecumenica æqualem authoritatem habent; ſed quoad diſciplinam Eccleſiæ, Concilia poſteriora prioribus interdùm præferenda ſunt, contrà ac faciunt nonnulli, qui ad priora perpetuò provocant neglectis poſterioribus. Quià nimirùm in poſterioribus ſuarum opinionum damnationem inveniunt.

Quintus error eſt eorum qui ſolos ſanctos Patres, & præſertim unicum Auguſtinum audiri volunt in materiâ morum. Sed contrà 1. non omnia dixere Patres, non omnia dicere potuit unus S. Auguſtinus. Contrà 2. quid ſi ipſi Patres inter ſe fortè diſcordent, uter ſequendus erit? Contrà 3. quid ſi concionatoriè magis quàm Theologicè locuti ſunt? Contrà 4. lectio accurata ſanctorum Patrum difficile negotium eſt, & admodùm paucorum.

Sextus error eſt eorum qui Caſuiſtas omnes è Republicâ Chriſtianâ

eliminandos

eliminandos putant, tanquàm homines novos Christianismi corruptores, & introductores Ethnicismi. Sed contrà 1. esto aliqui Casuistæ laxiores causam dederint querelarum, non tamen omnes confestim abolendi erunt; sicut non propterea omnia judicia tollenda sunt, quia inveniuntur interdùm judices non satis integri. Contrà 2. falsum est quod aïunt, Casuistas esse homines novos, & summas casuum esse novella posteriorum temporum inventa. Nam priscis Ecclesiæ temporibus non defuerunt autores Ecclesiastici qui de diversis speciebus peccatorum & pœnitentiis injungendis scripsere. Contrà 3. longè magis falsum est quod volunt à quadragentis aut quingentis annis, corruptam fuisse Ecclesiam per Casuistas. Nam ab eo tempore quot fuere Concilia Provincialia, quot Nationalia, quot Generalia? In ejusmodi tamen Conciliis corruptio morum nunquàm imputata fuit Casuistis. Profectò Concilium Tridentinum in Decreto reformationis, istius mali meminisse debuit, eique providere, sed nec providit, nec meminit; quod argumento est malum esse duntaxàt imaginarium. Contrà 4. falsissimum est quod aïunt aliqui, Casuistas nova & barbara nomina, venisse loco sanctorum Patrum; nam sapientes Casuistæ non de suo sensu quęstiones decidunt, sed ex Scripturâ, ex Conciliis, ex Decretalibus Pontificum, ex sensu sanctorum Patrum. Ità ut non minùs quàm Causidici erubescant sinè lege loqui. Nolim tamen hìc audaciores quosdam & laxiores Casuistas vindicare. Displicet enim nobis nimia indulgentia aut confidentia sui, moderatio justa non displicet. Non duritiem sed soliditatem doctrinæ sequimur, ut quod, ait Augustinus, exhibeatur à nobis non solum veritas, sed etiam charitas. Hæc satis de inquisitione legitimâ voluntatis divinæ, quæ regula est objectiva actionum humanarum. Nunc ad voluntatis illius divinæ applicationem veniendum est, quæ applicatio fit per conscientiam rectè formatam. Sit ergo Corollarium tertium.

COROLLARIUM III.

Certa methodus conſcientiæ rectè formandæ.

PRo certâ methodo conſcientiæ rectè formandę ſolidè & clarè præſcribendâ, multa nobis expedire oportet & extricare quæ ſunt impedita nimis & intricata. Nam 1. tradenda nobis eſt vera notio regulę formalis propriè dictæ, quæ paſſim dicitur eſſe conſcientia rectè formata. 2. Soli conſcientiæ rectè formatæ adjudicanda eſt, & aſſerenda pro ipſius merito ratio regulæ formalis. 3. Conſcientia rectè formata dividenda eſt in ſpecies ſuas. Alia enim eſt conſcientia antecedens, alia conſequens. Prima conſcientia rectè faciendi, altera conſcientia rectè facti. Una dirigens actionem ut rectè fiat; altera verificans actionem fuiſſe rectè factam. Una dictamen conſcientiæ dicitur; altera teſtimonium conſcientiæ. 4. Utriuſque conſcientię ſeu antecedentis, ſeu conſequentis veri & nativi caractetes explicandi: hæc enim omnia neceſſaria ſunt ad præſcribendam, quam promiſimus, certam methodum rectè formandi utramlibet conſcientiam ſeu dirigentem, ſeu verificantem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Traditur vera notio regulæ formalis.

REgulâ quidem formalis actionum humanarum eſt quædam applicatio regulæ objectivæ; nam voluntas divina quæ regula eſt objectiva actionum humanarum dirigere non poteſt operantem, niſi operanti per aliquam cognitionem convenienter, & ſufficienter applicetur. Sed non quæcumque applicatio regulæ objectivæ, regula formalis eſt: quia voluntas divina poteſt ita proponi per aliquam cognitionem, ut tamen non proponatur modo idoneo & ſufficienti ad directionem actionis humanę. Quod ut clarè intelligas, obſerva ad directionem actionis humanæ intervenire diverſas omnino cognitiones, alias quæ actionem humanam proximè, immediatè, & ultimo dirigant; alias quæ non ultimo ſed mediatè tantum & remotè. Atque hinc fit, ut diſtingui poſſit ac debeat duplex regula formalis; una impropriè dicta, quia remota dumtaxat, mediata & non ultima. Altera propriè dicta quia proxima, immediata & ultima. Sola igitur regula formalis proxima, immediata, & ultima, propriè loquendo regula formalis eſt, & ſola meretur nomen regulæ, quia ſola regulam objectivam applicat modo idoneo & ſufficienti ad dirigendam actionem humanam.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Soli conſcientiæ adjudicatur & aſſeritur ratio regulæ formalis propriè dictæ.

NAm ſic argumentor. Ad directionem actionum humanarum concurrunt quidem ſynderefis & conſcientia. Sed ſyndereſi adjudicari non poteſt ratio regulę formalis propriè dictæ, ſupereſt ergo ut ſoli conſcientiæ rectè formatæ adjudicetur. Major propoſitio ſolâ terminorum expoſitione indiget: nomine enim ſyndereſis veniunt principia quædam generalia actionum humanarum directiva; principia autem illa alia directa ſunt, alia reflexa. Directa dicuntur quæ objectum proponunt ut eſt in ſe, & independenter à modo exiſtendi quem habet in mente operantis, qualia ſunt v. g. *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Tribuendum eſt unicuique jus ſuum.* Reflexa vero principia ſunt quæ objectum proponunt ſecundum ſtatum quem habet in mente operantis; cujuſmodi ſunt. *In dubiis tutior pars eſt eligenda. Non eſt facienda actio de qua dubitatur an mala ſit.* Nam ut vides ea principia reflectunt ſupra præſumptionem aut dubitationem de objecto. Sed ea principia reflexa planè inſufficientia ſunt ad directionem, niſi accedat actus experimentalis reflexus ſupra ſtatum mentalem alicujus objecti particularis. Nam exempli cauſa, quamvis habeat in mente hoc principium; poteſt quis uti re aliquâ, quam prudenter præſumit eſſe ſuam. Non poteſt tamen eo principio uti ad uſum pecuniæ quæ ſibi occurrit niſi accedat actus experimentalis, quo dicas, prudenter præſumo pecuniam quæ occurrit, meam eſſe. Stet igitur ſyndereſim non eſſe regulam formalem propriè dictam, quia non applicat voluntatem divinam regulam objectivam, niſi mediatè tantum, remotè & non ultimo. Nomine autem conſcientiæ venit, judicium proponens actionem aliquam ab ipſo judicante faciendam vel factam, omittendam vel omiſſam, convenire aut diſconvenire cum voluntate divinâ regula objectivâ actionum humanarum; tale enim judicium dico eſſe regulam formalem propriè dictam. Id quod ex ſupra dictis demonſtro. Regula formalis propriè dicta eſt aliqua cognitio voluntatem divinam applicans modo idoneo & ſufficienti ad directionem operantis. Ea vero cognitio vel eſt ſyndereſis, vel conſcientia; ſed non eſt ſyndereſis, ut jam demonſtratum fuit, quia ſyndereſis, cum non proponat voluntatem divinam niſi generatim, voluntatem divinam non applicat modo ſufficienti ad directionem actionis particularis; quare opus eſt ulteriori cognitione quæ immediatè & ultimò voluntatem divinam applicet ad dirigendum operantem; undè manifeſtè ſequitur ſyndereſim non eſſe regulam formalem proximam, immediatam, & ultimam actionum humanarum; ſupereſt ergo ut talis regula ſit ipſa conſcientia operantis, quod erat demonſtrandum. Ratio à priori eſt, quia Deus creaturæ ſuæ Dominus abſolutè vult ut ſequatur homo in operando dictamen conſcientiæ ſuæ, ſeu operetur eo modo quo credit Deum velle ut operetur. Ergo homo operans ſe-

cundum conſcientiam ſuam rectè formatam, rectè operatur; operatur enim conformiter voluntati divinæ. Operans verò contra conſcientiam ſuam non rectè operatur, quia operatur difformiter voluntati divinę. Atque hoc eſt magnum, & generale Pauli principium; *quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* fides enim iſta de qua loquitur Apoſtolus, in vero & literali ſenſu nihil aliud eſt quam conſcientia operantis.

At inquies, vult Deus abſolutè ut homo operetur ſecundum legem. Ergo non vult abſolutè & indiſpenſabiliter ut operetur ſecundum conſcientiam. Conſcientia enim non ſemper aſſequitur veram Dei legem. Reſpondeo, Deus vult abſolutè & indiſpenſabiliter ut homo operetur ſecundum legem prout in mente operantis rationabiliter exiſtentem; quia vult Deus abſolutè, & indiſpenſabiliter, ut faciat homo id quod rationabiliter credit eſſe ſecundum legem. Nimirum voluntas qua Deus vult ut homo operetur ſecundum legem, eſt voluntas quaſi conditionata, ſub conditione ſufficientis & idoneæ propoſitionis. Quæ conditio cum poſſit non eſſe, poteſt ea voluntas manere ſuſpenſa, & penè conditionata. At verò voluntas, qua Deus vult ut operetur ſecundum conſcientiam ſuam rationabilem, & rectè formatam, eſt voluntas quædam abſoluta & indiſpenſabilis. Quare homo operans ſecundum conſcientiam ſuam operatur conformiter voluntati divinæ, ac proindè rectè operatur.

Repones. Interdum homo rectè agit contra lumen proprium, ut ſequatur lumen alienum. Ergo regula actionis humanæ, non eſt ſemper conſcientia operantis, ſed eſt interdum conſcientia aliena. Antecedens patet. Nam inferior laudabiliter abdicat ſenſum ſuum, ut ſuperioris ſenſum ſequatur. Et privatus aliquis ſtat prudenter judicio multorum contra proprium judicium. Reſpondeo negando conſequentiam. Nam & ipſi qui relicto lumine proprio ſequuntur lumen alienum, judicant Deum velle ut hic & nunc conforment ſe aliorum judicio, & faciant quod aliis videtur, non quod ſibi. Tale autem judicium non eſt conſcientia aliena ſed propria operantium: quare regula rectæ operationis non eſt illis lumen alienum, ſed proprium aliquod judicium ſuum, quod ſi fortè non haberent jam non rectè operarentur.

Inſtabis. Conſcientia rectè facti præſupponit actionem jam rectè factam; ergo conſcientia non eſt ſemper regula actionis faciendæ. Reſpondeo. Conſcientia rectè facti, non eſt conſcientia rectè faciendi, ac proindè non eſt conſcientia dirigens ad actionem faciendam; quippè quæ actionem jam factam præſupponat. Sed ne fiat periculoſa confuſio terminorum conſcientia in ſuas ſpecies dividenda eſt.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Dividitur conſcientia in ſuas ſpecies.

DUplex eſt conſcientiæ ſpecies. Alia enim eſt conſcientia antecedens, alia conſequens. Conſcientia antecedens eſt judicium practicum de re faciendâ vel omittendâ. Conſcientia vero conſequens eſt judicium ſpeculativum de re jam factâ vel omiſsâ. Prima dicitur dictamen conſcientiæ; altera conſcientiæ teſtimonium appellatur. Una dirigit actionem ſeu faciendam, ſeu omittendam. Altera verificat actionem jam factam vel omiſſam, ſeu approbando, ſeu reprobando. Prima eſt conſcientia rectè faciendi, ſecunda vero conſcientia rectè facti. Utraque futura magno uſui ſi veros & nativos caracteres una quæque habeat. Quare operæ pretium erit utriuſque conſcientiæ ſeu antecedentis ſeu conſequentis nativos & proprios caracteres explicare.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Explicantur nativi & proprii caracteres conſcientiæ antecedentis.

NAtivi & proprii caracteres conſcientiæ antecedentis hi ferè ſunt. Prudentia, veritas, certitudo, evidentia, ſecuritas; ſinguli breviter explicandi.

Primus ergo caracter conſcientiæ antecedentis eſt prudentia; cum enim conſcientia antecedens ſit conſcientia dirigens debet eadem eſſe prudens & prudenter formata per inquiſitionem legitimam & ſufficientem voluntatis divinæ directivæ actionum humanarum; nam ſi non præcederet talis inquiſitio legitima & ſufficiens, jam conſcientia imprudens foret & imprudenter formata.

Secundus caracter eſt veritas. Debet enim conſcientia dirigens ita vera eſſe ut excludat omnem errorem voluntarium & culpabilem. Nam ſi conſcientiæ dirigenti fortè interveniret error voluntarius & culpabilis, jam non eſſet conſcientia vera, ſed erronea. Conſcientia verò culpabiliter erronea, inepta eſt ad directionem actionis humanæ juxta illud. *Si oculus tuus nequam eſt totum corpus tuum tenebroſum erit.*

Tertius caracter eſt certitudo; conſcientia enim dirigens ad rectè operandum debet ita eſſe certa, ut excludat omne dubium rationabile de honeſtate, aut licentia operandi; quia in dubio rationabili de honeſtate, aut licentia operandi, operari non licet.

Quartus caracter eſt claritas, undecumque veniat ſive ex evidentia objecti, ſive ex claro apprehendendi modo, ſive ex authoritate notoria & irrefragabili. Conſcientia enim dirigens debet eſſe clara & evidens; nam ſi obſcura & inevidens eſſet, non poſſet ſatis certificare operan-

tem de rectitudine operationis faciendæ; *Qui enim ambulat in tenebris, nescit quò vadat.*

Quintus caracter est securitas quæ anxietatem excludat, omnemque peccandi formidinem rationabilem, nam qui rationabiliter formidat, an peccet operando, peccat eo ipso quod operatur.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Veri caracteres conscientiæ consequentis.

Conscientia consequens est conscientia rectè facti, seu conscientia verificans id quod factum est seu benè, seu malè factum sit, approbando unum, & reprobando alterum. Atque hinc est quod testimonium conscientiæ appelletur. Habet quidem ea conscientia caracteres suos, sed non eosdem quos conscientia antecedens. Potest enim conscientiæ consequenti, & verificanti deesse non solum certitudo, evidentia, & securitas, sed etiam veritas, secundum illud Apostoli reclamantis contra testimonium conscientiæ. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Habet igitur ea conscientia caracteres longè diversos: sollicitudinem in requirendo quod factum est: anxietatem an rectè factum sit: timorem errandi in æstimando quod factum est: dolorem de malè facto, seu notorio, seu occulto: gratitudinem ex benè facto ad Deum totius boni authorem referendo. Atquè hi ferè sunt præcipui caracteres conscientiæ consequentis, & quidquid seu benè, seu malè factum est verificantis.

Primus caracter conscientiæ consequentis est sollicitudo in requirendo quod factum est seu benè, seu malè. Debet enim unusquisque seu salutis, seu perfectionis amans, statis horis seu diei, seu noctis conscientiam suam excutere, & Prophetæ Regis exemplo, scopere spiritum suum, ne sensim magis ac magis sordescat: debet unusquisque boni instar nummularii recensere frequenter nummos suos, & recognoscere sub vesperam quid lucri fecerit aut quid damni.

Secundus caracter est anxietas an rectè factum sit quod factum est; anxietas benè fundata. Nam bonum, ut aïunt, ex integra causa, malum ex quocumquè defectu. Nimirum actiones quæ secundum se bonæ apparent, plerumquè ex prava intentione facientis, ex ipso faciendi modo, aliisque circumstantiis perdunt bonitatem suam. Contra vero mala quæ primâ fronte levia apparent, pensatis omnibus, graviora inveniuntur quam antè apparerent.

Tertius caracter est timor errandi in æstimando quod factum est. Timor rationabilis & necessarius; nobis enim ipsi illudimus umbram boni pro bono ipso plerumque captantes.

Quartus caracter est dolor de malè facto seu notorio, seu occulto; dolor cujuscumque malè facti expiatorius; quem dolorem sentiebat rex ille pœnitens, & exclamans. *Amplius lava me Domine, & à peccato meo munda me.*

Quintus caracter est gratitudo erga Deum benefactorem, cui debemus id omne quod rectè facimus.

Hæc satis de prolegomenis aut dispositionibus ad utriusque conscientiæ seu dirigentis seu verificantis rectè formandæ certam methodum quam pro ultimo totius operis corollario, & complemento promisimus. Sit ergo.

CERTA METHODUS

Conscientiæ dirigentis rectè formandæ.

CONscientia dirigens ut supra diximus, est ipsummet conscientiæ dictamen seu judicium practicum quo nobis intimatur & innotescit voluntas divina, circa singulas actiones à nobis hic & nunc faciendas aut non faciendas. Ea vero intimatio aut notitia divinæ voluntatis quemadmodum certô haberi possit sapienter præscribere, id ipsum est quod promisi, seu tradere certam methodum conscientiæ rectè formandæ. Dico igitur talem divinæ voluntatis notitiam certô haberi posse & quidem multipliciter.

Nam primo haberi potest frequenti, ac ferventi oratione quâ imploretur divinum lumen nobis præmonstrans quid velit Deus fieri à nobis aut non fieri. Cujusmodi erat oratio illa Davidis ad Dominum clamantis. *Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.*

Secundo haberi potest ea notitia divinæ voluntatis, sincero & ardenti desiderio serviendi Deo fideliter, eique per omnia placendi; quo desiderio æstuabat Propheta Rex, ut testatur ipsemet. *Concupivi desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Nimirum creaturam suam Deo placere studentem, instruit bonus Dominus quid & qua ratione operari debeat ad placendum. *Bonus es tu, doce me justificationes tuas.*

Tertio habetur eadem notitia, assiduâ & profundâ meditatione legis divinæ; nam qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Quo pertinet illud Psalmistæ, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*

Quarto habetur quotidiana & familiari lectione Scripturæ. Scriptura enim quæ ad omnia utilis est valet præsertim ad inquirendam & inveniendam Dei voluntatem directivam, quæ facta magis videtur ad veritates morales quam ad speculativas.

Quinto habetur viâ superiorum. Nam Deus quia imposuit homines super capita nostra, regit nos idem per homines quos nobis imposuit. Quare interrogatus de sua voluntate, plerumque non per se ipse immediatè respondet, sed remittit nos ad superiores nostros vicarios suos Scriptum enim est *qui vos audit me audit.*

Sexto habetur ex responsis Magistrorum & Doctorum, qui scru-

tantes in lege Domini, idonei ſunt ad legis myſteria populo fideli revelanda.

Septimo habetur ex ſapientibus conſiliis ſancti & oculati directoris. Sed ei patere debet totus noſter homo interior, ut verum ſtatum noſtrum explorans dirigere nos poſſit ſecundum Dei voluntatem. Nam ut Paulo in via proſtrato & exclamanti *Domine quid me vis facere*, noluit indicare Dominus, ſed hæſitantem remiſit ad Ananiam à quo doceretur. *Vade ad Ananiam & docebit quid te oporteat facere*; ita bonos fideles ignorantes officia ſua, ſeu dubitantes quid facere debeant ſecundum voluntatem Dei præſumendus eſt eoſdem bonus Dominus ad ſapientes & oculatos directores remittere.

Octavo habetur uſu familiari librorum ſpiritualium, in quibus ferè explicatur voluntas Dei beneplacens & perfecta. Cujuſmodi eſt liber aureus de Imitatione Chriſti, quem librum ſi familiarem habeas, optime Theophile, quiſquis es, non modo te docebit quid te oporteat facere. Sed & divina illa unctione quâ plenus eſt, movebit te ſuaviter ad faciendum.

Nono denique ut multa paucis complectar, haberi poteſt per omnes vias ſupra dictas, & explicatas in ſuperiore Corollario de legitima inquiſitione voluntatis divinæ directivæ; nam per omnes illas & ſingulas vias poteſt innoteſcere voluntas divina directiva; ac proindè poteſt rectè formari conſcientia talis voluntatis, eaque ſuis inſtructa caracteribus, hoc eſt prudens, vera, certa, evidens, ſecura, & operantem aſſecurans. Sed hæc ſatis pro methodo recte formandæ conſcientiæ antecedentis, & actionem faciendam, vel omittendam dirigentis; veniamus nunc ad methodum recte formandæ conſcientiæ conſequentis, & actionem ſeu benè, ſeu malè factam verificantis.

CERTA METHODUS

Rectè formandæ conſcientiæ conſequentis & quod factum eſt verificantis.

CONſcientia conſequens eſt conſcientia rectè facti, ſeu conſcientia præſupponens actionem humanam jam factam, eandemque verificans ſeu benè facti ſit, ſeu malè. Dicitur autem ea verificatio teſtimonium conſcientiæ, ſeu approbantis quod rectè factum eſt, ſeu quod malè factum eſt reprobantis. Extendit enim ſe teſtimonium conſcientiæ non ſolum ad actiones poſitivas, ſed ad ipſas etiam omiſſiones. Ad actiones quidem poſitivas ſeu bonas, ſeu malas, ſeu indifferentes. Ad omiſſiones vero, quia in illis poteſt eſſe aliquid boni & mali. Duplex igitur eſt conſcientiæ teſtimonium. Teſtimonium mali, & teſtimonium boni. Teſtimonium mali tres aut quatuor actus importat. Primus eſt accuſatio; reus enim accuſari debet. *Secun-*

dus

dus eſt examen ; accuſatus enim examinari debet. Tertius eſt judicium ; debet enim examinatus judicari. Quartus eſt punitio ; judicatus enim debet pro merito ſuo puniri. Atque hic eſt proceſſus legitimus non ſolum in foro externo , ſed etiam in foro conſcientiæ. Hunc proceſſum tene , optime Theophile , ſi reus es , accuſet te conſcientia tua & remordeat ; accuſatum examinet , examinatum judicet , judicatum te debitâ pœnitentiâ mulctet. Sta conſtanter ad tribunal conſcientiæ perpetuus tui cenſor , moroſus examinator , ſeverus judex , & vindex implacabilis. Siſte te frequenter coram Deo judice , & rememorare quod dictum fuit miſero Baltazari in procinctu ad ſubeundum judicium. *Mane , Teſcel , Pharez.* Hoc eſt *Numera , Pondera , Separa.* Sint hæc tria officia tibi familiaria. Numera ergo quotidie peccata tua , & ad numerum expaveſcens confitere humiliter cum Propheta pœnitente. *Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ , &c.* Nec ſatis ſit peccata examinaſſe. Pondera omnium & ſingulorum gravitatem , ac circonſtantias, ſeu ſpeciem mutantes , ſeu ſimpliciter aggravantes ; nec deſine hæc omnia ponderare donec ſub pondere humilitatis fatiſcas. Sed ubi ponderaveris ; Separa involucra peccatorum , ut peccata ſuis nudata involucris , qualia & quanta ſint melius appareant. Involucra autem peccatorum appello non ſolum vanos prætextus ad excuſandas excuſationes in peccatis artificiosè quæſitos , ſed ipſas etiam actiones ſeu bonas ſeu indifferentes , peccatis ferè intermixtas. Nam ſi profundè attenderis in ipſis actionibus quæ ſpeciem boni habent reperies pravitatem.

Alterum conſcientiæ teſtimonium eſt. Teſtimonium boni , quod teſtimonium quatuor item actibus comprehenditur. 1. Verecunda inquiſitio boni quod factum eſt. 2. Juſta æſtimatio boni intenti. 3. Confuſio & pudor de bono neglecto aut non ſatis purificato. 4. Relatio totius puri boni in Deum authorem & conſummatorem. Inquire igitur 1. ſtatis horis , aut quacumque ſi fieri poſſit hora , & verecundè inquire quodcumque feceris bonum , non ut gloriam aliquam indè captes , ſed ut tibi ſapienter provideas , ne ficulneæ inſtar infructuoſæ , Domino requirente fructum , & non inveniente ſuccidaris ; ſecundum illud , *ſuccide illam ad quid enim terram occupat ?* 2. Quodcumque bonum inveneris à te factum expende , & appende ad ſtateram Dei ut probes certò quale , & quantum ſit. 3. Confundere & erubeſce de tenuitate boni quod feciſti , aut de impura admixtione mali , quâ forte totum corruptum eſt. 4. Si quid puri boni à te factum inveneris , totum refer in Deum boni authorem , eumdemque precare ut qui cœpit in te opus bonum , ipſe gratia ſua perficiat. Plura non dico de conſcientiâ bonum verificante ; talem enim conſcientiam rectè formatam habebis , ſi pauca hæc præcepta accuratè & religiosè ſervaveris.

FINIS.

INDEX RERUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

PRobabilismus moralis, quid sit? pag. 1
Duplex probabilismus moralis, *rigidus* & *benignus*.
Probabilismus seu rigidus, seu benignus interdum extremus, & suâ seu duritie, seu facilitate intolerandus.
Varia præambula ad lucem afferendam materiæ per se obscuræ & perplexæ, p. 2
Præambulum 1. de vera notione probabilitatis.
Probabilitas impropriè dicta est quæcumque species veri sive exigua, sive magna.
Probabilitas propriè dicta est species veri infra certitudinem talis ac tanta, ut ad assensum prudentem sufficiat. p. 3
Quid sit motivum grave.
An sit illud quod sententiam aliquam apud omnes plausibilem facere potest?
An illud quod sapientes judicant rationabile?
An illud quod in assensum suum trahere potest virum prudentem?
Vera notio motivi gravis. p. 4
Motivum grave est quod ita apparet ut in serie motivorum similiter apparentiam, plura cum veritate, quam cum falsitate conjuncta reperiantur.
Apparentia probabilis venit interdum ex objecto opinabili.
Interdum ex objecto opinante.
Motivum per se probabile potest elevari, aut etiam destrui,
Per dispositionem opinantis faventis parti oppositæ.
Per evidentiam partis oppositæ. p. 5
Per supremam authoritatem contrapugnantem,
Per concursum cum motivis contrariis admodum prævalentibus.
Præambulum 2. Distinguitur multiplex species veræ probabilitatis.
Divisio probabilitatis in suas partes.
Probabilitas ratione motivi alia est intrinseca, alia extrinseca.
Definitio Aristotelica quomodo intelligenda, & limitanda.
Testimonium unius interdum sufficit ad probabilitatem extrinsecam. p. 6
Probabilitas intrinseca quid.
Probabilitas practica & speculativa.
Quid probabilitas practica simpliciter aut secundum quid.

Probabilitas ſpeculativa quid. p. 7
Una reſpicit materiam actionis ſed non actionem.
Alia reſpicit quidem actionem ſed non ut licitam, vel illicitam operanti.
Propoſitio ſpeculativè probabilis non fit eadem practicè improbabilis niſi forte eadem attingat plura objecta.
Probabilitas directa & indirecta.
Probabilitas abſoluta & reſpectiva.
Probabilitas certa & evidens, incerta & inevidens. p. 8
Probabilitas alia objectiva, alia formalis.
Probabilitas extra concurſum, & in concurſu alterius probabilitatis.
Triplex probabilitatis concurſus. 1. Majoris cum minore. 2. Æqualis cum æquali. 3. Minoris cum majore.
Probabilitas extra concurſum. p. 9
Præambulum 3. multiplex probabilitas inſufficiens & inutilis ad operandum.
Cenſura inquiſitionis Romanæ ſub Innocentio Papa X I.
Cenſuræ Pontificiæ æquitas.
Ad habendam conſcientiam certam licitæ operationis non ſufficit probabilitas Academica.
Illa probabilitas eſt quælibet veri ſpecies connexa cum dubitatione. p. 10
Non ſufficit probabilitas ſpeculativa quia cum illa ſtare poteſt certitudo operationis illicitæ.
Non ſufficit probabilitas practica ſecundum quid, quia non affert certitudinem licitæ operationis.
Non ſufficit probabilitas ipſa practica ſi ſit incerta, quia ex illâ agens non eſt certus ſe prudenter agere. p. 11
An certa ſit probabilitas aſſerta à duodecim Doctoribus, & negata ab octo.
Hoc ipſo certa eſt opinionis probabilitas quò certum eſt opinionem niti motivis magnam veri apparentiam facientibus. p. 12
Non tamen certo probabilis eſt quævis opinio, quam unus aut alter Theologus probabilem dicit.
Certa eſſe poteſt exiſtentia magnæ apparentiæ, quamvis veritas illius apparentiæ incerta ſit.
Non ſufficit probabilitas objectiva ſimpliciter practica, etiam certa, niſi accedat formalis. p. 13
Ex probabilitate objectivâ venire poteſt, & poteſt non venire judicium licentiæ operandi, ſine quo judicio nunquam licet operari.
Ubi quis judicat eſſe rationes bonas ſuadentes legem non eſſe, tenetur lege, vel non tenetur prout judicat legem eſſe, vel judicat non eſſe.
Neque ſemper ſufficit probabilitas ſimpliciter practica, certa & formalis. p. 14
Triplex abuſus iſtius probabilitatis.
Probabilitas illa formalis perfecta ex parte objecti, poteſt variè deficere ex parte actus; ſi nempè male formetur, male poſſideatur, male applicetur.
Promiſcuam ergo probabilitatem ſcandalosè adoptant libertini, nova-

tores falſo imputant ſapientibus Theologis : Pontifices Eccleſiæ meritò damnant, & proſcribunt. p. 15

Ad rectè operandum non alia ſufficit probabilitas quam quæ formalis, certa, & ſimpliciter practica, tum ex parte objecti, tum ex parte actus.

Præambulum 4. proponitur ſtatera divina pro examine totius probabiliſmi controverſi.

Probabiliſmus moralis non ex hominum ingenio, ſed ex Dei mente dijudicandus.

1. Ex quibuſdam Dei perfectionibus.

2. Ex primis prudentiæ regulis homini à creatore inditis. p. 16

3. Ex verbo Dei ſeu ſcripto, ſeu tradito.

4. Ex ſacris Canonibus.

5. Ex ſenſu Eccleſiæ.

Hæc rationum ſeries, ſtatera eſt idonea ad dignoſcendam probabiliſmi veritatem, aut falſitatem.

Præambulum 5. Totius materię diſtributio in ſuas partes. p. 17

Partis primæ quæſtio triplex.

Partis ſecundæ quæſtio duplex.

QUÆSTIO I. An ſit obligatio ſequendi majorem probabilitatem præcepto faventem in concurſu minoris probabilitatis faventis libertati. p. 19

Probabilitas major & minor.

Probabilitas abſoluta & reſpectiva.

Verus quæſtionis ſtatus.

Præſens ſententia Authoris. p. 20

Firmamenta cauſæ unde petita.

CAPUT I. Argumentatio 1. Ex ideâ Dei legiſlatoris bene penetratâ.

Articulus I. Primum argumentum deſumptum ex ſummo Dei dominio in creaturam rationalem.

Reverentia Domino perfectiſſimo debita obligat ad faciendum id quod probabilius apparet eſſe præceptum. p. 21

Sine tali obligatione creaturis impoſitâ non concipitur Deus perfectiſſimus Dominus.

Servitus creaturæ non ſinit prætermitti præceptum probabilius Dei creatoris.

Creatura negligere non poteſt obligationem præcepti probabilioris, niſi rationabiliter invito Domino ſuo.

Dominium humanum imponit ſubditis obligationem ſequendi majorem probabilitatem præcepto humano faventem.

Dominium politicum. p. 22

Dominium militare.

Dominium œconomicum.

Dominium Dei perfectiſſimum non poſtulat ut omnis ejus voluntas ſit præceptiva. p. 23

Obligatio ſequendi majorem probabilitatem nimis dura non eſt ; nec nimis dura obligatio inquirendi de majori vel minori probabilitate. p. 24

Operatio contra præceptum etiam dubium, illicita.
Pręceptum generale ſequendi probabiliora non tantùm poſſibile eſt, ſed etiam neceſſarium. p. 25
Neceſſitate petitâ ex dominio Dei perfectiſſimo. Ex ſummâ ſervitute creaturæ. Ex uſu poteſtatis humanæ.
Diſcrimen inter dominium divinum & humanum non nocet ſuperiori doctrinæ. p. 26
Imaginaria eſt diverſitas quæ petitur ex diverſo fine utriuſque dominii.
Finis præcepti divini non eſt ſola honeſtas operationis humanæ. p. 27
Deus Dominus, æquè ut homo, aut etiam magis quam homo obligare poteſt ad ſequendam majorem probabilitatem præcepto ſuo faventem.
Nec quidquam obſtat ſufficientiâ Dei ſumma.
Articulus II. Secundùm argumentum, ex ſummâ Dei ſapientia petitum. p. 28
Deus ut ſummè ſapiens multiplicem in præcipiendo finem ſibi proponit.
Finem gloriæ ſuæ.
Finem ſanctificationis creaturæ.
Finem ædificationis publicæ.
Finem beatitudinis cœleſtis.
Deus fruſtraretur fine intento ſi permitteret ſequi minus probabile. p. 29
Deus ſummè ſapiens non debuit homini præſcribere eam regulam quam ſi ſequeretur homo, Dei mandata & cuſtodiret rarius, & ſæpius præteriret.
Similitudo ex navigatione. p. 30
Operatio contra majorem probabilitatem præcepto faventem eſt tranſgreſſio quædam formalis. p. 31
Eſt obligatio exequendi præceptum probabilius cujus finis non obtinetur per bonam fidem operantis.
Deus præcipiens ſemper intendit fines quoſdam ab honeſtate operantis diſtinctos. p. 32
Sequens minorem probabilitatem non obedit, ſed ſe ſubtrahit præcepto, quare Deum fruſtratur fine intento qui eſt obedientia poſitiva.
Articulus III. Tertium argumentum, ex ſummâ Dei ſanctitate depromptum. p. 33
Sanctitas Dei in quo conſiſtat.
1. In averſione ab eo quod malum eſt.
2. In determinatione ad id quod eſt bonum.
Deus ut ſummè ſanctus neceſſario exigit à creaturâ rationali ſinceram averſionem à malo, & inclinationem ad bonum.
Quidquid præcipit Deus ipsâ Dei voluntate præcipiente fit bonum. Quidquid prohibet, ipsâ Dei voluntate prohibente fit malum.
Quod probabilius videtur prohibitum majorem mali quam boni ſpeciem habet.
Deus ut ſummè ſanctus neceſſariò vult ut homo fugiat minus probabile quia in eo major eſt ſpecies mali quam boni. p. 34
Averſio ſincera à gravi malo temporali determinat ad fugiendum id quod

probabilius apparet esse malum illud quam non esse.
Exemplum hominis lepram aut pestem horrentis.
Militum arcem custodientium.
Puellæ virginitatis amantis.
Probabilitas minor libertati favens non excusat à peccato formali contra divinam legem de præcepto suo probabiliore exequendo. p. 35
Peccatum ipsum materiale fugiendum si tale sufficienter appareat.
Non ignoratur lex illa Dei quam probabilius est existere, quam non existere.
CAPUT II. Argumentatio secunda, ex primis prudentiæ regulis in unius cujusque mente Dei digito profundè exaratis.
Triplex prudentiæ regula.
Articulus I. Argumentum primum, deductum ex primâ prudentiæ regula pro directione intellectus. p. 36
Talis est natura rationalis ut neque ab assensu abstinere possit ubi verum clarè apparet, neque à dissensu ubi falsum.
Inevidentia rei suspendit assensum & dissensum intellectus.
Status dubii & suspensionis venit de lege æterna sapientissima.
Species veri cum specie falsi variè miscetur.
Species veri interdum est major, interdum minor, interdum æqualis.
Determinandus à voluntate intellectus directè, vel indirectè.
Quid sit determinatio directa & indirecta.
Quæcumque illa sit non est despotica & arbitraria voluntati. p. 37
Voluntas non debet determinare intellectum nisi ad id quod habet majorem speciem veri.
Intellectus seu naturali inclinatione suâ, seu sapiente determinatione voluntatis debet constanter & verum sequi & falsum fugere.
Voluntas abuteretur sua potestate si flecteret intellectus ad judicandam partem minus probabilem. p. 38
Est obligatio judicandi majorem probabilitatem præcepto faventem in concursu minoris faventis libertati.
Ipse status dubii non potest certificare de licentia operandi nec formaliter, nec objectivè, & fundamentaliter.
Major probabilitas præcepti dubium tollit quia sufficiens est præcepti promulgatio. p. 39
Operans in dubio peccat saltem contra præceptum generale suspendendi operationem in dubio.
Dubium speculativum semper trahit dubium practicum in præsenti hypothesi.
Creatura rationalis tenetur suspendere operationem quamdiu ipsa manet suspensa circa existentiam præcepti operationem prohibentis.
Præceptum illud generale non est dubium sed certum. p. 40
Licet dubium esset, pareret tamen certam obligationem non operandi, quia ex dubio speculativo de præcepto operationem prohibente, nascitur dubium practicum de licentiâ operandi.
Minorem probabilitatem non licet sequi in agendo, cum non liceat

ſequi in judicando.
Intellectus non poteſt flecti ad amplectendam minorem probabilitatem in concurſu majoris.
Si flecteretur, imprudenter flecteretur. p. 41
Determinatio ad unam partem prælativa eſt. Motivum autem minus non eſt cauſa rationabilis prælationis, ſed potius poſtpoſitionis.
Etſi pars minus probabilis maneat probabilis, eam tamen ſequi non licet ei qui ſecundum majorem probabilitatem judicat eſſe prohibitam.
Omni homini ipſo naturę lumine notorium eſt toties prohiberi ſe ab operando, quoties judicat eſſe præceptum operationem prohibens. p. 42
Articulus II. Argumentum ſecundum, ex ſecundâ prudentiæ regulâ petitum pro directione voluntatis.
Natura rationalis eſt proſecutiva boni honeſti; & averſativa mali turpis ſeu inhoneſti.
Totius honeſtatis fons & regula, eſt voluntas divina.
Quid honeſtum. Quid turpe.
Aliud eſt honeſtum neceſſarium ſeu præcepti, aliud non eſt neceſſarium ſeu conſilii.
Deus magis vult id ad quod obligat, quod id ad quod non obligat. p. 43
Voluntatis benè ordinatæ lex eſt conformare ſe in omnibus voluntati Dei regulæ ſuæ, adeoque vehementer velle, aut nolle quidquid Deus vehementer vult vel non vult.
Declaratur res & confirmatur exemplo filii, ſponſæ, famuli.
Inclinatio naturalis ad ſequendum honeſtum neceſſarium impellit ad ſequendum id omne quod majorem habet apparentiam honeſti neceſſarii. p. 44
Magna inclinatio in bonum phyſicum determinat ad ſequendam boni phyſici apparentiam majorem præ minore.
Averſio à malo turpi determinat ad fugiendum quidquid habet majorem ſpeciem mali turpis.
Declaratur experientia & exemplis. p. 45
Quo ſenſu Deus interdum magis velit id quod conſilii eſt quam quod præcepti.
Deus interdum prædefinit quod conſilii eſt, nec prædefinit ſemper quod eſt præcepti.
Voluntas Dei prædefiniens non eſt regula directiva creaturæ naturalis.
Attendenda præcisè voluntas conſulens directiva creaturæ, & comparanda cum voluntate præcipiente, creaturæ item directivâ. p. 46
Laudabilis eſt determinatio ad partem magis probabilem quamvis fortè falſam.
Averſio à majori ſpecie mali non eſt ſcrupulus inanis, ſed rationabilis timor. p. 47
Quâ lege tenemur à malo turpi abſtinere, eâdem tenemur abſtinere à majore ſpecie mali turpis.
Præcipuus probabiliſtarum ſyllogiſmus.
Singulæ propoſitiones ſpeciem habent evidentiæ.

Demonstratur falsitas majoris propositionis in præsenti hypothesi. p. 48
Ostenditur falsitas minoris propositionis.
Æquivocatio subtilis.
Articulus III. Argumentum tertium, deductum ex tertiâ prudentię regulâ directiva operationis externæ. p. 49
Homo opera etiam externa Deo debet.
Tenetur homo curare sollicitè ne ullam opus externum prohibitum faciat, aut imperatum omittat.
Obsequium externum in eos fines propter quos exigitur referendum. p. 50
Finis duplex à Deo intentus, gloria ipsius extrinseca, & ædificatio publica.
Non satagit ut opus exequatur qui non exequitur cum potest exequi, & graviori ratione urgetur ad exequendum.
Non curat ne quid faciat à Deo vetitum qui sciens & volens exponit se periculo eminenti faciendi rem vetitam.
Sequens minorem probabilitatem exponit se vero morali periculo frustrandi Deum obsequio reali. p. 51
Qui habet minorem probabilitatem pro regulâ judicat se reali obsequio pluries defuturum, quam non defuturum.
Non ei suffragatur bona fides, quia finis à Deo intentus in obsequio reali non est sola honestas operationis, sed prætereа gloria ipsius extrinseca, & proximi ædificatio.
De præcepto Dei satis constat per majorem præcepti probabilitatem. p. 52
Præceptum probabilius dubium est speculativè, sed certum practicè.
Utrumque obsequium, reale scilicet & affectivum Deo valdè cordi est, quare & homini esse debet.
Obsequium affectivum est quasi anima, reale autem est instar corporis in actione humana. p. 53
Plus placet Deo affectus obsequii quam reale obsequium.
Sed obsequium reale videtur utilius ad fines à Deo intentos.
Unde minus quodammodo placet Deo quod Deus magis vult, minus item vult quod magis placet. p. 54
Satis affectus ad obsequendum non est qui negligit obsequium quod probabilius apparet esse præceptum.
Non ignoratur præceptum cujus existentia ita apparet ut apparentia illa contemni non possit.
Minor veri species præferri majori non potest.
Præceptum probabilius haberi debet pro moraliter certo in ordine ad praxim.
Multipliciter culpandus qui majorem probabilitatem præcepto faventem contemnit. p. 55
Magna quidem spes est prętandi obsequii, sed majus periculum omittendi, quare potius vitandum periculum quam spes sequenda.
Periculum non exequendi est periculum morale in vero sensu eoque triplici. p. 56
Qui præfert statum conjugalem cœlibatui nullum ex eo præcisè *subit* periculum proximum non exequendi.

Majus

Majus periculum ſalutis in vitâ conjugatâ non ſemper obligat ad illam fugiendam, aut deſerendam, quia eſt remotum, neque neceſſario peccatum trahit.

Quilibet tamen reſpectivè ad ſe tenetur fugere ſtatum in quo majus apparet periculum damnationis, quam ſpes ſalutis operandæ. p. 57

Periculum hîc dicitur eminens non quod majus eſt alio periculo, ſed quod majus eſt ſpe oppoſitâ.

Caput III. Proponitur argumentatio tertia ex verbo Dei ſeu ſcripto, ſeu tradito. p. 58

Argumenta ex idea Dei petita, legeſque naturales veritatis quærendæ, honeſtatis ſequendæ, obſequii realis Deo præſtandi, inducunt obligationem præferendæ partis probabilioris præcepto faventis.

Lumine naturali plerumque deficiente aut aberrante, ipſum Dei verbum vocandum eſt in ſubſidium.

Articulus I. Argumentum primum, ex verbo Dei ſcripto.

Triplex via inveſtigandi ex verbo ſcripto, ſeu ex Scripturâ Canonicâ obligationem ſequendæ partis probabilioris pręcepto faventis.

Paragraphus I. Via teſtimonii formalis. p. 59

Nullus Scripturæ locus formalis & expreſſus pro tali obligatione, ſed eam duo tantum vehementer indicant.

Primus. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.*

Opinio minus probabilis non eſt verbum verax, quia ſæpius falſa, quam vera.

Opinio probabilior, verbum verax, quia ſæpius vera quam falſa.

Ex reflexioxe ſupra ſtatum in quo non licet operari venire non poteſt conſcientia certa licitæ operationis. p. 60

Alter Scripturæ locus. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* 1. Theſſal. 5.

Ex Apoſtolo examen præit; tum ſequitur deciſio, quæ ſi prudens ſit, non fit ſecundum partem minus probabilem, libertati faventem.

Quod bonum eſt dimittit qui ſequitur partem minus probabilem. p. 61

Non abſtinet ſe à ſpecie mali, qui majorem ſpeciem mali amplectitur.

Superior Apoſtoli regula præcepti eſt, non meri conſilii.

Minorem probabilitatem ſequens libertati ſuæ faventem contraït omnino Apoſtolicæ regulæ, & omni ex parte reprehenſibilis eſt. p. 62

1. Ex defectu probationis.

2. Ex defectu adhæſionis ad bonum.

3. Ex defectu fugæ, & averſionis à malo.

Paragraphus II. Tentatur via principiorum, ſeu veritatum generalium. p. 63

Principia generalia obligationem quæſitam continentia.

Congruentia divinorum & humanorum principiorum in re præſenti. p. 64

Paragraphus III. Tentatur via conjecturæ.

Uſum minoris probabilitatis Scriptura nuſquam dicit permiſſum.

Jugum Chriſti abſque uſu minoris probabilitatis ſuave.

Suavitas illa ex multiplici capite.

Jugum Christi secundum se grave. p. 65
Præcepta Evangelica perinde gravia, sive probabilius, sive probabiliter tantum appareant.
Sine regulâ majoris probabilitatis frequentius homo violat mandata, quam observat.
Quæ sit obligatio inquirendi de majore probabilitate.
Obligatio illa est conditionata. p. 66
Habetur sæpe major probabilitas sine ulla inquisitione.
Major probabilitas respectiva sub experientiam cadit.
Probabilitas absoluta nec necessaria ad praxim, nec sufficiens.
Inquirenda tamen morali diligentiâ quæ nimis dura non est.
Quo sensu dicatur lex Evangelica, lex libertatis. p. 67
Articulus II. Secundum argumentum ex traditione divina. p. 68
Tradidit Christus per se, vel per Apostolos omnes regulas necessarias ad plenam legis divinæ observationem.
Duplex ordo Sanctorum Patrum à quibus traditio repetenda.
Paragraphus I. Testimonium traditionis ex Patribus antiquioribus. p. 69
Chrisostomi testimonium pro majore probabilitate legi favente.
Chrisostomus non insinuat consilium, sed præceptum. p. 70
Doctrina verior ex mente Chrisostomi, idem quod verisimilior.
Doctrina de qua Chrisostomus est doctrina morum. p. 71
Non sufficit probabilitas etiam major ad fidem firmam.
Sufficit tamen ad fidem provisoriam.
Minor probabilitas non excusat ab infidelitate.
Testimonium Augustini. p. 72
Certum Augustini principium est majorem authoritatem præferendam esse minori.
Ex hoc principio decidit Augustinus quæstionem de delectu Scripturarum Canonicarum.
Augustini locus de Scripturarum delectu.
Major authoritas minori præferenda, quia majorem veri apparentiam facit. p. 73
Expresse decidit Augustinus Scripturam probabiliorem præferendam esse minus probabili.
Hinc quædam præcepta morum in Scriptura probabiliori contenta pro divinis habenda, nonobstante Scriptura minus probabili fortè præcepta illa non continente.
Non minor debetur reverentia Deo præcipienti, quam Deo loquenti.
Scriptura probabilior fundamentum fidei tantum provisoriæ. p. 74
Scriptura minus probabilis in se, erat magis probabilis apud Ecclesias illam sequentes.
Augustini regula præcepti est non consilii. p. 75
Est obligatio judicandi in favorem Scripturæ majorem divinitatis apparentiam præferentis.
Et sequendi seu dogma, seu præceptum quod judicatur esse divinum, *ibid.*

Alterum Augustini testimonium ex libris Academicis. p. 76
Academicorum doctrina.
Augustini mens circa rem præsentem ex principiis ejus collecta.
Primum principium Augustini contra Academicos, ut quis agat honestè, debet approbare quod agit, qui nihil approbat nihil agit. p. 77
Ex sola probabilitate utriusque partis non licet progredi ad opus.
Qui agit non judicans licitum esse quod agit, dubitat an sibi liceat agere.
Alterum principium ex mente Augustini. Nemo sapienter & honestè approbat quod ei verisimilius apparet malum esse.
Veritatem non quærit qui id approbat quod ei verisimilius apparet falsum. p. 78
Probabiliora sequens nunquam errorem aut falsitatem approbat.
Sequens minus probabilia male affectus est circa veritatem.
In principiis Augustini non quærit sincere veritatem, qui se determinat ad partem minus verisimilem amplectendam.
Approbare judicio partem magis probabilem, & opere sequi minus probabilem, instar monstri est in re morali.
Suspensio judicii inter duo probabilia non reprehenditur ab Augustino in rebus indifferentibus, secus in necessariis quoad praxim. p. 79
Ex Augustino magis errat qui nunquam, quam qui aliquando opinatur.
Viam sequens probabiliorem nunquam errat affectu scilicet, & voluntate. p. 80
Approbatio partis probabilioris si error est, error est necessarius, & laude dignus.
Juxta Augustinum ex probabili alieno vivendum non est, sed ex proprio.
Non reprehendit Augustinus verum probabile, sed falsum, & Academicum. p. 81
Augustinus adhuc Cathecumenus cum se ipso jam Episcopo & Ecclesiæ Doctore consentit in causa majoris probabilitatis.
Doctrina majoris probabilitatis ab ineunte Ecclesia usque ad Chrisostomum & Augustinum viguit. p. 82
Paragraphus II. Testimonium traditionis ex Patribus junioribus.
Testimonium sancti Bernardi ex hoc loco. Ego ut oculus interior simplex sit, &c.
Oculus sequentis minus probabile simplex non est, quia nec in intentione charitatem habet, ne in intellectu veritatem. p. 83
Quod hic præscribit Bernardus obligationis vult esse, non perfectionis tantum. p. 84
Qui sequitur minus probabile, quamvis putet se bene agere, male agit, quia in hoc non ducitur amore veritatis.
Intentio placendi aut certe non displicendi præcepti est sicut & studium quærendæ sincere veritatis.
Bernardi regula neque errorem continet, neque duritiem bene intellecta. p. 85

Multipliciter à Bernardi doctrina deflectit qui minorem probabilitatem majori præfert. p. 86
Multiplex error credentis se Deo non displicere in usu opinionis minus probabilis.
Testimonium sancti Thomæ.
Nusquam S. Thomas ex professo tractavit quæstionem nostram.
Potest tamen quæstio ex principiis ejus bene penetratis decidi. p. 87
Doctrina S. Thomæ circa conscientiam.
Primum S. Thomæ principium, peccat qui facit contra legem.
Secundum principium peccat qui facit contra conscientiam.
Tertium principium, non peccat qui nec contra legem, nec contra conscientiam facit. p. 88
Probabilius est sequentem minus probabile facere contra legem sufficienter propositam, nec invincibiliter ignoratam.
Qui non habet conscientiam legis dubius est ubi lex probabilius apparet existere. p. 89
Ex sancto Thoma peccat quis contra conscientiam, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive habeat opinionem cum aliqua dubitatione.
Dubitatio aut formido minorem probabilitatem concomitans, nec deseri potest, nec contemni.
Quadruplex ex S. Thoma hypothesis. p. 90
Ex mente S. Thomæ quodlibeto 9. peccatum, & periculum peccati est in usu opinionis minus probabilis. p. 91
Glossa textui S. Thomæ addita, non corrumpit aut alterat doctrinam sed clariorem reddit. p. 92
Quomodo principia sancti Thomæ ita militant contra opinionem minus probabilem, ut eadem contra probabiliorem non militent. p. 93
Doctrina S. Thomæ non stat cum usu opinionis minus probabilis. p. 95
Testimonium sancti Bonaventuræ. Illius mens ex triplici conjectura. p. 96
Testimonium sancti Antonini. Illius textus formalis & expressus pro parte probabiliore sequenda. p. 97
Obligatio sequendæ partis probabilioris à primis Ecclesiæ sæculis ad nos usque deducta.
Traditio majoris probabilitatis non minus vera, quia ignorata, aut impugnata. p. 98
Traditiones verè divinæ interdum ab ipsismet Ecclesiæ Doctoribus impugnantur.
Authoritas contradicentium multis partibus imminuta.
CAPUT IV. Argumentatio quarta, ex sacra Canonum disciplina. p. 99
1. Ex regula Conciliorum directiva. 2. Ex regula faciendarum electionum. 3. Ex regula tutioris partis sequendæ.
Articulus I. Argumentum primum, ex regula quadam generali Conciliorum directiva. *ibid.*
Regula Conciliorum directiva est, ut post maturum examen res decidatur ex pluralitate suffragiorum.

Regula ista Conciliorum est juris naturalis, & positivi divini. p. 100
Ecclesia in Concilia definit controversias ex majori probabilitate seu apparentiâ veritatis, minime autem ex minori. p. 102
Regula sequendi majorem probabilitatem infallibilis est non quoad assecutionem veri, sed quoad judicii prudentiam & honestatem.
Regula majoris probabilitatis in Conciliis generalibus usurpata infallibilis est non ex se, sed ex promissione Christi. p. 103
Regula majoris probabilitatis tam est regula singulorum fidelium, quam totius Ecclesiæ. p. 104
Ex perversâ privatorum directione perversitas aliqua in ipsam communitatem redundaret. p. 105
Quilibet fidelis non habet in se pluralitatem suffragiorum, sed habet cum vult pluralitatem rationum.
Regula sequendæ pluralitatis suffragiorum, non solum ob bonum pacis, sed etiam ad majorem apparentiam veri constituta. p. 106
Suffragia omnia inter se æquiponderant omnibus pensatis, quare major apparentia veri stat in pluralitate suffragiorum.
Articulus II. Secundum argumentum, ex regulâ canonica electionum. p. 107
Jus canonicum id quod dignius est eligendum jubet.
1. In electione doctrinæ.
2. In electione principii directivi morum. Clementis responsum ad Fratres Minores. p. 108
3. In electione determinativa juris.
4. In electione determinativa facti.
5. In electione determinativa personæ ad Officia Ecclesiastica, aut Beneficia.
Ab electionibus prædictis valet consequentia ad electionem opinionum. p. 109
Regula de eligendo eo quod dignius est eligi, obligatoria est. p. 110
Minus dignus non est dignus qui præferatur digniori, ac proinde indignus est in concursu.
Demonstratur inductione generali hujus principii veritas, non potest eligi sine culpâ bonum simpliciter minus in concursu boni simpliciter melioris. p. 111
Pars minus probabilis ex nullo respectu potest fieri probabilior operanti. p. 112
Articulus III. Tertium argumentum, ex regulâ canonicâ dubiorum. p. 113
Pars probabilior minus habet periculi, & plus securitatis. Ergo ex jure sequenda.
Regula sequendi tutius interdum non obligat nisi conditionatè.
Interdum obligat absolute, scilicet ubi dubium tolli debet. p. 114
Regula de sequenda parte securiore generalis est, neque restringi debet ad casus in jure expressos.
Semper sequenda est tutior supra obligationem cadente, quale non est dubium de vocatione ad statum religiosum. p. 115

An in dubio occasionis peccandi, sit semper obligatio tutiorem partem sequendi. p. 116
Hæc regula juris, melior est conditio possidentis, non favet probabilistis. Quia homo libertatem à lege nec certo possidet, nec in pari causa. p. 117
Moralis libertas creaturæ rationalis non est prior lege naturali. p. 118
Lex positiva divina & humana, potest esse vel prior, vel posterior libertate. p. 119
Ne primi quidem homines ante legem latam viventes fuerunt in possessione suæ libertatis contra legem supervenientem.
Lex illa moraliter certa censeri debet cujus non existentia asseri prudenter non potest, aut existentia negari. p. 120
Sententia benignior non potest titulo benignitatis præferri rationabiliter sententiæ probabiliori.
Verus sensus istius regulæ juris. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. p. 121
Vera interpretatio regulæ illius juris. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori. p. 123
Quo sensu dubia in meliorem partem ex jure interpretanda. p. 125
Doctrina sancti Thomæ circa interpretationem dubiorum.
Judicium partis minus probabilis non est prudens, quia est prælativum minoris majori. p. 126
In concursu legis probabilioris libertas retinet probabilitatem tantum fundamentalem, remotam, & impeditam non autem proximam & expeditam ad assensum prudentem causandum. p. 127
Probabilitas minor cum majore concurrens, habet se sicut pondus minus, & sicut meritum minus in concursu cum majore. p. 128
An innocens judicari possit & debeat is cujus innocentia est minus probabilis quam malitia.
Caput V. Argumentatio quinta, ex sensu Ecclesiæ penes quam est perfecta moralium legum intelligentia. p. 130
Articulus I. Primum argumentum, ex sensu & gustu Ecclesiæ antiquæ. Diversæ ætates Ecclesię. p. 131
Triplex Ecclesiæ status; Congregationis, diffusionis, & adunationis.
Paragraphus I. Sensus Ecclesiæ primæ ætatis. p. 132
1. Ex silentio circa probabilismum.
2. Ex principiis Patrum antiquiorum.
Tertulliani.
Sancti Clementis. In capite Relatum. p. 133
Sancti Cypriani.
Stephanus & Cyprianus non faverunt probabilismo in sua de hæreticis rebaptisandis dissentione. p. 135
Paragraphus II. Sensus Ecclesiæ secundæ ætatis. p. 137
Nullum probabilismi vestigium in illa ætate, magnis Conciliis, & magnis Patribus florentissima,
Probabilismi in illa ætate erudita, usus fuit, dogma non fuit. p. 138

In obſervatione divinæ legis nulla antiquitus facta exceptio legis minus probabilis. p. 139
Varia à Patribus jacta fundamenta antiprobabiliſmo favent.
Chriſoſtomi.
Baſilii. p. 140
Auguſtini principium contra Donatiſtas eſt ipſum antiprobabiliſmi principium.
Hoc probabiliſtarum principiuum, *certa eſt licentia operandi eo ipſo quod non eſt certa lex prohibens operari* ſtare non poteſt cum doctrina Auguſtini. p. 141
Paragraphus III. Senſus Eccleſiæ tertiæ ætatis. p. 142
Prima conjectura, conformitas hujus ætatis cum prioribus in re morali.
Profeſſio quintæ ſynodi de ſequendis Patribus anteceſſoribus extendit ſe ſaltem confusè ad dogma omnium legum probabiliorum obſervandarum. p. 143
Secunda conjectura. Eccleſia obligationem legum probabiliorum vel hinc agnovit, quod illas ex ſumma legis chriſtianæ obligantis nuſquam excepit.
Quæ Eccleſia leges invincibiliter ignoratas excepit, excepiſſet eadem leges probabiliores ſi credidiſſet non obligantes. p. 144
Tertia conjectura. Probabiliſmus nullomodo apparuit illis rerum, temporum & perſonarum circumſtantiis ubi ſine dubio apparuiſſet, ſi extitiſſet.
Quarta conjectura. Eccleſia tertiæ ætatis conſtanter ſecuta eſt pro deciſione quæſtionum, majorem ſuffragiorum pluralitatem. p. 146
Contra regulam pluralitatis ſuffragiorum, in conciliis ne ipſi quidem unquam reclamarunt qui in Conciliis damnati ſunt.
Concilia particularia regulam illam ſequendam putant & reipſa ſequuntur ſine ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti. p. 147
Paragraphus IV. De ſenſu Eccleſię quartæ ætatis.
Senſus Eccleſiæ quartæ ętatis ex variis conjecturis.
Ex uniformitate doctrinæ cum prioribus ætatibus. p. 148
Ex alto ſilentio patrum de probabiliſmo.
Ex reformatione abuſuum.
Doctrina falſa inſtar cujuſdam falſæ monetæ.
Ex ſerie propè infinita ſacrorum Canonum.
Ex guſtu dominante quartæ ætatis. p. 149
Ex ſenſu inſignium Doctorum.
Octavianus minore probabilitate confiſus fruſtra pro ſummo Pontificatu contra Alexandrum tertium decertavit.
Doctrina Innocentii tertii capitul. 41. & 61. probabiliſmi inimica. p. 151
Plurimi inſignes doctrina & ſanctitate Doctores quartæ ætatis apud quos probabiliſmi mentio nulla. p. 152
Altum & perpetuum de probabiliſmo ſilentium vocale & clamoſum eſt contra probabiliſmum. Convincit enim novum eſſe & in traditione non apparere. p. 153

Paragraphus V. p. 154
Sensus Ecclesiæ quintæ ætatis ex iisdem quibus supra capitibus demonstratur.
Libertas opinandi contra communem de immaculata Mariæ conceptione sententiam defensoribus minoris probabilitatis non favet. p. 155
Lex majoris probabilitatis magis obligat in materia morali quam in materia speculativa. p. 156
Ante electionem Martini quinti in Concilio Constantiensi quælibet è tribus obedientia Pontificem suum probabiliorem credebat, aut credere supponebatur. p. 157
Opinio minus probabilis in concursu probabilioris non est probabilis simpliciter, & absolutè, sed tantum secundum quid & respectivè.
Decretum Concilii Lugdunensis cap. 1. de electionibus in sexto contra calumniantes. p. 158
Sensus Decreti superioris est non sufficere ignorantiam probabilem ad excusandum, sed requiri magis probabilem.
Alterum Concilii Lugdunensis Decretum his verbis *sub ea etiam forma* cap. 1. de postulationibus in sexto frustra adductum contra antiprobabilistas. p. 159
Aliud Decretum Concilii Lugdunensis, *& postquam probabilibus constiterit argumentis, &c.* capite de homicidio in sexto, sub finem.
Articulus II. Secundum argumentum, de sensu Ecclesiæ novæ, hoc est nostræ. p. 160
Probabilismus toti retro antiquitati incognitus vel ex illa novitate sua rejiciendus.
Paragraphus I. Incerta probabilismi origo. p. 161
Probabilismus nonnisi post Concilium Tridentinum natus.
Usus probabilismi antiquus, sed dogma novum.
Insignes Doctores viginti-quinque, Concilio Tridentino antiquiores, pro opinione probabili stantes juxta authorem opusculi anonimi Izaaco Haberto Vabrarum Episcopo adscripti. p. 162
Veteres per istam vocem, *probabile*, intellexerunt id quod à viro sapiente probari, & opposito præferri potest, minime vero illud verisimile quod minus est verisimile quam oppositum. p. 163
Probabilismus à Doctoribus Societatis Jesu, neque inventus neque adoptatus. p. 164
Incerta probabilismi origo probabilismo non favet. p. 166
Paragraphus II. Progressus probabilismi obscurus. p. 167
Bona fide errarunt probabilistæ. p. 170
Quam ob rem producta in medium tanta illustrium probabilistarum multitudo.
Antiprobabilismi authoritas longe major authoritate probabilismi. p. 171
Causæ probabilismi in doctrinam moralem introducti. p. 173
Paragraphus III. Probabilismi incrementa ex multiplici capite. p. 175
Non requiritur ad recte operandum perfecta evidentia aut plena certitudo, sed sufficit certitudo quædam moralis licentiæ operandi ex
magna

magna aliqua probabilitate veniens.
Crevit 1. Probabilismus ex attentione ad solam probabilitatem libertatis.
Crevit 2. Ex injusta coæquatione probabilitatis libertati faventis, cum probabilitate legis libertatem ligantis. p. 176
Crevit 3. Ex iniqua prælatione probabilitatis minoris.
Crevit 4. Ex mala modificatione probabilitatis ad agendum sufficientis.
Crevit 5. Ex enormi extensione probabilitatis ad agendum sufficientis.
Crevit 6. Ex parte motivi probabilitatem fundantis iniquè spectati.
Crevit 7. Ex parte materiæ in qua versatur probabilitas idque dupliciter. p. 178
1. Ex suppositione Materiæ quæ aliena & extranea est veræ & propriæ materiæ.
2. Ex falsa consequentia à minore probabilitate materiæ speculativæ ad minorem probabilitatem materiæ practicæ.
Crevit 8. Ex parte ipsius opinionis probabilis, & quidem incremento multiplici. p. 180
1. Ex abusu terminorum.
2. Ex transitu à statu probabilitatis absoluto ad respectivum.
3. Ex negligentia inquirendæ, & prosequendæ veritatis. p. 181
4. Ex audacia sequendi falsitatem.
5. Ex attributione probabilitatis opinionibus improbabilibus.
6. Ex multiplici reflexione supra ipsam opinionem probabilem.
Crevit 9. Ex vario affectu probabilistarum. p. 183
Paragraphus IV. Varia & anceps probabilismi fortuna.
Probabilismus primos habuit Jesuitas impugnatores. p. 184
Amarus quorundam zelus non parum valuit adversus probabilismum. p. 187
Paragraphus V. Decrementum probabilismi. p. 188
Ex imminutione familiæ, authoritatis, & securitatis.
Opiniones de numero probabilium expunctæ à summis Pontificibus.
Probabilismus à sapientioribus probabilistis emendatus, & limitatus. p. 190
Probabilismus ex effectibus æstimandus. p. 191
Quomodo multum probabilismo de sua authoritate detractum sit.
Quomodo sua probabilismo decrevit securitas. p. 192
Paragraphus VI. Proximus probabilismi occasus ex gravibus conjecturis de antiprobabilismo prævalituro. p. 193
Prima conjectura. Antiprobabilismus favet causæ Dei adversus creaturam.
Favet Ecclesiæ Canonum suorum observationem præcipienti.
Favet Pontificibus & Prælatis.
Favet Regibus & Principibus, omnique legitimæ potestati.
Favet omni generi legum; omni ordini monastico, œconomico, politico. p. 194

Secunda conjectura. Probabilismus videtur esse perturbator ordinis, contemptor legitimæ potestatis, patronus libertatis luxuriantis.
Tertia conjectura. Abusus & scandalum quibus probabilismus obnoxius est. p. 195
Quarta conjectura. Varia contra probabilismum præjudicia summorum Pontificum. p. 195
Quinta conjectura. Præsens incertitudo sufficientiæ probabilismi ad conscientiam rectè formandam. p. 198
Non præveniendum Ecclesiæ judicium in causa probabilismi, sed lis à Theologis instruenda. p. 199
Ita reprehensus à nobis probabilismus, ut censurâ non sit notatus.
Reprobatus ab Innocentio XI. aliquis probabilismus, non omnis. p. 200
QUÆSTIO II. An sit obligatio sequendi probabilitatem faventem legi in concursu probabilitatis æqualis libertati faventis. p. 202
Quæstio magni usus, nec minoris difficultatis.
Repræsentatur antiqua sententia authoris. p. 203
Apparentia motivorum duplex antecedens, & consequens.
Major est apparentia consequens antecedente, & cur?
Statuebat licere utramlibet sequi judicando. p. 204
In rebus obscure propositis pendet intellectus à voluntate.
Intellectus in æquilibrio positus de illo statu tollitur per imperium voluntatis. p. 205
Potest honestas objecti esse probabilior, & simul non probabilior probabilitate diversa.
Melius est intellectui exponere se periculo errandi cum spe magna assequendæ veritatis quam semper manere suspensum. p. 206
Rationes unius partis non destruuntur per rationes alterius.
Ratio assentiendi uni parti præ aliâ tenet se ex parte voluntatis. p. 207
Statuebat etiam licere utramlibet sequi operando.
Potest haberi conscientia certa licitæ operationis, & illicitæ non simul sed successivè.
Nihil absurdi est quod interdum pendeat ab homine facere ut actio aliqua sit licita aut illicita. p. 208
Licet sequi utramlibet opinionem disjunctivè, sed non simul.
Regulæ ad vitandum periculum laxitatis.
Responsio duplex ad casum de duobus horologiis supra propositum. p. 209
Responsio ad casum de recitatione Horarum.
Hodierna sententia authoris; est obligatio sequendi probabilitatem legi faventem in concursu probabilitatis æqualis faventis libertati. p. 210
Hæc mutatio sententiæ non vitio sed laudi potius verti debet.
Argumentatio multiplex pro tali obligatione.
CAPUT I. Argumentatio prima, est tribus perfectionibus divinis. p. 211

Lumen vultus divini ſignatum ſuper nos, quod ſit?
Articulus I. Primum argumentum, ex ſuprema Dei Domini excellentia.
Excellentiſſimus Dominus habet neceſſario jus prælationis reſpectu cujuſcumque ſubditi ſui ſaltem in pari cauſa.
Jus Regis magis ſacrum, ac proindè magis inviolabile. p. 212
Excellentia dominii divini non auget probabilitatem juris Dei.
Debetur tamen excellentiæ Dei Domini, ut Deus Dominus, creaturæ ſuæ, & lex divina humanæ libertati præferatur.
Deus reſpici debet nec reſpici poteſt ſupra meritum ſuum.
Articulus II. Secundum argumentum, ex ſumma Dei legiſlatoris ſapientia. p. 213
Officium ſapientiſſimi legiſlatoris.
In dubio negativo ſeu legis, ſeu libertatis permittit Deus creaturæ ſuæ operari ſecundum libertatem.
Non vero in dubio poſitivo.
Duo interdum præcepta divina incompoſſibilia, æquè probabilia concurrunt in mente operantis. p. 214
In illo concurſu poteſt operans determinare ſe ad utramlibet partem.
Articulus III. Tertium argumentum, ex ſumma Dei ſanctitate. p. 215
Tenetur creatura magis diligere Deum quam ſeipſam.
Deus ſumme ſanctus neceſſario vult ut creatura ad æqualem boni, & mali apparentiam, aut omnino hæſitet, ſi poteſt, aut certe determinet ſe ad ſequendam potius apparentiam boni, quam mali.
Peccari poteſt dupliciter in permiſſione Dei ſequenda.
CAPUT II. Argumentatio ſecunda, ex triplici regula Dei digito ſcripta in tabulis cordis carnalibus. p. 216
1. Eſt regula ſequendæ veritatis.
2. Sequendæ honeſtatis.
3. Eſt regula obſequii realis Deo præſtandi.
Articulus I. Primum argumentum, ex regula veritatis. p. 217
Triplex ſtatus operantis.
1. Vel determinat ſe ad judicandam legem præ libertate, & tenetur lege.
2. Vel determinat ſe ad judicandam libertatem præ lege, & peccat multipliciter.
3. Vel manet ſuſpenſus in utramque, tunc operari non poteſt ſecundum libertatem.
Ex quo creditur eſſe lex, deſinit eſſe dubia in mente operantis.
Judicium prælativum quo judicatur libertas præ lege æquè probabili imprudens eſt. p. 218
Diſtinguenda ratio judicii, & ratio prælationis.
Competit Deo jus prælationis ſupra creaturam.
In ſtatu dubii non licet operari ſecundum libertatem probabilem poſthabita lege æquè probabili. p. 219

Obligat lex non dubia quidem negativè, ſed poſitivè.
Articulus II. Secundum argumentum, ex regula honeſtatis quæ duplex eſt. Primaria & ſecundaria.
Primaria conſiſtit in amore Dei appretiativo. p. 220
Ex lege amandi Deum determinari debet homo ad ſequendam legem divinam potius quam ſuam ipſius libertatem.
Illuſtratur ſimilitudine aulici. p. 221
Secundaria multiplex.
1. Ut propendeat homo vehementer in id quod bonum, & honeſtum eſt præſertim neceſſarium.
Quænam debeat eſſe propenſio ad honeſtum clarè cognitum; quænam ad honeſtum probabile. p. 222
2. Ut averſetur homo vehementer malum turpe.
In ſequenda parte libertatis videtur eſſe aliquid mali. p. 223
3. Ut homo voluntate ſua vehementius feratur in bonum quam in malum.
Nihil probat axioma juris. Melior eſt conditio poſſidentis in cauſa pari. p. 224
Libertas quæ dicitur eſſe in poſſeſſione triplex diſtinguenda eſt.
Libertas à neceſſitate.
Libertas à ſervitute.
Libertas à lege.
4. Ut homo difficilius trahi ſe ſinat ſpecie mali quam boni. p. 225
Libertas à lege quamvis ſit prior tempore quam lex, non eſt tamen potior jure.
5. Ut homo inclinet ſe magis ad obſequendum Deo, quam ad indulgendum libertati ſuæ. p. 226
Articulus III. Tertium argumentum, ex regula obſequii realis & externi.
Non ſolum ſervitus mentis, ſed etiam corporis Deo debetur.
1. Regula obſequii realis eſt, ut vehementer cordi habeat homo exequi quidquid ſibi à Deo præceptum eſt.
Habenda eſt ratio mandati probabilis, potius quam probabilis permiſſionis. p. 227
2. Ut homo vehementer curet ne quid externum faciat à Deo prohibitum.
3. Ut curet homo ne fraudetur Deus ſanctiſſimis finibus.
Quid intendit Deus per obſequium reale poſitivum.
Quid per obſequium negativum.
4. Ut non præſumat homo ſibi licere eam partem ſequi quam ſi ſequatur eveniet ſæpius Deum fraudari obſequio ſibi debito. p. 228
Tota hæc animi diſpoſitio ad obſequium Deo præſtandum præcepti eſt non conſilii.
Non eſt obligatio ſequendi legem minus probabilem in concurſu libertatis probabilioris. p. 229

Ligatur homo lege probabili in concurſu libertatis æquè probabilis propter duplicem rationem.
Exemplum hominis navigaturi.
Non habet libertas creata jus excutiendi à ſe jugum legis probabilis. p. 230
Habet lex probabilis jus quoddam altius, quam jus libertatis æquè probabilis.
Creſcit unum ex ſupremâ Dei authoritate, decreſcit alterum ex infimâ creaturæ ſervitute.
Finis legis non eſt ſemper ſola operandi honeſtas. p. 231
In ſequenda libertate non eſt eadem honeſtas quæ in ſequenda lege.
Non agit honeſtè qui legem poſtponit libertati.
Caput III. Argumentatio tertia, ex Teſtamento Dei veteri. p. 232
Via triplex inveniendæ veritatis in veteri Teſtamento.
Articulus I. Primum argumentum, notantur aliquot inſignes veteris Teſtamenti in quibus obligatio exprimitur aut vehementer indicatur.
Primus textus. *Pondus & pondus, &c.*
Senſus literalis hujus loci Scripturæ.
In æquali probabilitate legis & libertatis reperitur. *Pondus & pondus.* p. 233
Abominatio eſt pondus & pondus non ratione ſui, ſed ratione finis.
Probabiliſmus videtur eſſe inſtar ſtateræ doloſæ. p. 234
Cur ſtatera doloſa à Deo rejicitur.
Quo ſenſu voluntas Dei *pondus æquum.*
Non bene dicitur doctrina antiprobabiliſmi ſtatera doloſa. p. 235
Judicatur exiſtentia legis ex pio voluntatis affectu.
Exiſtentia legis eſto judicari non poſſit, eſt tamen obligatio determinandi ſe ad exequendam legem. p. 236
Secundus veteris Teſtamenti textus, *Cor durum, &c.*
Textûs pars prima. Quid *cor durum.*
Quæ cordis ſoliditas eſſe dicitur vera interdum durities eſt. p. 237
Nihil obſtat periculum captandi umbram legis pro lege.
Quæ gravitas & firmitudo cordis dicitur obſtinatio eſt.
Probatur exemplo familiari.
Male indocilitas cordis donatur nomine generoſitatis. p. 238
Non eſt hominis prudentis hæſitare ubi probabilitas legis concurrit cum æquali probabilitate libertatis.
Textûs pars 2. Quid ſit amare periculum. p. 239
Sequens libertatem probabilem in concurſu legis æquè probabilis exponit ſe periculo violandi legem.
Illuſtratur argumentatio exemplis humanis.
Subditi erga regem male diſpoſiti.
Sponſæ erga maritum.
Filii erga patrem.
Amici erga patronum.

Hominis erga vitam ſuam.
Textus Eccleſiaſtici non tantum militat contra occaſiones peccandi lubricas, ſed etiam contra uſum ſequendæ libertatis probabilis. p. 240
Imo majus apparet periculum peccandi in ſequenda libertate probabili quam in ſubeunda violenta quadam peccandi occaſione.
Ipſum peccatum materiale, & periculum peccati materialis in noſtra hypotheſi vitari poteſt, & debet. p. 241
Tenemur ratione ſervitutis noſtræ facere quantum in nobis eſt rationabiliter, ne lex divina violetur.
Ignorantia legis probabilis cum libertate æquè probabili concurrentis non eſt ſimpliciter invincibilis.
Partim quidem ignoratur ea lex, ſed partim ſcitur. p. 242
Ex nullo capite obligatur homo ad operandum ſecundum libertatem probabilem.
Articulus II. Secundum argumentum, ex principiis quibuſdam generalibus veteris teſtamenti.
Lex divina duplici modo ſpectari poteſt, vel abſolutè in ſe ipſa, vel reſpectivè.
Principium multiplex circa legem abſolutè ſumptam.
1. Lex divina ſollicite, & diligenter inquirenda. p. 243
2. Lex divina vehementi affectu proſequenda.
3. Lex divina fideliter exequenda.
Principia ſuprapoſita reſtringi non poſſunt ad ſolam legem certam & evidentem. p. 244
Non 1. quia non inquiritur id quod jam certo tenetur.
Non 2. quia vehemens amor boni extendit ſe ad ipſum bonum probabile. p. 245
Non 3. Quia accurata legis executio complectitur legem ipſam probabilem.
Principium multiplex circa legem divinam conſideratam reſpectivè ad Deum legiſlatorem potentiſſimum.
Legiſlator omnipotens movere debet ad operandum vel nutu ſuæ voluntatis.
2. Ad Deum legiſlatorem ſapientiſſimum. Sapientiſſimi legiſlatoris eſt velle ut leges ſuæ probabiles obligent. p. 246
3. Ad Deum legiſlatorem ſanctiſſimum. Sanctiſſimus legiſlator facere non poteſt licentiam violandi leges ſuas probabiles.
Vera ſanctiſſimi legiſlatoris idea.
Ex illis Dei perfectionibus malè infertur obligatio ſequendæ legis minus probabilis in concurſu libertatis probabilioris. p. 247
Lex minus probabilis cum libertate probabiliore concurrens non eſt verè probabilis.
Perfectiones Dei ſeſe mutuo temperant. Et quomodo?
Variæ diſpoſitiones in homine requiſitæ ad rectam legis obſervationem. p. 248

1. Est summus Dei timor determinans efficaciter ad sequendam legem probabilem. p. 249
Non determinans ad legem minus probabilem.
Hinc nec incurritur offensio Dei.
Nec subitur periculum displicendi Deo.
Si subitur prudenter subitur. p. 250
Non displicet Deo violatio materialis legis prudenter facta.
2. Est summa Dei dilectio movens efficaciter ad servandam Dei voluntatem, etiam incertam & probabilem.
Summa Dei dilectio præcepti est.
Dilectio Dei summa prælativa est & appretiativa Dei super omnia. p. 251
Non satis amabitur Deus si negligatur præceptum Dei probabile. p. 252
3. Est summa hominis servitus exigens ut homo obtemperet mandatis Dei probabilibus, promptè, securè, plenè.
Quid servire Deo in veritate. p. 253
Cur scriptum non est servire in probabilitate.
Servire legi probabili non est idolo servire.
Verus Deus non potest esse incertus & merè probabilis; vera lex potest esse incerta. p. 254
Ex triplici legis fine probatur eadem obligatio.
1. Finis est gloria Dei quo præsumitur Deus obligasse hominem ad sequendas leges suas probabiles.
Non bene cohæret cum gloria Dei licentia violandi leges probabiles. p. 255
Obligatio legis positivæ solvi potest multis modis.
Sed in nostra hypothesi locus non habet abrogatio legis. p. 256
Nec à lege dispensatio.
Nec limitatio legis ad certas circumstantias.
Nec defectus propositionis sufficientis.
Lex naturalis nullo modo solvi potest.
Videtur esse juris naturalis ut omnis lex præferatur libertati.
Absolutè non necessitatur Deus ad gloriam extrinsecam sibi procurandam. p. 257
Sed consequenter & hypothetice.
2. Finis est bonum communitatis. p. 258
Duplex est, generale & speciale.
Fraudaretur Deus bono illo communi si leges probabiles non obligarent.
Potuit Deus non ferre legem probabilem, sed probabile est tulisse. p. 259
Lex probabilis etiam falsa verè obligat.
Discrimen vinculi moralis & physici. p. 260
3. Finis est privata directio singulorum legi subjacentium.

Lex divina via Domini est, via justitiæ, via pacis, via salutis.
Hinc obligatio sequendi legem probabilem.
Lex probabilis est via rectior ac tutior libertate æquè probabili. p. 261
Articulus III. Tertium argumenum, ex conjecturis aliquot veteris Testamenti. p. 262
Prima est, in veteri Testamento nulla fit exceptio legum probabilium.
Silentium illud militat pro obligatione. p. 263
Ignorantia invincibilis legis excusat à peccato, non vero probabilitas libertatis.
Notantur in veteri Testamento peccata ignorantiæ, non vero peccata probabilitatis. p. 264
Lex probabilis non ignoratur invincibiliter. p. 265
Non potest prudenter contemni suspicio existentiæ legis probabilis.
In ordine ad judicandum non magis scitur lex quam libertas.
In ordine vero ad operandum lex magis scitur quam libertas. p. 266
Neque tamen hinc sequitur esse obligationem operandi secundum legem minus probabilem.
Intellectus non potest bene se determinare in favorem libertatis æquè probabilis.
Etsi determinaret se non tamen liceret operari secundum libertatem. p. 267
Quia non potest prudenter contemni suspicio existentiæ legis.
2. Conjectura ducitur ex modo quo præcipitur universæ legis observatio. p. 268
Mandata Dei nimis custodienda.
Mandata Dei præferri debent libertati, in pari causa.
Non custoditur nimis cujus violandi probabile periculum subitur.
Mandatum illud reflexum locum maxime habet in mandatis probabilibus. p. 269
Neque idest dilatare philacteria, & magnificare fimbrias. p. 270
Pleræque leges communes sunt utrique testamento. p. 271
Excellentia novi Testamenti nihil derogat obligationi legum probabilium. p. 272
CAPUT IV. Argumentatio quarta, petita ex testamento novo, pro obligatione sequendi legem probabilem in concursu libertatis æquè probabilis. p. 273
Articulus I. Primum argumentum, Producuntur textus aliquot testamenti novi in quibus obligatio graviter indicatur.
Primus textus habetur Math. 5. *Sit sermo vester, est, est; non, non.*
Præcipit Christus constantiam tum in affirmando, tum in negando.
Duplex sensus istius textus. p. 274
1. Litteralis qui commendat simplicitatem assertionis.
2. *Spiritualis*

6. Spiritualis qui commendat constantiam assertionis, & instabilitatem prohibet. p. 275
Hujus loci interpretatio per Paulum excusantem se ab omni levitate.
A suspicione levitatis non bene se excusant probabilistæ.
Authoritas humana per divinam elevatur. p. 276
In probabilismo æquali apparet levitas, eaque multiplex.
Levitas in judicio determinante existentiam libertatis.
Levitas in determinatione ad operandum secundum libertatem. p. 277
Levitas in mutatione sententiæ arbitraria, & desultoria.
Est aliqua sententiæ mutatio quam non facit levitas sed falsitas.
Notatur multiplex levitatis, & inconstantiæ gradus.
Non favet probabilismo doctrina divi Thomæ. p. 278
Explicatur doctrina Doctoris Angelici docentis in concursu duarum partium æquè probabilium posse fieri determinationem ad utramlibet pro imperio voluntatis. p. 279
Multipliciter peccari potest.
1. Ampliatione doctrinæ.
2. Variatione hypothesis.
3. Confusione determinationis physicæ. p. 280
Determinatio ad judicandam partem libertatis cum lege æquè probabili concurrentis est essentialiter imprudens.
Secundus textus novi Testamenti. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* p. 281
Duo capitalia probabilismi æqualis dogmata.
Transgressio legis probabilis concurrentis cum libertate æquè probabili convincitur peccatum esse ex ipso Pauli textu.
Non potest judicari prudenter licita esse transgressio quæ non magis apparet esse licita quam illicita.
Operatio dubiæ bonitatis habet se ut moneta dubii valoris. p. 282
Ex fide non est determinatio ad libertatem probabilem cum lege æquè probabili concurrentem.
Textus ille Apostoli multiplici patet interpretationi.
Sed quæcumque fiat illius interpretatio nulla probabilismum æqualem à censura Apostolica vindicabit. p. 283
Speciosus ille discursus purus est probabilistarum paralogismus.
Fit enim transitus captiosus de statu absoluto ad statum respectivum, & utriusque status periculosa confusio. p. 284
Tertius novi Testamenti textus: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Triplex Apostoli præceptum.
Primum est ut fiat probatio tam boni quam mali.
Finis probationis est sapiens determinatio intellectus judicantis operationem esse licitam. p. 285
Non licet operari in dubio de licentiâ operandi.

Non licet operari in dubio libertatis, licet tamen operari in dubio legis.
Ex quo fit dubia libertas à lege fit quoque dubia licentia operandi.
In hypothesi libertatis probabilis dubium libertatis est ipsummet dubium licentiæ operandi secundum libertatem.
Lex dubia improbabilis non obligat, sed obligat lex dubia probabilis. p. 286
Lex probabilis & ipsa dubia est non negativè, sed positivè fundans obligationem positivè dubiam.
Quod non magis apparet licitum esse quam illicitum determinari non potest prudenter esse licitum.
Adhærens libertati suæ jam non tenet quod bonum est, sed planè dimittit. p. 287
In æquali probabilismo bonum est legem sequi, & quidem bonum necessarium.
Malum vero libertatem sequi.
In æquali probabilitate legis & libertatis non potest intellectus prudenter determinari adjudicandam libertatem præ lege. p. 288
Talis determinatio imprudens esset.
Quamvis per voluntatem determinaretur prudenter intellectus ad judicandam non existentiam legis, ea determinatio non sufficeret ad rectè operandum secundum libertatem,
Ex pio affectu augetur apparentia legis, & minuitur apparentia libertatis.
Affectus quo augetur apparentia libertatis debet ferè *suspectus* esse operanti. p. 289
Quid species mala in sensu Apostoli. p. 290
Vel est omne malum morale. p. 291
Abstinendum ex Apostolo ab omni malo morali probabili.
Vel est omnis apparentia mali. p. 292
In usu libertatis probabilis cum lege æquè probabili concurrentis magna est mali apparentia.
Articulus secundus. Secundum argumentum, ex pluribus veritatibus seu principiis generalibus quæsitam obligationem continentibus. p. 293
1. Veritas perfecta Christi obedientia totam legem religiosè implentis.
Tenemur Christo nos conformare. p. 294
Non est omnino par causa Christi, & nostra.
Quamvis leges directæ sint plerumque dubiæ fit tamen earum obligatio certa per legem reflexam, eamque certam & evidentem.
Potest aliquomodo comparari obedientia Christi cum nostra. p. 295
Est tamen discrimen immensum inter utramque. p. 296
Non solum legem Mosaïcam adimplevit Christus, sed aliam quoque legem, eamque multiplicem.

2. Veritas generalis. Cavet Christus ne vel unum de mandatis etiam minimis solvatur, aut solvi posse doceatur. p. 297
Duo in hoc Christi edicto attendenda, generalitas nimirum edicti, & gravitas.
Præceptum illud generale & reflexum sensum habet satis clarum & expeditum. p. 298
Mandata legis Mosaïcæ quamvis respectivè minima, sunt tamen eadem absolutè & in se gravia.
Minima dicuntur non obligandi vi quam & ipsa gravem habent, sed dignitate qua cedunt mandatis Evangelicæ legis. p. 299
3. Veritas generalis est necessitas justitiæ in novo Testamento abundantioris quam in veteri.
Abundantia illa justitiæ stricti præcepti est. p. 300
Stricta illa justitiæ necessitas infert obligationem mandatorum probabilium.
Unde petitur necessitas justitiæ abundantioris. p. 301
1. Ex dignitate Christi. 2. Ex perfectione mandatorum. 3. Ex uberiore influxu capitis in membra sua.
Hinc obligatio gravior exequendi mandata probabilia. p. 302
Omnia veteris legis mandata non fuere abrogata.
Articulus III. Tertium argumentum, ex conjecturâ duplici ex novo Testamento petita. p. 303
1. Est. Nullibi legitur excepta obligatio legum probabilium, in concursu libertatis æquè probabilis.
Mandata probabilia proponuntur modo sufficienti ad obligandum. p. 304
Clarè apparet ea non posse negligi absque periculo probabili negligendi vera aliqua mandata.
Mandata probabilia dici non possunt simpliciter, & invincibiliter ignorata.
Non habent se mandata, ut dogmata.
Dogmatibus probabiliter tantum revelatis non debetur vera fides divina. p. 305
2. Conjectura ducitur ex proprio charactere novi Testamenti, est enim novum Testamentum lex perfecta libertatis. p. 306
Egregiè notat Paulus totâ suâ Epistola ad Hebræos perfectionem illam & excellentiam.
1. Ratione dignitatis Christi mediatoris, ac proindè legum probabilium.
2. Ex ratione specialis dedicationis novi Testamenti.
Hinc erga Christum major gratitudo, & diligentior peccati fuga. p. 307
3. Ratione mandatorum quæ sunt perfectiora.
Hinc mandatis perfectioribus debetur diligentior custodia.
4. Ratione gratiæ abundantioris pro observatione mandatorum.
Hinc major obligatio servandi leges.
5. Ratione amplioris repromissionis hæreditatis.

Hinc major fidelitas in onere testamenti exequendo. p. 308
6. Ratione severioris animadversionis in transgressores legis novæ.
Hinc solicitius caveri debet ne lex violetur.
Quo sensu lex Evangelica est lex perfectę libertatis. p. 309
CAPUT V. Argumentatio quinta, ex regulis Canonicis, & Magistralibus. p. 310
Quid regulæ Canonicæ, & Magistrales.
Duæ insignes.
Articulus I. Primum argumentum, ex regula Canonica. *In dubiis tutior pars est eligenda.*
Varia regulæ exempla.
In æquali probabilitate legis & libertatis occurrit casus dubii verè & propriè dicti. p. 311
Regula illa consilii tantum est si pars minus tuta concurrat *positivè* cum parte tutiore. p. 312
Sed præcepti est si concurrat *negativè.*
Regula de parte tutiore eligenda non minus locum habet in dubio juris, quam in dubio facti. p. 313
Pars melior dicitur quæ tutior & securior est.
Articulus II. Secundum argumentum, ex regula magistrali, ne certis incerta præponantur. p. 314
Peccat qui in materia morali certis incerta præponit.
Testimonium Augustini.
Sancti Thomæ.
Scoti.
S. Bonaventuræ.
Qui operatur secundum libertatem posthabita lege certis incerta pręponit. p. 315
Controversia de usu Eucharistiæ seu frequenti, seu raro, præclarè ab Augustino decisa.
Regulam tamen magistralem numquam deseruit Augustinus. p. 316
In usu arbitrario Eucharistiæ certum non concurrit cum incerto.
Sed in æquali probabilitate legis, & libertatis certum cum incerto concurrit.
Regula illa magistralis non est minus solida quam subtilis. p. 317
Quod est directè incertum an sit peccatum, fit certum reflexè peccatum, esse idipsum operari.
Regula magistralis partim ex Deo est, partim ex hominibus.
Ex quo libertas probabilior est quam lex, jam moraliter certum est non esse legem. p. 318
Speciosum sophisma in quo physica libertas cum morali confunditur. p. 319
Cum libertate physica operandi etiam certa stare potest vera & stricta prohibitio operandi secundum libertatem.
CAPUT VI. Argumentatio sexta, ex sensu Ecclesiæ Christi,

Articulus I. De sensu Ecclesię antiquæ circa probabilismum æqualem. p. 320
Paragraphus I. Quid senserit Ecclesia primæ ætatis.
Dogma de licentia operandi secundum libertatem non habuit pro regula morum prima illa Ecclesiæ ætas.
Nulla istius regulæ mentio.
Principia Patrum primæ illius ætatis non bene congruunt cum probabilismo æquali. p. 321
Non principium Clementis docentis in moralibus, non verisimilitudinem, sed veritatem sectandam.
Non principium Tertulliani docentis Dominum in simplicitate quærendum. p. 322
Non principium Cypriani docentis deponendum errorem, & inveniendam, eruendamque veritatem.
In prima Ecclesiæ ætate fit mentio obligationis mandatorum probabilium, si non expressa, saltem implicita. p. 323
Quatenus fit expressa mentio obligationis generalis servandi omnia quæcumque Christus mandavit.
Principia Patrum primæ ætatis antiprobabilismo magis favent quam probabilismo. p. 324
Cur violatio mandatorum probabilium non fuerit in prima illa ætate speciatim reprehensa. p. 325
Paragraphus II. Quid senserit de probalismo æquali Ecclesia secundæ ætatis.
Ecclesia secundæ ætatis probabilismum æqualem reprobavit, ut regulam morum illegitimam & Apostolicis temporibus inauditam.
Repugnat hæc regula sensui insigniorum Patrum. p. 326
Chrysostomi docentis in negotio salutis non minore cura procedendum quam in negotiis humanis.
Pars legis rectè dicitur certa quamvis ipsa lex certa non sit.
Basilii docentis per liberum arbitrium ratione regularum discerni ea quæ ad institutionem vitæ eligenda veniunt. p. 327
Dogma de licentia operandi secundum libertatem æquè probabilem non videtur satis ratione regulatum.
Augustini docentis peccatum esse in rebus ad salutem pertinentibus certis incerta pręponere. p. 328
Argumentum Augustini contra Donatistas.
Discursus Augustini non minus solidus quam subtilis. p. 329
Paragraphus III. De sensu Ecclesiæ tertiæ ætatis.
In illa ætate probabilismus non fuit regula morum legitima. p. 330
Tum propter conformitatem tertiæ ætatis cum prioribus.
Tum propter perpetuum de probabilismo silentium.
Tum propter summam totius legis constanter prædicatam.
Argumenta ista unicè nocent probabilismo.
Paragraphus IV. De sensu Ecclesiæ quartæ ætatis. p. 331

Probabilismum ignoravit aut reprobavit.
Patet 1. Ex uniformitate doctrinæ.
2. Ex studio in componenda disciplina Ecclesiastica.
3. Ex sensu insigniorum virorum.
Eugenii.
Lucii. p. 332
Clementis.
Idem sensere quatuor insignes Doctores.
Bernardus.
Thomas.
Bonaventura.
Scotus.
Paragraphus V. De sensu Ecclesiæ quintæ ætatis. p. 334
Ab ea Ecclesia reprobatus est probabilismus.
Articulus II. De sensu Ecclesiæ novæ, hoc est nostræ circa probabilismum æqualem.
Nostris temporibus apparuit probabilismus, seu minor seu æqualis. p. 335
QUÆSTIO III. An sit licentia sequendi probabilitatem majorem libertatis concurrentem cum minore probabilitate legis. p. 336
Quid opinio magis tuta.
Quid minus tuta.
Interdum opinio quæ est magis probabilis, eadem est minus tuta; & tutior minus probabilis. p. 337
In concursu duarum partium inæqualiter probabilium licet sequi judicando magis probabilem sive tuta illa sit, sive minus.
Habetur Experientia. Authoritate scriptorum. Ratione.
Motivum minus probabile quantumvis grave sit non causat necessario in intellectu dubium propriè dictum. p. 338
Ubi magna spes est assequendæ veritatis prudenter contemnitur errandi periculum.
Licet sequi operando probabiliorem, sive magis tuta illa sit, sive minus. p. 339
Eligere viam tutiorem consilii est non præcepti.
Requiritur notabilis excessus probabilitatis ad libertatem seu judicandam, seu sequendam. p. 341
Qualis excessus requiratur.

ANTIPROBABILISMI PARS SECUNDA.

PProbabilitas seu legis, seu libertatis extra concursum unius cum altera. p. 343
QUÆSTIO I. De probabilitate libertatis absoluta, seu non concurrente cum

ulla probabilitate legis. p. 344
Quænam requiritur probabilitas ad licitè operandum.
Sufficit eadem ad operandum. p. 346
Proponitur demonstratio ab intrinseco. p. 347
Proponitur ab extrinseco. p. 348
Aperitur mysterium judicii probabilis certificantis operantem de licentia operandi. p. 350
QUÆSTIO II. De probabilitate legis absoluta, seu non concurrente cum ulla probabilitate libertatis. p. 354
Est aliqua probabilitas legis absoluta.
Ex hac probabilitate fit vera & stricta obligatio legis. p. 355

FINIS.

ERRATA.

Pag.	5.	Cum ſententiæ, *legendum* ſententia.
Pag.	14.	hypoſtaticè, *leg.* hypotheticè.
Pag.	23.	&, *leg.* ut.
Pag.	35.	ob humanam, *leg.* ſummam.
Pag.	36.	vocat, *leg.* vacat.
Pag.	62.	cor tuum, *leg.* cor ſuum.
Pag.	72.	habet, *leg.* habent.
Pag.	*ibid.*	Auguſtinus, *leg.* Auguſtinum.
Pag.	159.	teneri, *leg.* tueri.
Pag.	168.	veri, *leg.* viri.
Pag.	175.	indicere, *leg.* indicare.
Pag.	198.	non, *leg.* num.
Pag.	209.	concidere, *leg.* coincidere.
Pag.	234.	eſſe, *leg.* lege.
Pag.	279.	demonſtravimus, *leg.* demonſtrativis.
Pag.	311.	debitat, *leg.* dubitat.
Pag.	315.	colles, *leg.* calles.
Pag.	324.	proponit, *leg.* præponit.

[illegible]

Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]

Pag. [illegible] [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. demonstrantes.
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]
Pag. [illegible] [illegible], leg. [illegible]

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Gisbert, Jean

Antiprobabilismus

Paris 1703

4 Mor. 204
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10526623-0